BIBL. NAZ.
Vitt. Emanuele III.
RACCOLTA
VILLAROSA
B
623/2
NAPOLI

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

COMMENTARIA
DE JURE REGNI
NEAPOLITANI
IN QUINQUE TOMOS DISTRIBUTA.

AUCTORE

FRANCISCO RAPOLLA JC.

Regio Conſiliario, ac Præſidenti Reg. Cam. Summariæ &c.

TOMUS II.

JURIS PUBLICI
LIBROS TRES POSTERIORES CONTINENS.

EDITIO QUARTA
Novis additionibus adaucta.

Biblioteca Nazionale NAPOLI

NEAPOLI MDCCLXXVIII.
Ex Typographia Ursiniana
Sumptibus Cajetani Castellano

SUPERIORIBUS ANNUENTIBUS.

Digitized by Google

592535

Digitized by Google

INDEX TITULORUM
TOMI II.

PARTIS PRIMÆ

NAPOLI

LIBER IV.

CAP. I. *Agitur de quibuſdam ſpecialibus Judicibus in Regno conſtitutis, & nominatim de Judice Militum competenti* pag. 1
CAP. II. *De officio Judicis, qui dicitur Generalis, ſive Commiſſarius Campaniæ. Et de fide publica criminum reis danda in certis caſibus: vulgo de Guidaticis* 8
CAP. III. *De Scribis, & generaliter de omnibus iis, qui actis judiciariis conficiendis dant operam* 16
CAP. IV. *De Actorum Magiſtris, & Scribis ſingulorum Tribunalium. Et primo de iis, qui ſunt in Magna Curia* 22
§. I. *In Regia Audientia* 32
§. II. *In Sacro Conſilio* 37
§. III. *In Regia Camera, & in ceteris omnibus Curiis* 41
CAP. V. *De officio Secretariorum, qui ſunt in unoquoque Tribunali, ſive Curia, & nominatim de eo, qui eſt in Regali Camera* 44
CAP. VI. *De Apparitoribus, Accenſis, omnibuſque iis, qui Tribunalibus inſerviunt* 50
CAP. VII. *De officio eorum, qui carcerum cuſtodia præficiuntur* 54
CAP. VIII. *De Advocatis, & Procuratoribus, eorumque examine, ſive approbatione* 59
CAP. IX. *Exponitur quanam ratione in Regno ad Juriſconſulti munus perveniatur, vulgo ad gradum Doctoratus. Et primo de legibus Academicis* 68
CAP. X. *De Collegio Doctorum, eorumque gradum adipiſcendo* 80

LIBER V.

CAP. I. *De Tabellionibus, ſive Notariis* 86
CAP. II. *Exponitur quid jure noſtro de Notariis, eorumque officio ſtatuatur* 92
CAP. III. *De Judicibus jure noſtro ſtatutis pro ſolemnitate inſtrumentorum, qui vulgo ad contractus, & chartularii nominantur* 100
CAP. IV. *Quid ſervare debeat Notarius in publicis inſtrumentis* 103

CAP.

Digitized by Google

CAP. V. *De publicorum inſtrumentorum vi, & effectu ; & quid ſervare debeant Notarii, ut illa dicantur guerentigiata, ſecundum vulgarem Fori loquutionem* 113
CAP. VI. *De aliis generibus ſcripturarum fieri ſolitis per publicos Notarios* 122
CAP. VII. *De his, quæ ſpecialiter noſtris legibus prohibentur Notariis* 128

LIBER VI.

CAP. I. *De publicarum rerum adminiſtratione; ſive de his, quæ cujuſque Univerſitatis nomine peraguntur* 131
CAP. II. *De Adminiſtratoribus, vulgo Electis Civitatis Neapolitanæ : deque eorum auctoritate, ac privilegiis* 133
CAP. III. *Exponuntur ſpeciales noviſſimæ leges de annona, ceteriſque rebus ad victum neceſſariis, præcipue in civitate Neapolis : deque Curatoribus, atque Adminiſtratoribus earum* 143
CAP. IV. *Exponuntur & reliquæ noviſſimæ leges ad ſtatum Civitatis Neapolitanæ ſpectantes* 151
CAP. V. *De Magiſtris artium, Architectis, Agrimenſoribus ; iiſque quos vulgo Tabularios dicimus* 162
CAP. VI. *De Pharmacopolis, & Aromatariis.* 174
CAP. VII. *De immunitatibus, ſeu privilegiis civium Neapolitanorum. Et primo de ratione jus civitatis Neapolitanæ acquirendi* 177
CAP. VIII. *Quænam ſint Neapolitanorum privilegia* 184
CAP. IX. *De Adminiſtratoribus, qui in ſingulis provinciarum Regni locis conſtituuntur ; quique generaliter Syndici, & Electi adpellantur* 192
CAP. X. *Exponitur quid noviſſimis pragmaticis ſtatutum ſit circa munus Adminiſtratorum cujuſque Univerſitatis* 200
CAP. XI. *De munere Perceptorum, & Rationalium* 211
CAP. XII. *De Tributis, & Vectigalibus* 221
CAP. XIII. *Explicantur reliquæ, quæ ſparſim leguntur in libris juris Regni, leges pro ſtatu publico* 228

PAR-

PARTIS PRIMÆ COMMENTARIORUM DE JURE REGNI NEAPOLITANI

LIBER IV.

CAPUT I.

Agitur de quibuſdam ſpecialibus Judicibus in Regno conſtitutis, & nominatim de Judice militum competenti.

QUONIAM ſive publica utilitas, ſive certarum perſonarum privilegia apud nos effecerunt, ut quidam ſpeciales Judices ſtatuerentur: ideo de iis agendum eſt in præſenti capite, ut abſolvatur tractatio jam incœpta de Magiſtratibus, omnibuſque iis, qui juri dicundo præſunt; quæ eſt præcipua pars juris publici, ſecundum diviſionem jam propoſitam.

II. Inter militaria privilegia eſt & fori præſcriptio, ideſt militum exemtio ab ordinaria juriſdictione. Qua in re, ut ſpeciales leges noſtræ rectius intelligantur, & ut cognoſcatur, an a Romanis differant paulo altius repetenda eſt diſputatio. Sub libera Republica, nulla quæſtio agitabatur de foro militum competenti, nam in pace, & otio nulli Romæ erant milites; ab expeditione enim qui revertebantur, ſtatim deponebant militaria ſigna, & ornamenta, & vivebant more paganorum, eodemque jure utebantur, ac ceteri cives, iiſdemque Magiſtratibus parebant. Unde feliciſſimus habebatur tantæ Reipublicæ ſtatus; ſiquidem civium unuſquiſque armis aptus, dum bellum gerendum erat, ad delectum vocari poterat, hoc eſt pro milite eligi: contra ubi pax evenerat, nullus erat militaris ordo, ſed omnes æquo jure vivebant. Qui vero in Provincias mittebantur, ſuis Ducibus parebant, ab iiſque puniebantur; nam toto tempore, quo Roma, & a Patria aberant, cenſebantur eſſe in expeditione. Imo & Duces ipſi de civilibus cauſis jus reddebant inter milites. De Scipione Africano ſic ſcribit Gellius *lib. 7. cap. 1. Scipio quodam die jus in caſtris ſedens, dicebat. Tum e militibus, qui in jure apud eum ſtabant, interrogavit quiſpiam ex more, in quem diem, locumque vadimonium promitti juberet; & perendie, inquit, ſeſe ſiſtant in illo loco, oppidum, quod oppugnabant, oſtendens. Die tertio, in quem vadari juſſerat, oppidum captum. Eo die in arce ejus oppidi jus dixit*. Sub Imperatoribus, poteſtate publica in aliam formam tranſlata, vetus militaris ordo, ac diſciplina in eodem ſtatu non permanſit; nam cœperunt Romani Principes, mer-

Digitized by Google

mercenarios perpetuos milites habere, quæſito colore, ad metum hoſtibus inferendum, & ad Provincialium ſeditiones removendas; verum præcipue, ut firmiori, & tutiori Imperio uterentur. Unde ſic Auguſtum alloquebatur Mæcenas pro retinendo, & confirmando Imperio *apud Dionem lib.* 52. (ex verſione Xylandri). *Milites autem perpetuo alendi ſunt, ex civibus, fœderatis, ac ſubditis delecti, ad Provincias tutandas, pro ratione neceſſitatis, temporibus diverſis, plures, paucioreſve, qui ſemper in armis ſint, bellicaſque artes aſſiduo exerceant*. Et quo promtiores, obedientioreſque Imperatori milites fierent, novum Magiſtratum idem Auguſtus creavit ex conſilio eiuſdem Mæcenatis, Præfectum Prætorio; qui erat quidem tanquam Dux cohortium prætorianarum ex equeſtri ordine, quas Princeps ad ſui corporis cuſtodiam adhibebat; & prætoriæ dicebantur, quod in Prætorio, ſive in Aula Principum verſarentur. Ceterum uſque adeo crevit ejus Magiſtratus auctoritas, ut ad eum pertinere cœperit ſumma, poſt Principem, Imperii adminiſtratio; & præſertim militaris diſciplina, controverſiarumque inter milites cognitio; nam & Præfecto Prætorio ſui erant Aſſeſſores, ut plurimum Jureconſultiſſimi viri. In Provinciis qui erant milites, in expeditione nullos alios habebant Judices, quam ipſoſmet exercituum Duces; in pace Magiſtros militum, qui & ſub Imperatoribus creati fuere. Verum diſtinctione abhibita ex *l.* 2. *C. T. de juriſd.* ubi Imp. Conſtantius, *ne uſurpatio judicia, legeſque confundat* (ſunt verba legis) *aut Judicibus ordinariis adimat propriam notionem*, declarat, quod jam antea definitum erat, nempe, in cauſis civilibus, militantes, ſive ii actores ſint, ſive rei, Rectoris, ſive Judicis ordinarii juriſdictioni ſubeſſe; in criminalibus tunc ſolum, cum illi accuſatoris munus ſuſcipiunt; nam ſi fuerint rei, militare forum tantum erit competens. Quod ad cauſas civiles attinet, confirmatum idem fuit ab Imperatore Arcadio *in l. 9. eod. tit.*, in qua excipitur tantum, quando aliter viſum fuerit Principi, cujus in arbitrio eſt cauſas avocare ab ordinariis Judicibus, & aliis committere. Additur in hac lege pœna deportationis, ſcilicet adverſus litigatorem, cauſam civilem ad forum militare transferentem, vel transferri patientem; unde punitur tam actor, quam reus, qui exceptione fori uſus non eſt. *Quod utique oſtendit* (ait doctiſſimus Gothofredus) *quantopere hanc rem ad curam ſuam revocaverit* Imperator; *ne videlicet Juriſdictionum confuſio generaretur; neve militarium Judicum criſtæ erigerentur*. Quin etiam puniuntur Advocati mulcta decem librarum auri, ſi in eandem translationem juriſdictionis conſenſerint; nam ex eorum malitia, Judicum turbari ſolet juriſdictio, petitiones, & exceptiones coram Judice incompetenti proponendo; prout noſtris temporibus non ſemel videmus, & eveniebat olim. Unde adverſus eos ſic loquitur Imperator Marcianus *novell.* 1. *Nonnulli ſuis allegationibus diffidentes, vexare ſuos adverſarios tantummodo cupientes, non jure cum iis, ſed arte pugnabant; & per ſermonem fucatum, & phalerata verba, nonnunquam legibus arte confuſis, ad aliena eos judicia protrahebant; ita ut hinc ſæpius eveniret, ut & miles in civili, & privatus in militari, ſed ſibi incongruo, peregrinaretur judicio*.

III.

III. Ex ſuperioribus conſtitutionibus placuit Imperatori Honorio aliquid derogare *in l. 6. Cod. de juriſd.*, etenim dedit militaribus judicibus etiam juriſdictionem in cauſis civilibus inter militares viros; vel inter privatum actorem, & reum militarem; hoc eſt, ut actor paganus ſequi deberet forum rei militis: contra miles actor forum rei pagani. Qua in conſtitutione confirmatur vulgaris regula. Actor ſequi debet forum rei. De cauſis criminalibus nihil hic novi inducit Imperator, imo confirmat veteres leges jam explicatas, nam ſic ait in fine conſtit. *conſtetque, militarem reum, niſi a ſuo judice, nec exhiberi poſſe, nec ſi in culpa fuerit, coerceri.* Hinc patet evidentiſſime, erroneam eſſe Accurſii opinionem, ceterorumque Doctorum, qui eum præceſſerunt; & ſequuti ſunt, dum diſtinctionem faciunt inter crimina militaria, & non militaria; etenim hæc diſtinctio & rationi, & ipſis legum verbis adverſatur; nam quis unquam dubitavit, militaria crimina ab ipſiſmet militaribus Judicibus punienda, cum militaris diſciplinæ cognitio aliena ſoleat eſſe a peritia aliquorum judicantium? Dein ſuperiores leges cum diſtinguant, quando miles eſt actor, vel reus; procul dubio accipiendæ ſunt de criminibus ad militiam non pertinentibus; nam ubi ordo militaris offenditur, nullus eſt privatus actor, ſed ipſamet militiæ inſtituta pœnas exigunt. Fefellit Accurſium male intellecta *l. ult. Cod. de re milit. lib.* 12., nam ibi non agitur de Judicibus militaribus, & paganis; ſed tantum definitur, ut milites, qui in Orientalibus Regionibus degunt, non pareant juriſdictioni Magiſtri militum per Orientem, ſed Magiſtri militum præſentalium, & Ducum ſuorum; hoc eſt pareant Judici militari, conſtituto in præſenti, ſive in loco, ubi ſunt milites; quemadmodum, & *Magiſtratus in præſenti* dicitur *in l. ob carmen* 21. *D. de teſtibus*, vid. Cujac. *in cit. l. ult.* Illud tantum Romanis legibus cavebatur, ut ſi in loco commiſſi delicti a milite, nullus extaret militaris Judex, ad exemplum ceterorum, non tranſmitteretur reus ad Judicem ſuum, ſed ut puniretur ab ordinario Judice in loco delicti; idque *optimos Principes*, ait Papinianus *in l. ult. D. de accuſat.* ideſt Severum, & Antoninum reſcripſiſſe; ſcilicet per reſcriptum ſtatuiſſe. Id ipſum confirmatur *in l.* 3. *D. de re milit.* illis verbis: *Deſertorem auditum ad ſuum Ducem cum elogio Præſes mittet, præterquam ſi quid gravius ille deſertor in ea Provincia, in qua repertus eſt, admiſerit; ibi enim eum plecti pœna debere, ubi facinus admiſſum eſt, Divi Severus, & Antoninus reſcripſerunt.* Neque obſtat *l.* 1. *Cod. de exhib. reis*, quam ſic explicat Cujacius, in arbitrio Præſidis eſſe aliquando remittere militem puniendum ad Magiſtrum militum, ſi hoc criminis, ac perſonæ qualitas exigere videatur.

IV. Hæc paulo uberius, quam inſtituti ratio expoſtulat, ideo a me diſputata ſunt, ut magis magiſque adpareat, quod ſæpe monui, minus rectam Romanarum legum interpretationem innumeris occaſionem erroribus dediſſe, qui poſtmodum a forenſibus adprobati ſunt, ut videre eſt *in deciſ.* 88. de Franchis, in qua dum ex regulis juris communis diſceptatur, utrum miles claſſis maritimæ, delinquens Curia; & gloſ-

Digitized by Google

ſæ diſtinctio adprobatur, ſine ulla cognitione, aut examine conſtitutionum, quæ modo explicatæ ſunt, manifeſti errores cauſam dederunt deciſioni; ex qua tanquam jus certum decernitur, in gravioribus delictis, & non militaribus, milites Judicibus ordinariis ſubeſſe. Quod utique falſum eſt; nam Magiſtratus militares, partim experientia rerum, partim conſilio Aſſeſſorum poterunt eadem ratione, ac Judices ordinarii, recte, juſteque in facinoroſos milites animadvertere. Neque dixeris, melius res procedere, dum judicantium Collegio, prout eſt Magna Curia, crimina non militaria committuntur examinanda, & punienda, quam uni militum Præfecto, aut Judici; nam dum Princeps, & leges ipſæ ſic ſtatuunt, præſumendum eſt, ſatis, ſuperque proviſum de idoneo, peritoque Judice ad jus reddendum. Hinc dum Regnum erat ſub Hiſpanorum Regum dominio, triremium, & totius claſſis maritimæ proprius, & peculiaris Judex conſtitutus fuit, Auditoris nomine, cujus fit mentio in *pragm.* 25. §. 11. *de official.* & *his quæ eis* &c., ubi prohibetur illicitas exactiones ab eo fieri, & mandatur, ut illæ redigantur ad formam ſtatutam in Tribunali Audientiæ Generalis, de qua mox. Sed quoniam non ſemel inter Judices ordinarios, & Præfectum claſſis maritimæ, circa criminales controverſias diſceptabatur, ideo ſub iiſdem Hiſpanis Regibus lata fuit conſtitutio, relata a Regente Conſtantio *in l. un. Cod. de claſſicis lib.* 11., eaque certæ ſpecies diſtinguuntur, quas ſigillatim exponit de Marin. *in obſerv.* 81. *ad deciſ. Revert.*

V. Videamus modo quiſnam in Regno ſit Judex proprius ceterorum militum. In antiquis legibus Regni hac de re nihil ſpeciale adparet conſtitutum; nam ex noſtris nonnulli, qui opinantur, de ſpecialibus militum Judicibus caveri per Fridericum II. *in conſtit. ut univerſis*, magno in errore verſantur; nam ibi milites pro nobilibus accipiuntur; idque paſſim occurrit in aliis conſtitutionibus, dum milites nominantur una cum Comitibus, & Baronibus, nam hi ſunt nobiles ratione feudi, illi vero ratione cinguli militaris, prout uſus ferebat ea ætate; nam qui cingulum, ſive militare inſigne accipiebat a Principe, efficiebatur nobilis, & dicebatur ſimplex miles, hoc eſt nobilis ſine feudo. Unde apud Scriptores infimæ latinitatis eodem ſenſu ut plurimum nominantur milites. Credendum igitur eſt, ſub Friderico, & deinceps, jus Romanum obtinuiſſe, ut Præfectis militiæ, eorumque aſſeſſoribus in milites juriſdictio competeret; ejuſque rei non leve argumentum eſt, quod licet placuerit Reginæ Joannæ II. *in rit.* 46. omnes cujuſcunque ordinis, & gradus perſonas, exiſtentes in Regno, ordinariæ Magnæ Curiæ juriſdictioni ſubjicere, tamen domeſticos, & familiares Regios excepit, & actu ſervientes: inter quos cenſet Caravita *in comment.* milites adnumerandos eſſe. Sed temporis progreſſu, cum Hiſpaniarum Reges, ſuos in Regnum mitterent Vicarios, eiſque ſummam concederent rei militaris Præfecturam, unde vulgo dicebantur *Capitanei Generales*, hi ſpecialem Judicem pro militibus creare conſueverunt, eumque adpellarunt *Auditorem Generalem exercitus*; fortaſſis, quia ſingulis legionibus & ſui aderant inferiores Judices, ſive Auditores; qui autem univerſalem in omnes obtineret juriſdictionem, *Generalis* eſt adpellatus. Sed quoniam, ſive quod certis legibus

Digitized by Google

gibus nondum ejus Auditoris ſtatuta erat auctoritas ; ſive quod Doctores permiſcebant , & confundebant jus commune , & noſtrum ; unde concertationes quotidianæ, & frequentes inter Magnam Curiam , Judiceſque ordinarios , & Auditorem Generalem, pro aſſerenda propria auctoritate, & juriſdictione : ideo prudenter Lemenſium Comes , dum *anno* 1599. apud nos vices Philippi II. Hiſpaniarum Regis gerebat , Edictum propoſuit , quod refertur *in pragm.* 11. *de milit.* ut deinceps certo cognoſci poſſet , quænam cauſæ proprie pertineant ad forum ejus Auditoris . Adduntur & in *ead. pragm.* §. 1. & *deinceps* nonnullæ exceptiones , quæ utpote claræ , & diſtinctæ non opus habent interpretatione . Illud autem monendi ſumus, cum militaria inſtituta quaſdam regulas induxiſſent , quæ vulgo *ordinationes militares* adpellantur , pro continenda inter milites diſciplina , ideo eorum Duces; & Præfecti ſolent in primo judicio ſententiam adverſus criminum reos pronunciare ; cujus *reviſionem* Princeps committit Auditori Generali ; vel huic , prout melius viſum fuerit , aliquando imponit , ut ab initio procedat. Et quo melius res examinentur , placuit etiam Regi noſtro , peculiares Judices ſtatuere, qui ſimul cum primariis militiæ Præfectis in unum certis diebus convenirent , ad diſceptandas controverſias, & ad punienda graviora crimina inter milites . Sed eorum juriſdictio veluti delegata eſt , nam jure ordinario non judicant , ſed de iis controverſiis cognoſcunt , quæ ſpecialiter a Principe committuntur.

VI. Notatu quoque dignum eſt , quod *in* §. 12. *ejuſd. pragm.* ſtatuitur , nempe conſuetudinem ſervandam eſſe , quæ jam obtinuerat , ut a ſententiis latis per Judices ſpeciales Regiorum Caſtrorum , appelletur ad Auditorem Generalem exercitus. Olim ſane dubitatum fuit apud nos an juriſdictio competeret Præfectis Caſtrorum in eos, qui ibi habitant, & delinquunt. Jure Romano hac de re nihil ſpeciale cautum reperitur ; unde credendum eſt , eos , qui arcibus , lociſque munitis præficiebantur , in milites tantum juriſdictionem exercuiſſe , ceteros vero ordinariæ ſubjectos fuiſſe juriſdictioni ; nam errant turpiſſime , qui *caſtrenſianos* , de quibus agitur in *tit.* 26. *lib.* 12. *Cod.* intelligunt habitantes in caſtris ; Caſtrenſiani enim numerabantur inter Palatinos ſub Imperatoribus Orientalibus , & Palatinis obſequiis erant deputati intra aulam. Cur autem ſic dicti ſint, nos docet doctiſſimus Gothofredus in *l.* 1. *C. T. eod. tit.* Appellabantur Caſtrenſiani , quia erant ſub *Caſtrenſis* diſpoſitione; quomodo *Comitiani* dicti, qui ſub Comite ſacrarum largitionum erant ; *Magiſteriani* , qui ſub Magiſtro officiorum &c. *Caſtrenſis* autem erat primus inter officiales , & miniſtros privatæ , & interioris Principis vitæ; & in ſumma erant domeſtici , & privata ejus familia ; nam caſtrorum adpellatio prima ætate Imperii Orientalis ampliata fuit ad denotandam privatam Principis domum . Quæ ut ſic diceretur , aulicorum adulatio induxit , quaſi quod Imperator etiam ubi degeret in ſecretiori parte domus , videretur caſtris adeſſe & militaria tractare . Hinc reliquus comitatus Palatinorum dicebatur extra caſtra , hoc eſt extra privatum miniſterium. Sed his omiſſis veniamus ad leges Regni . Cum ætate

ætate Normannorum jam uſus loquendi invaluiſſet, ut arces munitæ *Caſtella* dicerentur; inde eorum Præfecti adpellati ſunt Caſtellani, quibus dum concedebatur Caſtellum ſub ſpeciali nexu fidelitatis, dicebatur feudum *Caſtellaniæ*. Quod videtur idem eſſe, ac feudum *guardiæ* cujus ſit mentio in *libris feudorum*. Solebant aliquando ejus generis feuda concedi cum juriſdictione, & mero, mixtoque imperio, ut in *conſuet. Normann.* apud Cangium *v. Caſtellani* : & eo caſu de controverſiis cujuſcumque generis, quæ erant cognitiones, ſpectabant ad auctoritatem Præfecti. At ubi ſimpliciter præfectura concedebatur, juris dicendi officium nullum erat, ſed tantum cuſtodiæ, & certos redditus exigendi, nominatim ab iis, qui carceribus mancipabantur. Qua de re ſic ſtatuit Rex Gulielmus *in conſt. Caſtellani : Caſtellani & ſervientes ab incarceratis, qui eodem incarcerationis die, quacunque hora extiterint liberati, nihil omnino recipiant; ſi autem in eodem carcere noctem incarceratus fecerit, non plus quam dimidium tarenum pro liberatione ab incarcerato ipſo volumus poſtulari*. Quam conſtitutionem, licet æquiſſimam, deſuetudine tamen, abrogatam, ab omnibus, qui carcerum cuſtodiæ præficiuntur ſervandam eſſe, mandat Rex Ferdinandus I. *in pragm. 1. de carcerar. ſeu comment.* Et quamvis pœna adverſus injuſtas exactiones ſtatuta olim fuiſſet a Friderico II. *in conſt. ſi quis Caſtellanorum*; nihilominus abuſus adhuc hodie perſiſtit. Quod attinet ad juriſdictionem, nulla erat, ut diximus, niſi nominatim conceſſa fuiſſet; idque vel ex eo conjicere poſſumus, quod idem Fridericus *in conſt. Caſtellanorum* ſtatuerit, ut eorundem Præfectorum civiles controverſiæ diſceptarentur coram Camerariis regionum, criminales vero coram Juſtitiariis. Sed clarius hæc habentur in legibus Caroli I. Andegavenſis, præſertim *in cap. caſtellanos* 20. ubi ſic ait Rex *: Sed tam caſtellani, quam ſervientes ſolummodo arcium, & caſtrorum cuſtodiæ intendentes, de alio negotio, quod ad juriſdictionem pertineat, ſe nullatenus intromittant. Niſi forſan aliquid aliud caſtellanis per patentes noſtras litteras committatur*. Ex his poſtremis verbis palam eſt, ſolitos aliquando Reges fuiſſe concedere Caſtellanis juriſdictionem; quæ tamen extra caſtra, & perſonas eis addictas non porrigebatur; prout a Carolo II. Andegavenſi *in cap. quod caſtellanis* fuit proviſum. Et huc pertinet *cap. caſtellani 86.* quo prohibetur Caſtellanis *in Terris ipſis aliquos affidatos habere* (vulgo nunc dicimus *Patentatos*, quia ſolent his concedi patentes litteræ exemtionis), *aut ſe intromittere de negotiis Univerſitatum, aut aliquos auctoritate propria capere de perſonis, ratione delationis armorum, aut alia occaſione quacunque*. Sed quoniam paulatim cœpit omnibus Caſtellanis concedi juriſdictio, ea accepta eſt in diſtrictu tantum cujuſque caſtri, & in milites, caſtriſque addictos, etiamſi alibi deliquiſſent, vid. *deciſ.* 458. de Franchis. Unde ſolent aſſumi ad judicandum periti in jure, qui & Auditores nominantur, ſive Judices Caſtrorum. Statuitur propterea *in cit.* §. 12. ut ab eorum ſententiis ſecundum conſuetudinem jam receptam, adpelletur ad Auditorem Generalem exercitus; niſi ubi ex privilegio, vel ad ipſum Principem, vel ad aliquod Tribunal provoca-

vocatio interponenda eſſet.

VII. Statuitur præterea *in* §. *9. ejuſd. pragm.*, ut quæ perſonæ juriſdictioni ſubſunt Auditoris Generalis, vel cujuſcunque alterius militaris Judicis, ad ordinariam juriſdictionem pertineant in cauſis conductionis publicorum vectigalium, aut mercaturæ. Quod optima ratione ſancitum eſt, quia extra militiam ſunt controverſiæ ejus generis. Quæ delicta commiſſa fuere antequam militiæ quis adſcriberetnr, ordinariæ quoque cognitionis eſſe decernitur *in* §. 14., ne detur occaſio poſt patratum crimen, ad militaria munera confugiendi, in fraudem proprii Judicis. At diverſum jure Romano videtur ſtatutum *in l.* 4. §. *reus capitalis D. de re milit.*, quæ pugnat *cum l.* 7. *D. de jud.* Crediderim tamen *cit.* §. 14. locum eſſe, cum ſua induſtria quis ad officium militare pervenit poſt delictum; at ſi id evenit ex voluntate Principis, militaris Judex erit competens. Huic diſtinctioni congruit deciſio Senatus Luſitaniæ apud Georgium de Cabedo *part.* 1. *dec.* 24., nempe privilegium non affectatum, ſed Principis motu proprio conceſſum, prodeſſe etiam ad litem jam cœptam transferendam, vid. *Hillig. Donel. enucl. lib.* 17. *c.* 18. *lit. B.* Ne autem delicta remaneant impunita, & ne detur commodum delinquentibus ſe a judicio ſubtrahendi, & perconſequens a pœnis legitimis, mandatur *in* §. 11. *ejuſd. pragm.* Gubernatoribus ſive Regiis, ſive Baronalibus, ut poſt patratum delictum ab eo, qui Auditoris Generalis ſubeſt juriſdictioni, actus judiciarios conficiant, & ubi delictum tale eſt, ut in carceres conjiciendus ſit reus, ne aufugiat, id ſtatim faciant; & poſtmodum actus ipſos ſimul cum reo tranſmittant ad Judicem competentem; nempe ſi id eveniat in Provincia Campaniæ, ad Auditorem Generalem; in aliis, ad Auditores deſtinatos a Principe. Hæc ſane concordant *cum cit. l.* 1. *Cod. de exhib. & transmit. reis*. Quod dicitur de Auditoribus Provincialibus, intelligendum eſt ex §. 10. *ejuſd. pragm.* ubi ex ſingulis Audientiis unus eligitur Auditor, tanquam Judex ordinarius militum, a cujus ſententia ad Auditorem Generalem interponitur adpellatio. Hæc autem omnia locum habent in militibus, ut ita dicam, extraordinariis, hoc eſt iis, qui delecti ex ſingulis Civitatibus, & Oppidis Regni, non actu inſerviunt militiæ, ſed in repentina aliqua neceſſitate, prout Principi viſum fuerit expedire; de quorum origine, vide quæ ſupra annotavimus *lib.* 2. *cap.* 10. Etenim de militibus mercenariis cavetur *in pragm.* 3. §. *ult. & pragm.* 5. §. 10. *eod. tit.* ut ubi delinquunt, puniantur a ſuis Ducibus; ſed in locis, in quibus hi non reperiuntur, ab iis, qui juriſdictioni præſunt, carceribus mancipentur, quoties graviter peccatum eſt, & certior reddatur, vel Princeps, vel ipſimet Duces, ut legitime in ſontes animadverti poſſit.

VIII. Quod attinet ad ſuperiores, quos diximus extraordinarios milites, quorum inſtitutio potiſſimum fuit, ut occurretur Turcarum in Regni littora incurſionibus; variæ extant proviſiones *in pragm.* 2. *eod. tit.*, tum circa eorum delectum, tum circa militares exercitationes, atque immunitates; quæ confirmantur *in pragm.* 20. & in Provinciis ſubjiciuntur Præſidum juriſdictioni, qui utentur unius ex Auditoribus conſilio, a quorum ſententiis adpellatur ad Auditorem Ge-

Generalem ; Qua in re immutatur *d. pragm.*11.§.10. Auditor autem Generalis eſt Judex ordinarius horum militum in Provincia Campaniæ. His militibus varia decernuntur privilegia *in pragm.* 14. *eod.*, ubi notabile eſt, quod in calce decernitur, nempe tunc ſolum proprio uti poſſe eos milites, cum actu ſerviunt, aut ſunt in procinctu. Quoties immunitates, & exemtiones a publicis ſolutionibus petuntur per eos milites, nullæ ſunt partes Auditoris Generalis, ſed id nominatim decernitur pertinere vel ad Collaterale Conſilium, vel ad Regiam Cameram *in pragm.* 13. *in fin. eod.* Denique *in* §. 1. *cit. pragm.* 11. prædicti milites, eorumque Duces in civilibus cauſis ordinariæ ſubſunt juriſdictioni. Quod idem, & de iis ſtatutum eſt in §. 7., qui poſt miſſionem ſtipendio adhuc militari aluntur de Ærario Principis, ſcilicet ut degentes extra urbem, cognoſcantur ab Ordinariis locorum Judicibus in cauſis civilibus. Qui de familia Principis ſunt, ideſt adſcripti in numero ordinariorum famulorum Aulæ etiam comprehenduntur in juriſdictione Auditoris Generalis §. 5. *eod.*

CAPUT II.

De officio Judicis, qui dicitur Generalis, ſive Commiſſarius Campaniæ. Et de fide publica criminum reis danda in certis caſibus: vulgo de Guidaticis.

INTER peculiares Judices apud nos eſt & ille, qui vulgo dicitur *Commiſſarius Campaniæ*. Cur inſtitueretur, occaſionem præbuit graſſatorum viarum, & proſcriptorum multitudo, quæ miſerandum in modum cædibus, rapinis, & cujuſcunque generis vi, tum publica, tum privata vexabant Provincias noſtras anteacto jam ſæculo. Cui malo ut occurreretur, quemadmodum in ceteris Provinciis commiſſum fuit Præſidibus, ut extra ordinem adverſus eos procederent delegationis jure, ſive ad *modum belli*, prout expoſuimus *lib.* 2. *c.* 12., ita & in Provincia Campaniæ, in qua ipſa Urbs, totius Regni caput, Metropolis eſt, ubi reſidet Magnæ Curiæ Tribunal, idem dari cœpit negotium uni ex Judicibus ejuſdem, ut continuo eam Provinciam peragraret, ad eoſdem facinoroſos compeſcendos. Nec credendum eſt, diu ante annum 1630. id ſtatutum fuiſſe; nam eo anno pragmaticam edidit Dux Alcalenſis ſub Regno Philippi IV. Hiſpaniarum Regis, ad formam ſtatuendam, qua Judex ille ſe gerere deberet; & veriſimile non videtur, multos per annos, illius munus ſine certo jure, certiſque legibus conſtitiſſe. Cur autem Commiſſarius Campaniæ dictus ſit, non uſquequaque inconcinna eſt ratio; nam & in uſu latini ſermonis haud abſurde Commiſſarius Judex dici poteſt is, cui ſpecialiter mandata ſit, ſive commiſſa juriſdictio, vid. *Pollet. hiſt. for. Rom. lib.* 3. *c.* 15. Cum igitur peculiariter, & ſpeciatim certorum criminum animadverſiones committi cœperint ejus generis Judici, recte Commiſ-

miſſarii vocabulo deſignatus ille fuit. Ut autem innuit *in cit. conſt.* Ducis Alcalenſis, quæ eſt *pragm. un.* §. 12. *de offic. Jud. general.* non de omnibus criminalibus cognitionem habet hic Commiſſarius, ſed tantum de iis, quæ exprimuntur *in prag.* 10. §. 48. *de offic. Jud.*, & in quibus facultas datur Regiis Audientiis procedendi ad modum belli; idque a nobis explicatum eſt *in cit. c.* 12. Additur in *eod.* §. 12. Commiſſarium non poſſe propria auctoritate contumaces, aut iniquiſitos ex aliis delictis, qui in carceres conjecti jam ſunt, puniendos remittere ſuis Judicibus, niſi ſpecialis ea de re facultas conceſſa ſit a Principe; ſed debere eos tranſmittere ad Magnam Curiam, a qua decernetur ſuper cauſæ remiſſione. Verum *ex pragm.* 25. §. 1. *de offic. & his quæ eis prohib.* ſtatutum eſt, petente Barone remiſſionem cauſæ, poſſe id fieri a Commiſſario, dummodo antea per relationem ille conſuluerit *Superintendentem Campaniæ*. Extant & *in ead. prag. un.* varia, quæ imponuntur eidem Commiſſario mandata, tum circa loca, in quibus ordinarie debet ille reſidere, tum circa numerum ſcribarum, militum &c. eorumque diſciplinam, ne ulli, & præſertim Univerſitatibus damnum, aut incommodum afferant. Quæ licet perſpicue admodum extent in ea lege; tamen, ut ſolent eſſe ejus generis innumera alia, quæ paſſim inculcantur, & repetuntur in pragmaticis, uſu redduntur irrita. *In pragm. an.* 1738. §. 8. menſtruum Commiſſarii ſalarium redigitur ad centumquinquaginta aureos, ſublatis, quæ fieri ſolebant, minus æque, exactionibus. Varia decernuntur *in ead. prag.* circa actorum Magiſtros, ſcribas, aliaſque perſonas ejus miniſterio addictas, quæ opportunius explicabimus infra.

II. Illud autem ſilentio hic prætereundum non eſt, quod *in ead. prag. un.* §. 6. & *infr.* decernitur circa *Guidatica* concedenda per Commiſſarium. Eſt ſane verbum hoc *Guidaticum* omnino barbarum, & *ſalvuſconductus* etiam dici ſolet. Fortaſſis ea voce primum ſequiori ætate uſi ſunt bellorum Duces ad denotandum, ſive ſcripturam aliquam, qua, fide hoſtibus data, poſſent hi libere de uno in alium locum ſeſe transferre, vel quid aliud facere, quod jure belli prohibebatur. Et ut ſub fide publica ſecuriores illi eſſent, comites ſibi adjungebant ex familia ejus, qui fidem dederat; quos vulgari loquendi uſu dicimus *Guide*. Apud Cangium *v. Guidaticum* charta Alfonſi Regis Aragonenſis *anno* 1290.: *Confitemur nos dediſſe treguam, guidaticum, & aſſecuramentum, per nos, & per omnes valitores noſtros, ac ſequaces, homines, & terras noſtri, & eorum &c.* Sed intercedentibus annis idem vocabulum adhibitum fuit pro fide data criminum reis, ut libere poſſent, ſive coram Principe, ſive Magiſtratu ſe ſiſtere, vel ad complices detegendos, vel ipſum crimen liquido aperiendum, vel ad quid aliud enunciandum alicujus momenti. Apud eundem Cangium *charta m. s.* Curiæ Generales Catalaniæ *an.* 1320. *Talis bannitus aſſecuretur per officialem &c. & ſic bannitus tranſacto tempore dicti guidatici &c.* Solebant & Romani aliquando, præſertim ubi ſuſpicio erat, ne aliquid Reſpublica detrimenti caperet, ſceleris indici impunitatem promittere; cujus rei notabile extat exemplum apud Salluſt. *in bello Catil. c.* 48. *Volturcius interrogatus de itinere, de literis, poſtremo quid, aut qua de cauſa, conſilii habuiſſet, primo fingere alia,*

alia; diſſimulare de conjuratione. Poſt ubi fide publica dicere juſſus eſt, omnia uti geſta erant, aperit, docetque &c. At in Romanis legibus nullum extat veſtigium, unde deſumi poſſet uſus, qui poſtmodum invaluit, apud nos præſertim, ut aſſecurationes, ſive guidatica concederentur ſententiam jam paſſis reis, ſive condemnatis: nam quod vulgo Doctores poſt Bartolum id deſumunt ex *l. relegati* 4. *D. de pœnis* inter ipſorum falſas interpretationes adnumerandum eſt; cum ibi Juriſconſultus tantum afferat, graviori pœna adficiendum relegatum, aut deportatum, qui interdictis locis non excedit; & neminem, niſi Principem poſſe commeatum, remeatumque dare exuli. Sed quid hoc ad *guidaticum*; quandoquidem licentia commeandi, & remeandi, quæ concedi ſolebat ab Imperatore, erat tantum intra breve temporis ſpatium, unde exul poſſet, neceſſitate cogente, ad loca interdicta accedere & ſtatim recedere? Et ut facile eſt falſis illationibus alias ſuperaddere, ex eadem lege deducere voluerunt morem concedendi guidaticum, imo indultum, ſive abolitionem proſcriptis jam ob crimina enormiſſima, ad hoc ut illi vel capiant, vel occidant conſcios, ſive aliorum criminum reos; prout videre eſt apud de Ponte *de pot. Poreg. tit.* 10. §. *de ſalvoconductu*. Fateor equidem, publicæ ſecuritatis gratia, ut facinoroſi, & perditi conſilii homines penitus extirparentur, quibus miſerandum in modum abundare tunc ſolebat Regnum, tale remedium optimum fuiſſe; ſed nollem id Romanis legibus tribui, ſed potius corruptiſſimis moribus noſtris, unde neceſſarium fuit, quemadmodum clavus clavum trudit, ſic malo malum repellere. Nam ſi ad leges Romanas recurrere volumus, nihil permittitur alicui reo jam effecto, pollicenti, ſe quid facturum contra maleficos; ut diſerte docemur *ex l.* 5. *in fin. D. de re milit. Qui transfugit, & poſtea multos latrones apprehendit, & transfugas demonſtravit: poſſe ei parci Divus Adrianus reſcripſit. Ei tamen pollicenti ea nihil permitti oportere.*

III. Cum autem ſit facillimum, remedium ſui natura minus bonum in peſſimum venenum transformari; ideo variæ leges rogatæ fuerunt in Regno ad abuſum in guidaticis removendum. Et primo ſeſe offert prudentiſſimi Regis Ferdinandi Aragonenſis conſtitutio, quæ eſt *pragm.* 1. *de guidaticis*, qua decernitur, guidatica, ſive aſſecurationes a Principe generalibus verbis conceſſas, intelligi debere de crimine commiſſo in perſonas, vel bona non ſubditorum; quemadmodum & de contractibus; nam videretur iniquum, fidem datam a Principe, detrimento ſubditis fore. Unde ſuæ conſtitutionis hanc rationem Rex adfert: *Abſurdum enim eſſet, & ab officio boni Principis alienum, ſi juriſdictione noſtra guidaremus eos, & aſſecuraremus, qui fidelibus noſtris obligati eſſent; aut eos, ſeu ipſorum quempiam damno aliquo affeciſſent: quorum quidem & fidelium noſtrorum commodis, & utilitati, ſi recte imperare volumus, vigilare debemus.* Magnifica ſane vox, & magno Principe, ac ſapiente digna. Ex hac lege infertur, ætate Ferdinandi uſum fuiſſe, aſſecurationes exteris tantum concedendi, aut Regnicolis, qui in aliis regionibus, ſive delinquendo, ſive contrahendo, obligati eſſent; unde confugiebant ad Regem, tanquam jus aſyli implorando. Quod concedebatur quidem, verum tacita inerat conditio, dummodo ſubditis damnum non inferretur, ut dictum eſt. Hanc conſtitutionem dum minus recte explicant noſtri, alienis a propoſito

eam

Digitized by Google

eam onerant quæſtionibus, ut fecit Tapia, & Rovitus. Sed hæc leviora. Illud vero neutiquam ferendum eſt, quod ex prava legum interpretatione, quæ ſolet eſſe ordinaria forenſium conſuetudo; etiam Judices ſibi aſſumebant facultatem guidatica concedendi; unde quod jam prohibitum erat ipſo jure, ſiquidem abſolvere tantum, aut condemnare poſſunt Judices ex legum præſcripto, non impunitatem delictorum concedere; neceſſarium fuit, ut nova conſtitutione prohiberetur, quæ eſt *prag. 2. de guidat.* eaque cautum, ne deinceps inconſulto Principe id fieret ſive a Regente, ſive a Judicibus Magnæ Curiæ. Verum quod non licet Regiis Magiſtratibus, cenſent Pragmatici licere Baronibus, ex vulgari, quam ſuo loco expoſuimus, diſtinctione inter juriſdictionem in officium, & in proprietatem: & ex generali ratione, quod Barones habent merum, & mixtum imperium, & quatuor literas arbitrarias; quæ ad guidatica concedenda omnino nihil faciunt. Communem hunc errorem probat de Franchis *dec.* 370. *n.* 4. *de Ponte de pot. Proreg. tit.* 1. §. 4. *n.* 53. *Capiblanc. in prag. 6. de Baron. c.* 31. Et quamvis eadem prohibitio repetita ſit, & generalibus verbis expreſſa *in prag.* 12. §. *6. de official. & his quæ eis &c.*, ut nemo poſſit guidatica concedere, niſi Principis interveniat conſenſus; tamen noſtri omnino volunt, Barones exceptos intelligi. Quoniam autem opinionum commenta paulatim in foro vim legis accipiunt; ideo facultatem guidandi inter ſua privilegia ſibi vindicare ſolebant Barones; unde occaſio dabatur latronibus, homicidis, omnibuſque iis, qui ob ſcelera commiſſa judicium metuebant, ad aliquem ex Baronibus confugiendi, qui ſtatim præſto habebat Doctorum auctoritatem, & conſilium, privilegia prætendendo, & eis tutum perfugium pollicebatur, ſub guidatici nomine. Quod cum peſſimi eſſet exempli, unde horrenda paſſim graſſabantur crimina; ideo prohibitum fuit, ne deinceps fieret per legem Ferdinandi Catholici, quæ refertur *in prag.* 1. *de receptatoribus* ubi notabilia ſunt illa verba: *Conſiderantes, quod nonnulli Barones dicti noſtri Regni, prætendentes habere facultatem guidandi, & aſſecurandi quoſcunque malefactores in eorum terris, in vim privilegiorum; aut alias eoſdem homicidas, gladiatores, latrones ceteroſque facinoroſos, & malefactores receptant: & hinc ad delinquendum datur pronior licentia, & temeritas. Cupientes igitur &c.* Hæc verba manifeſtiſſime evincunt, verum omnino eſſe, quod alibi monuimus, innumeras in corpore noſtrarum legum conſtitutiones abſuturas, ſi in foro ſolidioris juriſprudentiæ ſtudium plus virium habuiſſet; etenim ignorantia, & malitia forenſium novis abuſibus occaſionem præbuit, quibus & novæ leges occurrere voluerunt. Sed eadem imperitia permanente, inutilis, & otioſa cujuſcunque generis induſtria evadit. Quod ex ipſa re, qua de agimus, documentum certiſſimum habemus. Etenim de Ponte *loco cit. n.* 57., dum ſuperiorem Regis Catholici legem proponit, interpretari eam, atque reſtringere nititur ad ſolum caſum *receptationis*; quando ſcilicet exteros delinquentes volunt Barones in locis ſuæ juriſdictionis receptare, iiſque guidatica concedere; ac proinde concludit, non obſtante ea pragmatica poſſe adhuc Barones guidare proprios vaſſallos: unde ſic ſcribit: *Igitur ſi ſalvusconductus non importabit rece-*

B 2

receptationem, *non erit contra noſtram pragmaticam*; *& conſequenter ſi eatenus*, *& in tantum tollit*, *quatenus*, *& in quantum eſt contra pragmaticam*, *non intelligitur extra receptationem abdicata guidandi poteſtas*; *quia pragmatica de receptatione tantum loquitur*. *Quæ omnia intelligo de vaſſallis propriorum Baronum a ſua juriſdictione bannitis*, *& qui in ea deliquerunt*, *ſuntque ipſorum juriſdictioni ſubditi*, *non autem de ſubditis aliorum domini*; *caret enim tunc omni prorſus juriſdictione*; *hoc eſſet de ſuprema Regis poteſtate*; *& hoc penitus prohibet pragmatica*. Hæc ſcholaſticorum more diſputatio, conveniens ſane eſt abſtractis Philoſophorum quæſtionibus, quæ ſive in unam, ſive in alteram partem recipiantur, parum intereſt: at abſona prorſus eſt, ubi agitur de criminibus puniendis, de impunitate ſceleratis hominibus non concedenda; denique de publica ſecuritate. Extat, haud inficias eo, pragmatica ſub titulo ed *receptatoribus*, loquitur de iis ſpeciatim; ſed quia in eo caſu frequentior tunc erat abuſus, & perniciosior. Verum ratio, unde deſumitur mens Legislatoris, generalis eſt, ſcilicet ad extirpandos perverſos criminoſos; quod evenire nequit, niſi ubi prohibeantur iis guidatica, ſive ſint exteri, ſive vaſſalli Baronum. Imo in his magis offenditur publica diſciplina, dum a punitione criminum exemti conſpiciuntur incidere in iiſdem locis juriſdictionis baronalis, in quibus deberent ad exemplum ceterorum pœnas luere. Sed quid amplius argumentis egemus, cum ipſemet Ferdinandus in fine conſtitutionis voluerit generaliter guidatica prohibere, ſive Baronibus, ſive Judicibus, aliiſque perſonis quibuſcunque? Igitur quomodo diſtinguemus vaſſallos ab exteris, ubi ſermo eſt de Judice? Fallitur autem de Ponte, dum confundit ſalvumconductum, quem aliquando juſtis de cauſis jure ordinario quilibet Judex concedere poteſt, cum guidatico; unde ſic ait *n.* 58. *Concludo igitur*, *ex cauſa Barones hoc facere poſſe indubitanter*; *quia idem poteſt Judex &c.* Quomodo poteſt Judex, cum expreſſe prohibetur a noſtris legibus? Guidaticum, de quo loquitur pragmatica, & paſſim ejuſdem generis leges, & uſus forenſium, intelligitur aſſecuratio propoſita reo, ob illius pollicitationem de aliquid faciendo pro Curia; idque concedendum non eſt, niſi adſit Principis licentia: at ſalvusconductus cum dicitur, ſpeciali ſignificatione denotat ſecuritatem factam a Judice, ut inquiſitus tute, ac libere venire poſſit in judicium, ſive ad reſpondendum interrogationibus judicialibus, ſive ad factum alicujus momenti revelandum; & inde diſcedere, aut permanere, ſuiſque defenſionibus uti. Quod fieri poſſe aliquando ex certis, & juſtis cauſis late probat Carpzovius *p.* 3. *pract. rer. crim. qu.* 112.

IV. Graſſante igitur facinoroſorum multitudine, viſum fuit publice expedire, a Principe guidatica concedi, ut paulatim malefactores extinguerentur, & propriis viribus ſenſim deficerent. Sed quoniam in diverſis Regni Provinciis occurrendum olim erat ſubitis, atque inopinatis exceſſibus, ne opportuna aliqua, & præpropera occaſio dilaberetur: ideo ſolebat eadem facultas guidandi tum Regiis Audientiis permitti, tum Commiſſario Campaniæ; verum quibuſ-

buſdam regulis, ac conditionibus. Primo guidatica conceſſo non interrumpere inceptum jam criminalis judicii curſum, ſtatuitur *in prag. 3. de guidaticis*, qua cavillationibus forenſibus remedium allatum eſt. Dixi cavillationibus forenſibus; etenim introducto legibus noſtris judicio forjudicationis (quod licet aliquo modo dici poſſit extraordinarium; tamen neceſſarium fuit inſtitui ad facinoroſos deterrendos, prout exponemus ſuo loco) conati ſunt Pragmatici illud reddere eluſorium variis exceptionibus, ac ſtrophis forenſibus, quas illi ſuo more adpellant *peritorum* cautelas: *& remedia juridica*; inter quæ illud receptum fuerat, ut citatus quis *ad informandum*, *& ad capitula* (hæ ſunt formulæ in judicio criminali uſitatæ, & quæ præcedunt ſententiam forjudicationis, quaſque ſuo etiam loco explicabimus) interim peteret giudaticum; quo impetrato, ſapientes in *criminali practica* cenſebant, impediri judicium forjudicationis, ac proinde citationem nullam fieri. Inter veros Juriſprudentiæ ſtudioſos, non dico ejuſmodi opinionem, ſed ne dubium quidem ullum exiſtere potuiſſet; nam quis unquam affirmare eſſet auſus, dilationem conceſſam a ſuperiori interrumpere ordinem judiciarium, cum illa tantum ſit ad impediendam exequutionem ſententiæ? Sed in foro facillime recipitur quidquid deſervit injuſtis exceptionibus promovendis, aut delictorum impunitati fovendæ, dummodo *Sapientis* accedat auctoritas: unde poſtmodum, experientia malum monſtrante, remedio legis opus eſt; prout fecit ſuperior *pragmatica*, qua proviſum fuit, ut non obſtante fide publica conceſſa per guidaticum, ob aliquod ſervitium pro Curia factum, vel faciendum, poſt citationem currere debeat ſpatium legitimum pro contumacia rei, ex qua perveniri poſſit ad forjudicationis decretum.

V. Quædam obſervanda ſunt in guidaticis concedendis, tum circa locum, tum tempus, tum qualitatem delicti, tum perſonas. Circa locum, guidari non poſſunt qui in hac Civitate deliquerunt, utpote totius Regni Metropoli, & in qua minori opus eſt indulgentia erga reos; quod nominatim prohibetur Commiſſario Generali *in pragm. un.* §. 7., niſi antea conſulatur Princeps. Idem repetitur *in* §. 11. ubi, & illud additur, guidatis omnino interdicendum, ſive ad hanc eandem Civitatem, ſive ad locum accedere, ubi degit is, cujus intereſt crimen puniri, vulgo *pars offenſa*. Verum ſi publice expediat quid fieri alicujus momenti, tunc talis prohibitio ceſſat; modo antea certior reddatur vel ipſe Princeps, vel *Superintendens Campaniæ*. Exprimitur etiam *in eod.* §. nec etiam permittendum *Guidato* ad propriam patriam accedere. Cujus prohibitionis ratio obſcura admodum non eſt, ſcilicet ne perverſi, ac facinoroſi proniores evadant ad delinquendum, cum videant gravioris criminis reum ſecure, ac tranquille in ſua patria commorari, eoſdemque lares, ac penates in pace, otio inviſere, quibus ante crimen utebatur. Sed hæc non placent de Marinis *lib. 1. reſol. c. 161.*, ejuſdemque farinæ Doctoribus, qui diſtinctione facta inter patriam ratione originis, ac ratione domicilii, congerendo Bartoli, Baldi, aliorumque doctrinas, pro certo ſtatuunt, priorem illam, in caſu, de quo agimus, patriam intelli-

Digitized by Google

telligendam eſſe ; unde concludunt, guidatum, etiamſi expreſſe injunctum ei fuerit a Judice, ne in propriam patriam accederet, liberandum ſub fide publica, quoties inventus fuerit in propria domo, ubi commorabatur ante crimen commiſſum, dummodo aliunde originem traxerit nativitatis. Sed quænam eſt iſta tam perverſa juris interpretandi methodus, cum majus adpareat ſcandalum, videre criminoſum in proprio domicilio, quam in loco, ubi natus eſt, cujus fortaſſis inter concives nulla adeſt memoria ob diuturnitatem temporis? Quando agitur de remediis extraordinariis, publica utilitas præ ceteris conſideranda eſt, non generalia Doctorum axiomata, non inutiles diſtinctiones, prout faciunt Pragmatici; quorum hac de re diſputationes una litura delendæ ſunt. Quid plura? Refert idem de Marinis, olim noſtris placuiſſe, & in Collaterali Conſilio adprobatum, prohibitum accedere ad propriam patriam, in pœnam prohibitionis non incurrere, quoties ſuburbiis commoratur. Qua deciſione nihil aptius excogitari poteſt ad eludendas & legum ſanctiones, & Judicum ſententias. Et fortaſſis ad hanc pravam opinionem amovendam, ſuperiores pragmaticæ, dum prohibent Guidatis ad hanc Civitatem accedere, nominant etiam ſuburbia, nec non vicos, & oppida, quæ continentur in territorio Neapolitano. Denique illud cavetur *in cit. pragm.* 10. §. 72. ut neque a Præſidibus Provinciarum, neque a Commiſſario Generali concedi poſſint guidatica iis qui extra Regnum deliquerint. Excipitur tantum Præſes Aprutii, qui, adhibito Auditorum conſilio, ejus generis guidatica concedit recte; verum ſtatim tenetur eam rem ad Principem referre. Videntur tamen ab hac facultate omnino excepti qui delinquunt in locis Pontificiæ ditionis *ex pragm. 3. de perſequendis maleficiis*.

VI. Circa tempus, mandatur *in ead. prag.* 10. §. 69. *&* *prag. unic.* §. 11. non concedenda guidatica, niſi ſex menſes elapſi fuerint a die commiſſi delicti. Hæc ſane guidatica intra certum temporis ſpatium concedenda ſunt, veluti decem, aut viginti dies, prout rectius Judici videbitur, ne ſub fide publica adquieſcat reus, & nihil faciat pro Curia. Unde cavetur *in cit. prag.* 10. §. 70. non concedendam prorogationem temporis, niſi fiat mentio alterius conceſſionis antecedentis. Et *in cit. prag. un* §. 6. Guidaticum non dandum a Commiſſario, niſi aliquid antea factum fuerit pro Curia; quod ſi promittitur faciendum, ne fraus interveniat, ſemel tantum, aut bis prorogatio erit concedenda: ultra vero non audietur. Quod attinet ad qualitatem delicti, primo prohibetur guidaticum concedi in crimine Sodomiæ *prag.* 1. *&* *ult. de Sodomia*; in cujus calce idem prohibetur in blaſphemia prolata in Nomen Divinum, Chriſti Domini, aut Sanctiſſimæ Virginis. Secundo, qui ad extorquendam pecuniam, nuncium, aut litteras mittunt, minitantes combuſtionem in ſatis, & ſegetibus, & facto id exequuntur, non ſolum ſeveriſſimis pœnis, tam ipſi, quam nuncii merito afficiuntur *ex prag.* 13. *de exulibus*, ſed etiam ab omni indultu, & guidatico excluduntur. Quod *in pragm. ſeq.* ampliatur etiam ad eos, qui ob eandem cauſam aliena animalia ruri permanentia occidunt. Tertio, qui falſas monetas conficiunt, videntur etiam

Digitized by Google

etiam excluſi a guidatico ob generalem prohibitionem, qua illi nequeunt, niſi cum expreſſa Principis licentia, ad cujuſcunque generis indultum, aut compoſitionem admitti *ex prag. 17. de moneris*. Denique crimen læſæ majeſtatis divinæ, vel humanæ exceptum ſemper cenſeri a fide publica conceſſa, colligitur *ex pragm. 24. §. 7. cit. tit. de exul.* Circa perſonas, *in prag. un. de piratis*, prohibetur piratis quibuſcunque fidem publicam dare, ut libere accedant ad loca maritima Regni, etiamſi id fuerit obtentu pretii recipiendi ob redemtionem alicujus captivi; ne ſcilicet hoſtes ea ratione poſſent cognoſcere quæ ſibi profutura viderentur in perniciem Regni; & propterea *in pragmatica* id probibetur ſine ſpeciali Principis licentia in ſcriptis redacta. Ad perſonas quoque pertinet quod legitur *in not. ad cit. pragm. ult. de guidat.*, nempe a Præſidibus, vel Audientiis fidem publicam concedendam non eſſe illis, qui in exilium miſſi, & relegati ſunt. Confunduntur hic, quemadmodum & in legibus Regni paſſim, & in Judicum ſententiis, exules, & relegati; unde apud nos pœna exilii, & relegationis non diſtinguitur; nam utroque vocabulo promiſcue utimur ad denotandam pœnam, qua quis prohibetur ad certum locum accedere. Sed in uſu latini ſermonis, & in Romanis legibus hæc aliter ſeſe habent; nam exules iidem erant, ac deportati, & deportatio ſucceſſit in locum interdictionis aquæ, & ignis, vid. Cujac. *lib 6. obſerv. cap. 39.* idque lege ab Auguſto lata apud Dionem *lib. 56.*, nam olim interdictis aqua, & igni, ſive a patria expulſis, libera erat vagandi facultas: Auguſtus autem ſtatuit, ut inſulis includerentur, neque Imperii quietem perturbarent. At relegati mitiori pœna afficiebantur, nec cives eſſe deſinebant: contra exules capitali pœna cenſebantur affecti, vid. *l. 2. D. de publ. jud.* & per conſequens capite deminuti dicebantur, hoc eſt nullum jus amplius habere in civitate. Exul ſive deportatus ſemper damnatus erat in perpetuum, relegatus damnari quoque ſolebat ad certum tempus; unde pœna perpetuo permanendi in deſignata inſula, cenſebatur incluſa ipſo verbo deportationis, vel exilii; in relegatione vero exprimendum erat tempus *l. 7. §. hæc eſt D. de interd. & relegat.* Erat & aliud diſcrimen inter utrunque: Deportatus amittebat omnia bona, quæ redigebantur in Fiſcum; relegatus retinebat, niſi ſpecialiter ademta fuiſſent in ipſa ſententia *l. 8. Cod. de pœnis.* Quæ omnia, de ſe ipſo loquens, ſic exprimit Ovid. *Triſt.* V. *El.* XI.

> *Nec vitam, nec opes, jus, nec*
> *mihi civis ademit;*
> *Nil niſi me patriis juſſit abeſſe*
> *focis.*
> *Ipſe relegati, non exulis utitur*
> *in me*
> *Nomine.*

Moribus noſtris raro uſurpatur exilium, aut relegatio, certo loco deſignato; ſed qui tali modo damnantur, adpellari vulgo ſolent *confinati*; ſcilicet qui perpetuo ad certum aliquem locum, certamve juriſdictionem; bonis ademtis, ſub pœna capitali in caſu receſſus, amandantur; unde ſimiles ſunt deportatis, vid. Jaſon. *in l. 4. Cod. de hered. inſtit.*

CA-

Digitized by Google

CAPUT III.

De Scribis, & generaliter de omnibus iis, qui actis judiciariis conficiendis dant operam.

EX quo primum literarum uſus fuit adinventus, ut memoriæ conſuleretur, veriſimile eſt, ſcribendi, notandique artem nullam peculiarem fuiſſe; ſed unumquemque ſigna jam recepta pro vocum ſingularum formatione adhibuiſſe, & ſuamet opera exaraſſe in tabulis, aliave materia ad rem magis idonea. Verum procedente tempore, ſive ad inſtructionem artium, & ſcientiarum, ſive ad commodum publicarum, privatarumque rerum; cum ſcribendi conſuetudo eſſet frequentior, & per conſequens major diligentia, & labor, peculiaris ea facta eſt quorundam facultas, & peritia. Hinc, ne in vetuſtiſſima tempora inquiramus, memoriæ proditum eſt; Carolum Magnum Imperatorem, licet in ſcientiis verſatum, ſcribendi imperitum fuiſſe; quia ars ejuſmodi non omnium literatorum cenſebatur propria; & neceſſaria; ſed veluti acceſſoria; unde poterat quis & aliena opera uti. Et crediderim libenter, inter cultas Nationes inductam fuiſſe conſuetudinem, ut certi, & deſignati homines exiſterent, quorum munus eſſet, publicarum rerum monumenta literis conſignare, ne Magiſtratus, omneſque ii, qui ſummæ rerum præerant, hujuſmodi cura detinerentur. Inde paulatim factum fuit, ut qui tali verſabantur in officio, peritiam earum rerum nanciſcerentur, unde ſe promtos, paratoſque præbebant ad ſuggerenda, quæ jam ſcripturis tradita, pene ab aliorum memoria exciderant; & propterea in pretio habebantur, & inter perſonas numerabantur publicis muneribus addictas. In antiqua Hebræorum Republica præter Sacerdotum ordinem, & eorum, qui Doctores, & Periti dicebantur, non levis auctoritatis erant Scribæ; quorum ſcilicet cura erat, & libros ſacros, & leges, actaque publica ſcriptis mandare, & conſervare. Quod munus non tantum peritiam, ſed & fiduciam probitatis, atque honeſtatis morum requirebat; ac proinde honorificum cenſebatur, prout apud Græcos olim; idque probant verba Cornelii Nepotis *in vit. Eumenis c. 1. Itaque eum habuit ad manum* (loquitur de Philippo Macedonum Rege, & de Eumene) *Scribæ loco. Quod multo apud Grajos honorificentius eſt, quam apud Romanos. Nam apud nos, revera ſicut ſunt, mercenarii ſcribæ exiſtimantur. At apud illos contrario, nemo ad id officium admittitur; niſi honeſto loco, & fide, & induſtria cognita. Quod neceſſe eſt, omnium conſiliorum eum eſſe participem*. Sed hic videtur Nepos privatos ſcribas non diſtinguere a publicis; illi enim Amanuenſium opera fungebantur, unde pretio conducebantur a quibuſcunque: at hi negotiis, publiciſque actis conficiendis incumbebant; & propterea eorum ordinem honeſtum adpellat Cicero *orat. 5. in Ver. quod eorum*

eorum hominum fidei tabulæ publicæ, periculaque Magiſtratuum committantur. Et in orat. pro domo ſua idem confirmat. Munus, atque officium eorum erat, publicas rationes in tabulas referre, leges, & acta in commentarios redigere; unde & Commentarienſes adpellabantur *l. in fraudem* 45. §. *quoties apud fiſcum D. de jure fiſci;* cujus ſententia notabilis eſt, nempe a Fiſco, ſive a Procuratore Cæſaris, apud quem agitur, peti poſſe editionem, hoc eſt exhibitionem actorum judicialium, ut jure, meritoque eis ex cauſa uti liceat litiganti cum fiſco. Hæc autem acta, ut fidem facere poſſint, habere debent ſubnotationem, ideſt ſubſcriptionem Commentarienſis; *nempe* (explicat Cujacius) *officialis Procuratoris Cæſaris, a commentariis, ſive ab actis, qui etiam Actuarius dicitur, gallice ſon graffier*. Quamvis autem Scribæ generali nomine *Apparitorum* comprehenderentur, quia Magiſtratuum imperio præſto erant, a parendo, vel apparendo; nam & apud latinos ſcriptores apparere aliquando ſignificat præſto eſſe ad obſequium; tamen diſtinguebantur ab Accenſis, Viatoribus, Præconibus; quia illi utplurimum ex ingenuis deſumebantur, hi vero a libertinis; & ſolebant eſſe liberti ejuſdem Magiſtratus, a quo ad tale officium aſſumebantur, vid. *Sigon. de antiquo jur. civ. Rom. lib.* 2. *c.* 15. Verum ſtante Republica cœperunt Scribæ inſolenter ſe gerere (quod facile eſt in hominibus ſcientiarum peritia deſtitutis, & verſatis tantum in verborum congerie, formularumque complexu; idque noſtris temporibus paſſim videmus); unde eorum audaciam repreſſit Cato Cenſorius; de quo ſic ſcribit Plutarchus in ejus vita: *Cato cum quæſturam iniiſſet, Miniſtros, & Scribas coercuit, qui publicas tabulas, legeſque tractantes, cum adoleſcentes nacti eſſent, quibus Magiſtratibus apparerent, quod ii propter inſcientiam magiſtris egerent, poteſtate non cedebant, ſed ipſi erant Magiſtratus. Eos vero Cato Apparitorum loco, ut erant, tractavit, cum alios fraudis, alios inſcitiæ inſimularet &c.* Denominationem autem ſortiebantur plerumque a Magiſtratu, cui præſto erant; ac proinde legimus Scribas Quæſtorios, Ædilitios, Prætorios; nempe lectos vel a Quæſtore, vel Ædili, vel Prætore.

II. Cum autem Scribarum numerus auctus eſſet Romæ, cœperunt illi in certum ordinem redigi, ſive propriam Decuriam conſtituere. Erant quidem Decuriæ, varii hominum ordines, ſive certa corpora, & ſocietates perſonarum, ut colligitur *ex l.* 3. §. *a municipibus D. de bonor. poſſ. & l. mortuo* 22. *D. de fidejuſſ.* & Collegia quoque dicebantur, vid. *l.* 2. *C. de curial. urb. Romæ lib.* 11., *& Cujac. lib.* 21. *obſerv. c.* 10. Et quemadmodum fabrorum erant Decuriæ, ita & librariorum, fiſcalium, cenſualium, prout nominantur *in l.* 1. *C. T. de decur. urb. Rom.* Librarii proprie erant qui libris, & actis tranſcribendis incumbebant; & ab iis diverſum Collegium conſtituebant Scribæ, ut notat Gothofredus *in cit. l.* 1. Hi enim acta Senatus excipiebant, concipiebant; unde apud Vopiſcum *in vita Prob. Imper.* leguntur Scribarum Regeſta; eorumque munus quoque erat, ut diximus, formulas exſcribere, actuſque judiciarios coram Magiſtratibus. Fiſcales fortaſſis erant, quibus ſpecialis cura inerat publicas rationes conficiendi; unde quidam, eoſ-

eoſdem cenſent eſſe, ac ſervos publicos, quorum opera olim & Romæ & in municipiis negotia aliquando perficiebantur, quæ publice omnium intererant, vid. *l.* 18. *D. de adopt. & l.* 1. *§. exigere D. de Magiſtr. conven.* & inde ſervi Civitatis adpellantur *in l. ult. D. quod cujuſque univerſ.*, qui juſſu Magiſtratus ſolebant aliquando pro pupillis ſtipulari, quoties illi abſentes erant, nec ſervum proprium habebant *l.* 2. *D. rem pupilli ſalv. for.* Denique Cenſuales dicebantur, qui cenſum agebant, & cenſuales libros tractabant, vid. *l.* 27. *C. T. de Prætor. l.* 4. *C. de teſtam.* Prudenter autem Conſtantinus Magnus Imperator *in cit. l.* 1. *de decur. urb. Rom.* exceptis librariis, fiſcalibus, cenſualibus, voluit in omnibus decuriis etiam ſcribarum, ut notat idem Gothofredus, eum, qui Princeps, ſeu Judex dicebatur, literaturam habere, quæ, ait Imperator, *omnium virtutum maxima eſt*; & propterea non eligebatur, niſi qui ſtudiorum liberalium uſu, atque exercitatione polleret; idque, præter alias rationes, ut ejus conſilio, & diligentia aſſumerentur in unaquaque decuria viri honeſti, & in ſuo munere periti. Quod præcipue ſervandum erat in decuriis ſcribarum, ne eorum avaritia, aut ignorantia publicis negotiis, & litigantibus detrimentum adferret.

III. Sed accedamus modo ad leges noſtras, quæ innumeræ prope ſunt circa munus, qualitatem, honeſtatem, & exactiones Scribarum. Verum ſi unquam alias proviſiones legum inutiles deprehenſæ ſunt, atque otioſæ, in his certe malum adparet omni prope remedio deſtitutum; nam ex quo juriſprudentia forenſis, omni ferme ex parte, formularia facta eſt, adeo ut conceptione verborum, quæ ad leges explicandas, exequendaſque, & ad jus, bonumque inducendum inter cives, primitus introductæ fuerunt, non neceſſario evenit, ut in actibus judicialibus, & in forenſibus concertationibus ſumma facta ſit auctoritas Scribarum; & exinde cum poſſint illi ad arbitrium revocare quamplurima, ſive ad faciliorem cauſarum exitum pertinentia, ſive contra ad eum impediendum: ideo promtæ, paratæque occaſiones fraudandi, & cavillandi; unde eorum induſtria, favor, & ingenium, neceſſaria redduntur, atque utilia. Quæ omnia non mediocrem pro captando lucro materiam præbent. Et propterea, ut his omnibus remedium adhiberetur, non levis Legumlatorum ea de re adparuit diligentia in novis legibus rogandis. Sed fruſtra laborarunt illi, & laborant adhuc, prout experientia ſatis ſuperque nos docuit, & docet quotidie. Neque de hoc genere perſonarum novæ ſunt querelæ, aut nova vitia; etenim & ex libris juris Romani deſumi poterunt argumenta, præſertim ex tit. *Cod. de lucris Advocatorum, & conceſſionibus officiorum ſive Apparitorum*, & ex *C. T. tit. de ſuperexactionibus*, & tit. *ne damna provincialibus infligantur*; & exempla ex aliis Nationibus. In Gallia ſcribens ſic ait Polletus *hiſt. for. Rom. lib.* 5. *c.* 12.: *Sed nunc quam operæ pretium eſſet, ut reviviſceret idem alter* (Catonem intelligit, de quo ſupra) *qui Scribas, Actuarios, Notarios, & id genus homines, fragili calamo victum quæritantes, in ordinem redigeret; faſtum, & arrogantiam eorum reprimendo; atque illos, ut mercenarios, ſiquidem tales ſunt, tractando, quando præ ſe omnes contemnunt. Nam ſi quis eorum*

Digitized by Google

rum opella indigeat, Deus bone, quam ronchos, & faſtus tolerare, & muſſitare oportet. Et infra: *Atque cum ſuperiorum temporum incuria, aut potius avaritia factum eſſet, ut hujuſmodi ſcribarum officia, ut alia multa in foro vænirent, aut locarentur; nam fere mancipes, & vectigales publicani erant, unde multi abuſus, compoſitiones, concuſſiones, & pyraticæ exactiones fiebant in popello: quid enim mirum, ſi is, qui care emit, carius vendat? ut dicere ſolebat Alexander Imperator Romanus: tandem Catholici Regis noſtri providentia edicto cautum eſt, ut hujuſmodi forenſis ſimonia, aut civile ſacrilegium eliminaretur; neque poſthac publicorum officiorum aliquis emtor, aut conductor exiſteret. Quid enim pernicioſius Reipublicæ, quam hujuſmodi publicorum officiorum, & munerum nundinatio, aut cauponatio; Sed quam difficile eſt eradicare pravam conſuetudinem, quæ ſemel late radices egit. Vereor enim, ne res rurſus ad ingenium redeat, dum nimium exinaniri fiſcos metuunt; nulla interim habita privatarum fiſcellarum ratione &c.* Hæc ſane mirum quantum moribus noſtris conveniunt; unde malui aliena uti oratione, quam propria, ad vitia, quibus fatigamur in Regno detegenda; ne videar ab interpretationis munere, ad cenſoriam auctoritatem deſcendiſſe.

IV. Poſtquam barbaræ Nationes Provincias noſtras occuparunt, publicarum ſcripturarum conficiendarum ratio, quemadmodum & actuum judicialium, non minima ex parte immutata fuit. A Longobardis ſane qui formam & juriſprudentiæ & judiciis peragendis, aliquo modo diverſam ab uſu Romano, dederunt, Scribarum quoque ordinem immutatum fuiſſe, non leves conjecturæ ſuadent; & præſertim quod in eorum legibus de Cancellariis tantum ſermo eſt. Hi ſane Orientalium Imperatorum ætate cancellis Judicum aſſidebant; unde illorum erant veluti a conſiliis, aut ſecretis; & ne inde colluſio aliqua perveniret, ideo ſtatutum fuit a Theodoſio juniore *in l. ult. C. T. de aſſeſſor. domeſt. & cancellariis*, ut Judices ſecum tales perſonas non ducerent in Provincias ſibi commiſſas. Sed apud Longobardos Cancellarii munere fungebantur, & Notariorum, & Scribarum, necnon eorum, qui a ſecretis Judicum eligebantur, ut patet ex *tit.* 40. *lib.* 2. *leg. Longobard.* ubi animadverſione digna eſt *lex prima*, qua decernitur, Cancellarios, *electos bonos & veraces* (intellige veritatis amantes) *chartas publicas conſcribere debere ante Comitem, & Scabinos*, (quinam fuerint Comites, vid. ſup. *lib.* 2. *c.* 2.) *& Vicarios ejus*. Ex hac lege uſus apparet, apud Longobardos receptus, & qui deinde in conſtitutionibus Regni confirmatus fuit, de quibus mox, ut publica inſtrumenta a Tabellionibus conficerentur, adhibita Judicum auctoritate. Nec diſſimilis eſt proviſio, qua cavetur, Cancellarios ſeſe conferre debere in domos eorum, qui infirmitate detinentur; ibique ſcripturas confectas, ſecundum legitimum modum, oſtendere debere, ne qua falſitatis ſuſpicio interveniat, Epiſcopo, & Comiti, Judici, vel Vicario, aut coram plebe. Cancellarii autem & ſcripturas ad ordinem judiciarium pertinentes conficiebant; prout videre eſt *in l. ult. cit. tit. ll. Longob.* qua mandatur, *Cancellarium pro uno judicio* (intellige pro una, eademque lite, & pro iiſdem

Digitized by Google

actibus judiciariis), *aut ſcripto*, nihil aliud accipere debere, quam dimidiam libram argenti, *de majoribus ſcriptis*, (hoc eſt ubi fuerit lis magni momenti, & ob varias probationum diſceptationes, in majorem molem excreverint actus judiciales) *de minoribus autem intra dimidiam libram ; quantum res aſſimilare poſſit* (prout æquius erit ex ipſa re, de qua agitur) *& Judicialibus rectum videtur . De orphanis autem, vel ceteris pauperibus, qui exolvere hoc non poſſunt, in providentia Comitis ſit, ut nequaquam inde aliquid accipiatur.* Hæc poſtrema pars legis, licet juſtiſſima ſit, & æquiſſima, & non minus rationi, quam noſtris legibus conſona ; tamen in deſuetudinem non tantum abiit, ſed exactiones Notariorum, & Scribarum ſolent eſſe acriores adverſus homines potentia, favore, aut opibus deſtitutos ; a quibus nihil aliud ſperatur, quam præſentaneum lucrum.

V. Ex more igitur jam per Longobardos inducto, apud nos Notarii & Scribarum, & Tabellionum munus obibant. Fuere & apud Romanos Notarii, ſed eo nomine deſignabantur ii, qui notis acta Præſidum ſcribebant, ut ait Modeſtinus *in l. inter eos* 33. §. 1. *D. ex quib. cauſ. major.* Inductum olim fuit, ut quo velocius voce pronunciata in ſcripturam redigerentur, ſignis quibuſdam, ſive notis ſingula verba deſignarentur. Cujus artis primum auctorem Tyronem fuiſſe, Ciceronis libertum, ſcribit Euſebius ; ſed antiquiorem eam fuiſſe, patet ex Plut. *in vit. Cat. jun.* Sed talis uſus poſtmodum in tranſcribendis cujuſcunque generis ſcripturis frequens evaſit ; unde captiones, & ænigmata oriebantur ; quod prohibuit Juſtinianus deinceps fieri in tranſcribendo ſuo Codice ; vid. *l.* 1. *in fin. Cod. de vet. jur. enucl.* In Imperio Orientali diverſum erat munus Notariorum, ut ex *Cod. T. de Primicerio, & Notariis* ; qua de re infra pluribus agemus. In conſtitutionibus Regni paſſim Notarii pro Scribis accipiuntur, & Actuariis. Actuarii in uſu latini ſermonis proprie ſignificabant eos, qui Patronorum, & Oratorum actiones excipiebant, & ſcriptis mandabant ; adeout quod Notarii facere ſolebant per ſigna, Actuarii per ſingula verba perſcriberent. Suetonius in vit. Julii Cæſaris *cap.* 55. *Orationes aliquas reliquit, inter quas temere quædam feruntur, ut pro Quinto Metello, quam non immerito Auguſtus exiſtimavit magis ab Actuariis exceptam, male ſubſequentibus verba dicentis, quam ab ipſo editam*. In *C. T. tit. de Numer. Actuar. &c.* Actuariorum officium inter militaria erat, nam Actuarii dicebantur qui rationes perſcribebant, ratiocinia pertractabant, & quantum numero, quantum cuique militi annonæ competeret, ſubſcribebant, vid. *Gothofr. in paratit.* Demum eadem vox translata fuit ad eos, qui actus judiciales conficiunt ; & primus adpellari ſolet *Magiſter Actorum*, quaſi peritus, doctor in iis actibus conficiendis, ut paſſim in noſtris legibus, & in vulgari loquendi conſuetudine. Quod autem ætate Friderici II. Notarii iidem eſſent ac Scribæ, & Actuarii, eodemque tempore Tabellionum munus exercerent, ideſt conficerent publicas ſcripturas, ſive inſtrumenta, patet ex *conſtit. Bajulos, & omnes Judices*, cujus initium tale eſt : *Bajulos, & omnes Judices, ac actorum Notarios a mane uſque ad veſperas, præter neceſſarias horas comeſtionis, & ſomnii ; ſui copiam*

omni-

Digitized by Google

omnibus præſtare præcipimus; *officii ſui partes petentibus omnibus præbituros &c.* Deinde conſtitutio quantitatem deſignat exigendam pro ſcripturis tam a Judice, quam a Notario. Unde patet, eos utroque munere ea ætate functos eſſe, tam in ſingulis actibus judicialibus conficiendis, quam in ſcripturis publicis exarandis. Et hic deprehenditur error Matthæi de Afflictis, qui in *comment.* ad eam conſtitutionem, confundens ſui temporis uſum, quo jam receptum erat, ut ſpeciales adeſſent Judices in ſcripturarum confectione, unde *Judices ad contractus* vulgo dicuntur; ſic ſcribit: *Hæc eſt ſecunda pars*; *in qua ſtatuit quantum debet eſſe ſalarium Judicis ad contractus*; *quando intervenit in contractu pro judice*. Non omnes quidem Judices ætate Friderici in contractibus poterant adhiberi; ſed tantum qui erant annui, & veluti pedanei Judices, ut patet ex verbis *cit. conſtit.* Quo refertur alia ejuſdem Imperatoris *conſtit. in locis demanii*, ubi in quibuſdam Civitatibus Regni numerus Judicum, & Notariorum præfinitur, a quibus inſtrumenta confici debeant; ſcilicet voluit Imperator in Civitatibus frequentioribus Judices certos ſtatuere, & Notarios; ne excedens eorum numerus in publicum damnum verteretur. Judices enim plures tunc eligi ſolebant, qui erant veluti Aſſeſſores Bajulorum, & iidem etiam inſtrumentis intererant. Quod clarius patet *ex conſtit. cum juxta providum*; in qua decernitur, cum ſalarium de Curia Principis aſſignatum eſſet *Bajulis*, *Judicibus*, atque *Notariis*, nihil ab eis accipi debere de mulctis, pœnis &c. ſed id omne pertinere ad ærarium Principis. Senſim vero mos inolevit, ſive negotiorum mole exigente, ſive alia cauſa, ut & Judices ſpeciales eſſent ad contractus, & ut Notarii Inſtrumentorum diſtinguerentur a Notariis actorum judicialium. Unde hi poſtmodum frequentius adpellari cœperunt Actorum Notarii, ut videre eſt in legibus Regum Andegavenſium *cap. novis* 257. *& cap. item quod prædicti* 276. In Ritibus Magnæ Curiæ promiſcue adpellantur modo Actorum Magiſtri, qui poſtea & a Scribis diſtingui cœperunt. Verum ad infinitos propemodum removendos abuſus, qui per ejus generis perſonas ſemper obrepſerunt, quamplurimæ rogatæ fuerunt novæ conſtitutiones, quas ordine adhibito, quantum fieri poteſt breviſſime, explicabimus; cum & noſter labor, prout ipſarum legum induſtria, inutilis omnino eſt; quoniam arbitrio illi ferme ſemper utuntur, rariſſime aut ratione, aut lege.

CA-

Digitized by Google

CAPUT IV.

De Actorum Magiſtris, & Scribis ſingulorum Tribunalium. Et primo de iis, qui ſunt in MAGNA CURIA.

UT confuſio evitetur, quæ maxima eſt in pragmaticis ſanctionibus, in quibus agitur de Magiſtris Actorum, & Scribis; eandem methodum hic ſervabimus, ac ſupra, ubi de Tribunalibus, omnibuſque iis, qui juriſdictioni præſunt, diſputatum eſt. Unde primo agamus de iis, qui Magnæ Curiæ ſunt addicti.

II. Cum primum hoc Tribunal inſtitutum fuit, quoniam ibi graviora tantum negotia tractabantur, utpote in Curia Principis, credendum eſt, perexiguum fuiſſe numerum, unde *in rit.2. M. C.* tres Actuarii, & ſex inferiores Scribæ decernuntur. Sed deinde paulatim crevit, unde opus fuit certa aliqua definitione, quæ temporibus Ferdinandi I. Aragonenſis non ſervabatur. Et propterea ab hoc Rege edita fuit *prag. 1. de Actuariis &c.* qua juſſit, ut in Magna Curia, octo tantum Magiſtri actorum eſſent, & *Subactuarii* totidem, (hoc vocabulo intelliguntur perſonæ Actuariis adjunctæ, quæ eis ſubſunt, & auxilium præſtant ad negotia, ſcripturaſque conficiendas), adeout unuſquiſque ex iis ſuum haberet veluti ſuffraganeum. Hic numerus ætate Ferdinandi ſatis videbatur eſſe tum civilibus, tum criminalibus cauſis. Verum cum diviſio ejus Tribunalis facta eſſet, etiam Actorum Magiſtri ſeparati ſunt; nam refert Tapia *in not. ad eam prag.* ſua ætate Actuarios civiles quatuordecim extitiſſe, Subactuarios viginti. Regnante ipſomet Ferdinando, cauſis criminalibus duo ſpeciales Actuarii fuerunt addicti, qui generali nomine Scribæ adpellantur *in pragm.2.eod.tit.*, eoſque examinandos in Sacro Conſilio Rex jubet, præſtito juramento; neque aliter ad officium admittendos ſub pœna 10. unciarum auri, tam ab ipſis exigenda, quam a Regente. Sed hanc legem abrogavit Carolus V. *in pragm. 7. eod. tit.*, nam primo octo ſtatuit Actuarios criminales, eorumque ſingulis tres inferiores Scribas adjunxit. Secundo juſſit, eos examinari per Regentem, & Judices cum interventu Regii Fiſci Patroni. Quod ſi, his non ſervatis, tali muneri ſeſe immiſcuerint, ſtatuit Rex, eos ſtatim removendos, nec ulterius admittendos *ad ſerviendum*. Poſtmodum ejus generis Scribæ quinque creari cœperunt, vid. *prag. 27. de offic. Mag. Juſtit.* Demum hæc omnia facta ſunt arbitraria, ut ferme cetera ejus generis. Unde ſic ſcribit idem Tapia *in not. ad d. pragm.2. Nunc novem magiſtri actorum ſunt, & quilibet habet ſub ſe ſeptem, vel plures ſcribas ordinarios, qui eliguntur præcedente examine per Judices ipſius Magnæ Curiæ, & per Regentem cum interventu Regii Fiſci.*

III. Quoniam in Magna Curia neceſſarium fuit, ut aliquando ex inquiſitione procederetur, & tale judicium inſtitueretur ab Advocato, & Procuratore Fiſci; ideo paulatim & ſpe-

Digitized by Google

& ſpeciales Scribæ ad eam rem aſſumi cœperunt, qui & denunciationibus, & inquiſitionibus invigilarent; unde fiſcales ſcribæ adpellati ſunt, vel ab ætate Regum Andegavenſium; & aliquando ſimpliciter *Fiſcales*, vid. *rit.* 29. 30. & 31. Hi primitus duo tantum fuere, ut apparet *ex rit.* 2.; ſed plures deinceps, vid. *Caravit. in comm. ad d. rit.* 29. Demum creſcente eorum multitudine certus numerus præfinitus fuit *in d. prag.* 27. §. 1. *de offic. Mag. Juſtit.*, ut quilibet primarius Fiſcalis Scriba, ſive actorum Magiſter, non poſſit, niſi & quatuor alios inferiores habere; idque uſu nec etiam ſervari monet idem Tapia. Ne autem ex infirmitate conſilii, ratione ætatis, male res procederent, cautum fuit *in prag.* 37. §. 11. *eod. tit.* ut non poſſit quis ſcribæ munus obire, niſi ad annum decimumoctavum pervenerit. Ad eandem rem pertinent noviſſimæ proviſiones Regis noſtri *in prag. edit. an.* 1738. tum circa immodicum numerum ſcribarum, tunc circa eorum qualitatem, nam in §. *6. n.* 2. prohibetur deinceps extraordinarios ſcribas creari, & qui ordinarii ſunt, videndum mandatur, an injuncto muneri ſint idonei; & novos non admittendos, niſi prævio examine coram uno ex Conſiliariis addictis Magnæ Curiæ in criminibus; necnon Judice ejuſdem Tribunalis, qui poſtremo loco creatus eſt; & Advocato, Procuratoreque Fiſci. Denique ex privilegio per Carolum V. conceſſo *in pragm. un. de offic. proviſ.* omnes Actorum Magiſtri, & Scribæ debent eſſe Regnicolæ.

IV. Videndum nunc quid pragmaticis ſanctionibus injuctum iis ſit, ut faciant ratione proprii muneris; quid e diverſo prohibitum. Primo horis conſuetis tenentur adeſſe, unuſquiſque in loco Tribunalis ſibi aſſignato; nec poterunt abire, niſi poſtquam Regens, Judiceſque diſceſſerint *pragm.* 13. §. 2. *de offic. Mag. Juſtit.* id ipſum ferme injunctum quoque reperitur *in rit.* 27. Hoc tamen non ſervatur, ſicuti & reliqua ejus generis *in ead. pragm.* aliiſque ſimilibus comprehenſa, niſi ex arbitrio: ea ratione, ut notat Tapia, *quia eorum maxime intereſt quotidie aſſiſtere*. Quæ ſane ratio denotat, apud nos leges omnes pro bono publico ſtatutas, eo uſque ſervari, donec privatum adeſt commodum; ceterum ubi illud deeſt, inutiles fieri. Huc quoque pertinet ſapientiſſimi Regis Ferdinandi I. edictum, relatum *in prag.* 4. *de Act. Scrib. &c.* ubi, dum voluit nullam inter Magiſtros Actorum prærogativam gradus, & dignitatis eſſe, niſi *in quantum virtutibus, ætate, ſufficientia, & moribus* qui præſtat, dignior habendus ſit; jubet, lucra inter eos æqualia eſſe debere, quemadmodum & labores ſunt; & propterea negotia æqualiter diſtribuenda, ut confuſio, & litigantium incommodum evitaretur. Sed hoc non ſervatur, ait idem Tapia, *nam quilibet Actuarius agitat proceſſus ſuos*. Quo fit, ut peritia, atque morum honeſtate poſthabita, qui ceteris plus gratia valet, atque obſequio prout & in reliquis perſonis adparet foro addictis, plus diteſcat, & fortuna valeat. Statuit præterea Rex, *ut Actorum Magiſtri teneantur, & debeant conficere quinternum de omnibus, & ſingulis actis, intereſſe Curiæ tangentibus; & omni die de ſero, quæ occurrerint Regenti ipſius Curiæ ſeu Advoca-*

voca-

Digitized by Google

vocato Fiſci notificare, ne fiſcalia negotia in longum protrahantur, nec ſubtrahantur, & defraudentur, atque occupentur: ita ut menſe quolibet ordinetur unus ex dictis Actorum Magiſtris, qui recepturus ſit proceſſus adpellationum in dicta Curia præſentandos, illos inter ipſos Actorum Magiſtros ſeriatim diſtributurus, ita quod unuſquiſque per ordinem proceſſum ſuum habeat. Hoc non ſervatur, inquit Tapia. Sed ob id quam male res cedant in Magna Curia, experientia ipſa quotidie oſtendit. Ex *rit.* 24. omnes Magiſtri actorum Magnæ Curiæ debent *annotare in quinterno deputato, & ſcribere omnia acta quæ fiunt in Curia per dies.* Quod tamen, ex verbis ſequentibus *ritus*, intelligit Caravita de libro contumaciarum, tam in cauſis civilibus, quam criminalibus; idque idem ait, ſua ætate in uſu; nam ceteros judiciarios actus unuſquiſque retinet penes ſe, nec debet reponere in arca communi, prout ſtatuit ritus; ſed facta concluſione in cauſa, poſt dies octo tenetur præſentare Judici Commiſſario, ut lis terminari poſſit, vid. *prag.* 1. *in fin. de Actuar. Scrib. &c. & pragm.* 13. *de ordin. jud.* ubi decernitur, exemplar tantum proceſſus tradendum Judici; nam authenticum, vulgo *originale*, ab ipſo Actorum Magiſtro ſervandum jubetur tanquam *matricem Notarii*, ait pragmatica. Exemplar autem, terminata jam lite, tranſmittendum erit, in *Archivio Civitatis perpetuo conſervandum*. Hoc tamen nec etiam obſervatur, ait idem Tapia *in not. ad d. pragm.* 13. *tit. jur. Regn. de aſport. proceſſ.* Quod hic mandatur de authentico, & exemplari proceſſu conficiendo, jubetur etiam *in cit. pragm. Regis noſtri* §. 1. *n.* 31., ſed tantum ut exemplar tradatur litigantibus inſpiciendum, originale remaneat penes actorum Magiſtrum. Unde ex hac pragmatica videtur in uſum revocari, quod jam antea cautum fuerat per *ritum* 96. & *prag.* 54. & 77. *de offic. S. R. C.* In criminalibus proceſſibus tantum uſus ſervatur ex *d. pragm.* 4. §. *præterea volumus*, ut illi conſerventur poſt cauſam finitam in Archivio publico, ubi perquiſitio fieri ſolet, quoties inſpiciendum eſt, an quis fuerit aliquando inter reos adſcriptus, vel condemnatus. Eodem pertinet *pragm.* 19. §. 11. & *infra de offic. Mag. Juſtit.*

V. Statuerat idem Rex Ferdinandus, ut omnes ſcripturæ a litigantibus præſentandæ, publice, ſive *Curia ſedente more ſolito, & conſueto*, ait *pragm.* 15. *cit. tit.*: a Scribis reciperentur; ſed ob multitudine cauſarum, id ſervari neceſſarium non eſſe decernitur *in* §. *ſeq.* Id tantum fieri debere mandatur *in* §. 3., quoties in cauſis criminalibus pars debet perſonaliter, ſedente Curia pro Tribunali, comparere: ubi notat Tapia, uſum eſſe, ut quando principalis ſe vult judicio ſiſtere, admittatur etiam extra Curiam; excepto tantum quoties agitur de liquidatione inſtrumenti, quia tunc ſuperior obſervatur conſtitutio. Quod autem *in ead. pragm.* §. 7. & 9. mandatur circa diſtributiones cauſarum, nec etiam uſum habet; nam, inquit idem Tapia: *quilibet qui vult aliquem in Magna Curia convenire, poteſt ſibi eligere Magiſtrum Actorum, quem voluerit. Non ſic in Sacro Conſilio, ubi diſtribuuntur cauſæ inter Actuarios.*

VI. Præcipuum munus Actuariorum debet eſſe, ut diligenter conficiant

ciant actus judiciarios, & præſertim ubi agitur de teſtium depoſitionibus recipiendis, nominatim in cauſis criminalibus; & propterea ſervanda omnino ſunt quæ præcipiuntur *in pragm. 6. de Actuar. Scrib. &c.*, nempe, ut dicta teſtium ex bona fide apponantur integra, nec omittantur quæ fortaſſis ad rei defenſionem pertinere poterunt. Hæc tamen proviſio neceſſaria fuit apud nos, ex quo mos invaluit, criminum quæſtiones; vulgo *informationes*, conficerentur ut plurimum per ſolos Scribas Qui equidem mos non uſquequaque probandus videtur;nam publice intereſt, coram Judice teſtimonia proponi; ille enim ex circumſtantiis facile ad veritatis cognitionem devenire poterit, diligenter inſpiciendo, quo vultu: quibus verbis, quave animi trepidatione teſtes loquantur: expende *l. 3. D. de teſtib.* Primis temporibus Romæ; præſertim ſub libera Republica, teſtes in judicio interrogabantur a partibus ipſis, ſive potius a Patronis cauſarum; & ab eiſdem quoque coram Judice refellebantur, & confutabantur, cujus rei formulas, & ſolemnia verba, vid. apud Briſ. *de formul. lib. 5. c. 206.* Quo uſu paulatim ſublato, cœperunt ipſi Judices interrogare teſtes. In cauſis civilibus, abſentes, vel evocabantur in locum judicii, vel ex legitimo impedimento examinabantur apud Præſidem, vel Defenſores Civitatis; & eorum teſtimonia poſtmodum tranſmittebantur ad locum controverſiæ. Sed in cauſis criminalibus ipſi teſtes producendi erant, hoc eſt coram Judice examinandi; nam teſtimoniis, (ſcilicet depoſitionibus factis extra locum judicii) non creditur, ait *d. l. 3. §. idem Divus Adrianus*. Hoc jus confirmavit Juſtinianus *in novel.* 90. *c.4.* ubi vid. Cujac. *in comment.* qui citat ea verba Taciti *in dialog. de Oratorib.*: *Teſtimonia in judiciis publicis, non abſentes, nec per tabellam dare, ſed coram, & præſentes dicere cogebantur*. Non igitur ſolitum erat in foro Romano, niſi per Judices audiri teſtes. Scio a doctis viris quæſitum eſſe, an teſtium examen committi poſſit a Judice, Actorum Notario, ſive Scribæ. Vulgo creditur, id permitti tantum in cauſis civilibus, non in criminalibus; vid. Ant. Matth. *de crimin. tit. de probat. c. 4.*, qui contendit, etiam in criminalibus, ſecundum jus Romanum, id a Judice fieri poſſe ex graviſſima cauſa. Sed vereor, an verum ſit; nam, quod ait vir doctus, merum imperium, cujus pars eſt teſtium evocandorum, atque examinandorum facultas in criminalibus, poſſe etiam mandari ob legitimam cauſam, ex *l. 1. D. de offic. ejus cui mand.*, non videtur ad rem facere; quandoquidem in teſtium examine prudentia, & diligentia Judicis magis conſideratur, eaque perſonam reſpicit, vid. *cit. l. 3.* quam juriſdictionis, aut imperii exercitium. Dein, inauditum prorſus videtur tum juri, tum moribus Romanorum, ut imperium mandaretur Magiſtratuum Apparitoribus. Quod ſi opinionem *Ant. Matthæi* ſequi volumus, nec etiam poterunt Judices in Regno noſtro examen teſtium committere Actuariis, quia juriſdictionem ipſi mandare prohibentur, prout alibi monuimus ex *conſtit. officia*.

VII. Verum ex quo Doctorum opinio invaluit, poſſe Judicem, negotiorum multitudine impeditum, committere alteri, teſtium etiam præſentium examen (qua in re vehementer errat Caravita *in rit.* 142.

Digitized by Google

dum ait, id jure communi permiſſum), quorundam pigritia effecit, ut quod in evidenti neceſſitate tantum permittebatur, in ordinariam formam tranſiret. Quod utique ab ipſis Regni legibus alienum eſt: nam ſi ad jus Longobardorum volumus nos conferre, ex quo pleraque in conſuetudines, & leges Regni transmigrarunt, jus Romanum confirmatum inveniemus; ſiquidem in *l.* 5. *legum Longobard. tit. de teſtib.* injungitur *Miſſis, & Comitibus* (hi erant, ut suo loco explicavimus, Magiſtratus juri dicundo conſtituti) diligens inquiſitio in perſonas, & qualitatem teſtium; & proinde eorum exacta interrogatio. Sed ne conjecturis utamur, extat *conſtit. in pecuniariis*, qui permittit Imperator Fridericus, in civilibus cauſis *audientiam* teſtium delegari, excepto tantum ubi agitur de feudis quaternatis: at prohibet in criminalibus, in quibus jubet, teſtes in Curia, hoc eſt coram Judice, examinari. Quod ſi illi *adeo ſenes, & valetudinarii ſint, ut ſine ipſorum periculo Curiæ præſentari non poſſint, tunc audientia committatur Judicibus electis a partibus, vel datis a Curia*. Quibus ex poſtremis verbis apparet, Imperatorem loqui de teſtibus degentibus extra territorium, in quo lis agitatur, nam ſi exiſterent in territorio, tunc examen fiet per ipſam Curiam. Quod *in rit.* 145. hac diſtinctione explicatur, ut ſi teſtes exiſtant *infra dietam unam legalem* a Civitate Neapolis, hoc eſt infra viginti milliaria (ſic vulgo interpretantur Doctores *ex l.* 1. *D. ſi quis caut. &c. & l.* 13. §. 1. *D. de excuſat. tut.*) non committatur examen in criminalibus, ſed in judicio audiendi ſint teſtes: ultra vero committatur recte: niſi eſſent *ſenes, & valetudinarii, & honeſtæ mulieres, ſimileſque perſonæ*, tunc enim ex conſuetudine recepta, ad audiendos teſtes mittuntur Actuarii, ut notat Caravita. Igitur in caſu meræ neceſſitatis, per Magiſtros Actorum examinari poterunt teſtes. Sed paſſim hæc non obſervantur, & præſertim in Provinciis Regni; ſiquidem non ſemel probationes graviſſimorum criminum in ſola fide Actuariorum conſiſtunt; eoque modo quam male publicæ utilitati conſulatur; quotidiana oſtendit experientia: nam inde evenire ſolet, ut potentiorum crimina occultentur, vel in dubium revocentur: contra tenuioris fortunæ homines miſerum in modum anfractibus judiciariis, & calumniis objiciantur. Cavetur quidem generaliter in *prag.* 12. §. 8. *de officialib. & his quæ eis &c.*, ut quando Actorum Magiſtri, & fiſcales Scribæ in provincias Regni mittuntur, ſive ad teſtium atteſtationes recipiendas, ſive ad alia negotia peragenda, antea jurare debeant, fidemque dare, ſe bene, & fideliter verſaturos in munere injuncto. Verum hæc aut male ſervantur, aut ad conſuetas formulas, & ſolemnia, effectu inania, rediguntur. Mitto civiles cauſas recenſere, in quibus ubi nulla adeſt ſpes lucrandi, cenſetur indignum majeſtate judicantis, tempus terere in teſtibus audiendis; unde in iis peculiare factum eſt Actuariorum munus, qui deſignantur *Examinatorum* nomine: res omnino incognita Romanorum moribus, & legibus. Sed hæc plenius diſcutiemus infra.

VIII. Quod attinet ad ſcripturas actuum judiciariorum, ſic definitur in *rit.* 34. *Item quod in eiſdem Curiis*,

riis, & qualibet ipſarum (intellige Curiam Vicarii, & Magnam Curiam, quæ dum ritus compoſiti fuere, diſtinctum Tribunal conſtituebant, ut alibi annotavimus (*Notarius actorum ſcribat acta per Scriptores ſuos; inſtrumenta vero ſententiarum ſcribat manu propria*. Ratio hujus ritus non videtur obſcura; etenim cum in ſententia agatur de re majoris momenti, utpote ex qua univerſa lis, & negotium pendet; requiritur major fides, quæ habetur ipſimet Actuario, non aliis. Confirmatur ſuperior ritus iiſdem prope verbis in *rit.* 36. Quod autem dicitur de reliquis ſcripturis conficiendis per Scribas, id intelligunt Interpretes poſt Caravitam, dummodo ipſe Actuarius ſeſe in iis ſubſcribat, etenim de omnibus actibus ille, utpote principalis deſignata perſona ad eorum confectionem, tenetur rationem reddere; & propterea ex ſubſcriptione adparet ejus conſenſus, & auctoritas. Hinc generaliter definitur in *prag.* 12. §. 12. *de official. & his qui eis &c.* non minus eos, qui ſunt a ſecretis alicujus Tribunalis, quam teſtium Examinatores, Magiſtros actorum, & Scribas, debere propria manu ſubſcribere quæcumque acta ſunt, & ſcriptis conſignata coram ipſis. Eodem pertinet quod mandatur in *prag.* 19. §. 18. *de offic. Mag. Juſtit.* nempe, quaſcumque *proviſiones* (hoc vocabulo intelligunt noſtri, & uſus loquendi in foro comprobat, quæcunque edicta, & decreta Judicum, quæ in cauſarum cognitionibus expediuntur, & ad aliquem locum tranſmittuntur pro exequutione (Magnæ Curiæ, ſubſcriptione firmatas eſſe debere nomine, & cognomine ejus, qui dicitur *Magiſter actorum in capite*; & committi pœnam falſi; ſi Scribæ alicujus tantum adſit ſubſcriptio. Adduntur tantum duæ exceptiones; primo in ſcripturis continentibus citationes teſtium; aut quæ fiunt partibus *ad dicendum &c.* Secundo ubi legitimum adeſt impedimentum, unde actorum Magiſter in Curiam ſeſe conferre non poſſit; tunc enim, qui ad ejus vices obeundas deſtinatus eſt, ſubſcribet recte *proviſiones*. Eadem repetuntur in §. 30. *ejuſd. prag.* Et in §. 31. mandatur, in calce proviſionum apponi debere ſummam eorum, quæ in iis continentur.

IX. Quæ modo diximus de ſententiis per ipſos Magiſtros actorum ſcribendis, videntur aliquo modo immutata in *rit.* 37., nam ibi decernitur, illos, vel locumtenentes (ideſt qui gerunt, ob juſtum impedimentum, eorum vices) ſaltem manu propria apponere debere diem, quo proferuntur ſententiæ diffinitivæ. Hinc palam eſt, nimia oſcitantia laboraſſe Rituum Magnæ Curiæ compoſitores, dum adeo diverſa in eundem prope locum congeſſerunt. Et quod pejus eſt, adeo obſcura, & implicata eſt ejus ritus ſententia, ut ipſemet Caravita divinando potius, quam interpretando, ſenſum conetur exponere. Et propterea non mirum, ſi inde occaſionem arripuerunt pragmatici, puerilium; atque inutilium quæſtionum agitandarum, ut videre eſt apud Petram; qui dum male explicat formulam forenſem *lecta lata*, quæ apponi ſolet in ſententiis, cujus originem expoſuimus *lib.* 3. *c.* 5. digreditur ad decretum forjudicationis, in quo, tanquam ſi ageretur de re leviſſima, aut de ſubtili aliqua ſcholaſticorum controverſia, illius effectum pendere ſtatuit ex minutiſſima ſolemnitate judicia-

Digitized by Google

ria, pro nihilo reputans, utrum reus graviſſimorum criminum abſolvendus ſit, an innocens capitali pœna damnandus. Sed antiqua fuit, in ſpecie, quam ipſe proponit, diſſenſio inter noſtros, vid. de Franchis *deciſ.* 688. Rovit. in *tit. de ſentent. forjud.* Tapiam *in conſt. pœnam eorum*, eamque ſuo loco examinabimus. Monendi hic ſumus, ex ſuperioribus ritibus forenſem uſum introductum illum eſſe, ut in calce ſententiæ tantum ſcribant propria manu Actuarii *lecta lata*, prout notat citat. Tapia in *dict. rit.* 37.

X. Fidejuſſiones judiciales cum pertineant ad munus Actuariorum, quorum periculo ſunt; ideo rectiſſime cavetur in §. 21. *cit. prag.* 19. *de offic. Mag. Juſtit.*, ut teneantur illi in peculiari libello, vulgo *regiſtro*, annotare omnia decreta, ex quibus delatæ ſunt tutelæ, & hereditates; ibique apponere, an præſtita ſit fidejuſſio, & coram quo, & exprimere nomen, cognomenque fidejuſſoris; adhoc ut pupilli, quorum intereſt, agendo adverſus tutores, & fidejuſſores ex mala adminiſtratione, eorum omnium poſſint cognitionem habere. Regiſtrum conſervari debent in Archivio publico. Demum contra negligentes Actuarios pœna ſtatuitur unius unciæ auri, pro qualibet vice, & condemnationis in id, quod intereſt. Tenentur etiam Actuarii, qui civiles cauſas tractant, de quibuſcumque fidejuſſionibus pertinentibus ad judicia criminalia, ſtatim certiores reddere Actuarios criminales, ut hi poſſint inter ſcripturas judiciarias apponere fidejuſſiones præſtitas *d. prag.* 19. §. 7. Tenentur Actuarii, tam civiles, quam criminales in regiſtrum redigere omnes literas commiſſionales, quæ expediuntur in cauſis, ubi agitur de aliquo commodo, vel damno fiſci; nec poterunt illæ antea publico ſigillo ſignari *d. pragm.* 19. §. 6. Tenentur iidem ex proceſſibus in Magna Curia præſentatis, ratione adpellationis, nomina reorum in regiſtro annotare, ut dum inquiritur, quinam carceribus detineantur, poſſint illi legitimis pœnis affici *d. pragm.* 19. §. 11. Eodem pertinet §. 14. *ejuſd. pragm.* circa regiſtrum faciendum ex reorum contumacium notis, quæ ex Provinciis tranſmittuntur ad Magnam Curiam. Notandum denique eſt, quod *in princip. ejuſd. prag.* mandatur Magiſtris actorum, nempe ut in ſuis libris annotare debeant nomen illorum, quibus *exequutoria* (hoc nomine intelligimus Magnæ Curiæ, aut cujuſcunque Tribunalis, & Judicis decretum, quo committitur, manu militari, vel bona debitorum pro exequutione ſententiæ accipienda, vel eorum perſonas, vulgo *realiter, & perſonaliter*) committuntur; *cum expreſſione diei*. In priori actuum judiciorum pagina tenentur Actuarii inſcribere Judicis, & litigantium nomina; necnon exprimere quænam ſit cauſa, de qua tractatur; idque licet a Rege Ferdinando I. ſpecialiter de Actuariis S. C. ſancitum eſſet; tamen generaliter poſtmodum injunctum, & repetitum fuit *in prag.* 8. *de actuar.* de omnibus aliis; ubi & illud etiam jubetur, at in teſtium examine ſcribant eorum patriam, necnon artem, aut profeſſionem, cui addicti ſunt; & locum, in quo interrogantur, & nomen Judicis. Et quamvis rei criminalis periti communiter doceant, non debere teſtes interrogari, niſi de iis, quæ ad cauſam faciunt; tamen ſuperiora, licet aliquo modo videantur extra cauſam eſſe, vid. Ant. Matth.

Digitized by Google

Matth. *de crim. tit. de prob. c.* 4., non minimum momentum habent ad legitimam probationem, & ad inſtructionem judicantis; præſertim quoties inſpiciendum eſt de ætate, & qualitate teſtium. Exiſtimaverim autem, hæc, & hujus generis ſimilia, quæ propria ſunt Actuariorum muneris, verum, non faciunt ad internam, & ſubſtantialem rerum geſtarum probationem, ſi omittantur ex imperitia, aut negligentia, non officere actibus judicialibus; ſed potius in illos animadvertendum per Judices. Pœna pecuniaria, quæ ſolvi debet, quoties nullitates propoſitæ adverſus ſententias Magnæ Curiæ non obtinent, ſtatim denuncianda eſt ab Actuariis, & Scribis Perceptori proventuum ex *prag.* 1. §. 1. *de Procurat.*, ſecus illi eandem quantitatem tenentur de proprio præſtare, in pœnam negligentiæ. Idem ſtatuitur *in* §. 2. circa pœnam ſolvendam ex beneficiis petitis (hæc locum habent, ubi terminus ad probationes judiciarias præſcriptus, elapſus eſt; eaque explicabimus ſuo loco, vid. *pragm.* 31. *de offic. S. R. C.*) dilationis ſtruendæ, non juſtæ probationis faciendæ gratia. In ſcripturis obligationum, quæ fieri ſolent in judicio, & vulgo dicuntur obligationes penes acta, (quorum uſus in Regno unde originem habuerit, proponemus ubi de publicis inſtrumentis agendum erit) hæc ſervari debent ab Actuariis ut ſive illæ fiant ratione fidejuſſionis, ſive alterius cujuſcumque cauſæ, non poſſint confici, niſi ab ipſiſmet Actuariis; idque in quolibet Tribunali, & Curia. Et, ne fraudibus detur occaſio, is qui obligatur, coram duobus, aut tribus teſtibus ſe ſubſcribere debet: quod ſi ſcribendi ſit imperitus, Actuarius ſubſcribas pro eo, aſſerens ſibi notam perſonam illius. Quæ omnia ſi non obſerventur, pœna pecuniaria plectuntur actuarii, & obligationes non conſiſtunt *prag.* 9. & 15. *de actuariis*. Additur *in prag.* 10. teſtium non requiri interventum, quoties ſumma, quæ verſatur in obligatione, eſt infra aureos quinquaginta. Quæ obligationes recipiuntur nomine Magnæ Curiæ, mandatur in *prag.* 20. §. 11. *de offic. Mag. Juſtit.*, ſive in hac Civitate, ſive extra, in peculiari libello annotari debere, exprimendo nomen, cognomenque tum creditoris, tum debitoris. Quoties fidejuſſionibus receptis *de concordando partem de debito*, & *Fiſcum de pœna*, finito tempore non ſatisfit; injungitur Actuariis in *pragm.* 19. §. 23. *cit. tit.*, ut ſimul cum aliquo ex Judicibus Magnæ Curiæ, abſque alio requiſito, ſtatim pœnas accuſent; hoc eſt, ſolemnibus judiciariis adhibitis, adigant promiſſores ad ſolutionem pœnarum.

XI. Quæ ſpecialiter injunguntur Actuariis, & Scribis criminalibus hæc ſunt: I. propoſita accuſatione, debent, ſciente, aut Præfecto Magnæ Curiæ, qui dicitur Regens, aut uno ex Judicibus, aut Advocato, vel Procuratore Fiſcali, citationis mandatum conficere, & apparitoribus conſignare; & deinde ad reliqua judicii conſueta procedere. Et de his accuſationibus, ſive querelis peculiarem librum formare tenentur, ibique manu propria annotare dictas querelas ordinarii actorum Magiſtri, & Scribæ *d. prag.* 19. §. 2. 3. & 15. II. Quoties accuſatores, omneſque ii, quorum intereſt, ab accuſatione recedunt, aut ſuo juri renunciant, vulgo *remiſſiones* faciunt, coram Actuariis id peragi debet; iiſque ſolis in ſcripturam hoc redigere conceditur *d. pragm.* 19. §. 16. ubi additur, ab eiſdem interrogationes neceſſarias faciendas eſſe.

Quod

Digitized by Google

Quod intelligendum eſt ex præſcripto in *pragm.* 27. §. 32. *eod. tit.*, nempe *interrogando partem remittentem qua de cauſa fecerit remiſſionem*; utrum vi, timore, prece, pretio; & utrum aliquid acceperit, vel promiſſum ei ſit. Quæ omnia conſuetis formulis adſcribenda ſunt; etenim nunquam, aut raro *remiſſionibus* aliqua ex ſupradictis cauſis occaſionem non dedit. III. Nulla mora interpoſita debent notum facere Judicibus *omnia acta facienda per Curiam in omnibus cauſis fiſcum tangentibus*, ait *rit.* 32., hoc eſt ubi agitur de crimine publico, in quo Fiſcus accuſatoris munere fungitur. Idem ferme mandatur in *pragm.* 4. *verſ. rurſus de Actuar.* & in *prag.* 27. §. 12. *de offic. Mag. Juſtit.* IV. Elapſo triduo, reos jam citatos, in judicium vocare tenentur; quod vulgo dicitur, *incuſare contumacias*; nam qui Judicis mandato non paruit, utpote contemnens ejus auctoritatem, incidit in pœnam pecuniariam, prout fuſius explicabimus, ubi differetur de ordine judiciali, vid. *prag.* 17. *in princ.* & *pragm.* 18. §. 2. & *infr. cit. tit.* V. Poſt confectionem actorum inquiſitionis, ea tenentur tradere tum Advocato, tum Procuratori Fiſcali, vid. *not. in pragm.* 2. §. 6. *eod.* VI. Ne ſententiis forjudicationum, quæ tanti momenti ſunt, aliquid fraudulenter objiciatur, in *pragm. un. de ſentent. forjud.* decernitur, poſt illius pronunciationem, eodem, vel ſequenti die, debere actorum Magiſtrum *proceſſum* deponere in peculiari arca; conſervanda in Archivio Magnæ Curiæ; idque coram Regente, & Fiſci Advocato. VII. Effectis jam reis contumacibus, ſtatim bona eorum annotanda ſunt per Actuarios; & annotationis ſcripturas tradenda Perceptori Tribunalis *prag.* 20. §. 10. *de offic. Mag. Juſtit.*

XII. Videamus modo quænam ſupradictis Actuariis tam civilibus, quam criminalibus prohibita ſint: Primo, quod omni jure prohibetur in quocunque munere, aut officio exercendo, non debent illi ultra modum legitimum ſportulas exigere; idque, ut certum, & præfinitum eſſet, plures latæ fuere leges, in quibus, cum generalis annotatio contineatur ſingularum exactionum pro cujuſcunque generis ſcriptura, vulgo dicitur *Pandecta Magnæ Curiæ*. Et quamvis ſæpius repetita inveniatur, quotidie ad eam provocetur; tamen omnia ferme reguntur arbitrio. Et propterea non mirum ſi Actuariorum, & Scribarum, quorum ſuſtentationi tantum proviſum eſt in ſportulis aſſignandis, divitiæ haud exiguæ apud nos cernantur; & vivendi luxus mediocritatem excedat. Quod certiſſimum documentum præbet, male cum Juſtitia agi, dum non minima patrimoniorum pars, ejus generi perſonarum opibus augendis conſumitur. Moribus Romanis, & legibus, ea res intra certam formam ſtetit. Antiquitus nulli Judicibus dabantur a privatis ſportulæ, ſed iis e publico præbebatur ſalarium, prout & omnibus Magiſtratibus, vid. *l.* 4. & *ult. D. de offic. aſſeſ.* & *tit. in Cod. de annonis*, & *capitatione adminiſtrantium* &c. Quod & cum Scribis, Apparitoribus, Viatoribus viſitatum fuiſſe, credendum eſt. Pedaneis autem Judicibus, quia nihil dabatur de publico, a litigantibus ipſis cœperunt ſportulæ præberi, & iis proprie tale vocabulum competebat; nam ſportula, inquit Budæus *annot. ad l. ſi mulier D. de donat. inter vir.* &c. dicta eſt obſonium,

quod

Digitized by Google

quod divites Romani ſalutatoribus dabant, ſecreto ipſi cænantes; in limine autem domus ſportulæ conſtituebantur. Poſtmodum, ut incommodum vitaretur, quod antea dabatur obſoniorum in ſportulis, converti cœpit in pecuniam; & vetus nomen remanſit, quod & in Judicibus uſurpatum fuit; Viatoribus, & Apparitoribus, & fortaſſis etiam Scribis, ceſſante ſolutione ſportularum de publico, cœpit præberi a privatis. Verum ne illæ ad arbitrium, & ultra modum ſolverentur, conſtitutionibus Imperatorum cautum fuit, vid. *novel.* 82. *& in tit. in Cod. de ſportulis*, ubi extabat forſitan in prima Cod. editione Juſtiniani græca conſtitutio, ſed poſtea in poſteriori omiſſa; eaque cautum fuerat, ut in triplum tenerentur, qui ſummam majorem vera æſtimatione, in libello inſerebant dolo malo, quo apparitores majores ſportulas exigerent, vid. §. *tripli* 24. *Inſtit. de action.* Unde palam eſt, pro modo quantitatis petitæ ſportulas tunc exigi ſolitas; ſed quinam fuerit is modus, ignoratur. Statuerat idemmet Juſtinianus pœnam quatrupli adverſus executores litium, qui plus juſto quidquam exegiſſent: imo & eadem pœna plectendos Judices, qui audire noluiſſent eos, qui majores ſportulas ſolviſſent, & querelas propoſuiſſent §. *quatrupli* 25. *cit. tit. & nov.* 124. *c.* 2. Apud nos autem hujus generis pœnæ omnino ſunt incognitæ; & tantum modus exactionum præſcribitur variis legibus, nominatim in *pragm.* 46. *de offic. Magiſtr. Juſtit.*, ubi pro ſingulis judiciariis ſcripturis, & actibus, definitur certa ſumma; eaque ex continuatis, & quotidianis exactionibus, ſufficiens eſt ad ſalarium Scribarum; quod antiquis noſtris legibus perexiguum fuerat; nam trigeſima tantum quantitatis in petitione deductæ olim utplurimum præſtabatur, dividenda inter Judices, Aſſeſſores, & Scribas, vid. *conſtit. cum circa Juſtitiæ tramites*. Sed hoc ſemel tantum, nempe finita lite: At novæ exactiones in dies fiunt; eæque ad immenſum creſcunt, dum judiciorum anfractus, & tot ſcripturarum complicationes, ad plures annos ſolent lites protrahere; unde evenit aliquando, ut impenſæ litis ſuperent quod deductum eſt in petitionem. Nec propterea ſuperior *pragmatica* ſervatur, quamvis ſæpiſſime repetita, vid. *prag.* 11. *de Actuar.* Ad abuſum removendum, decernitur in *pragm. ann.* 1738. §. 5. *in fin*, ut in calce ſingularum ſcripturarum teneantur propria manu Actuarii, & Scribæ annotare ſummas, quas exigunt. Actuariis, & Scribis criminalibus in certis caſibus expreſſis in *prag.* 27. §. 41. *& infra*, exactiones prohibentur, vid. *prag.* 22. §. 4. 5. *& infra eod.* ubi mandatur etiam quod diximus ex *cit. prag. an.* 1738.

XIII. Non debent Actuarii Judicum decreta promulgare, antequam ab iis ſubſcripta ſint *pragm.* 19. §. 34. *cit. tit.* Non poſſunt Procuratoris munere fungi, niſi in cauſis propriis, aut conjunctorum: quod ſi contra factum fit puniuntur pœna ſuſpenſionis, & privationis officii *pragm.* 30. §. 4. *eod.* Nec poſſunt pro ipſis litigantibus fidejubere *prag.* 16. *eod.* Dum Judices in ſuffragium eunt, vulgo dum *votant cauſas*, Actuarii non debent adeſſe *prag.* 37. §. 5. *eod.* In libris Magnæ Curiæ nihil notent, aut deleant, ſine prævio conſenſu Regentis, & Judicum; iique dum faciunt, Advocatus, & Procurator Fiſcalis debet eſſe præſens

Digitized by Google

ſens *pragm.* 20. §. 4. *eod.* Ne favoris, & gratiæ obtentu, litigantibus præjudicium adferatur, non poſſunt in ea domo habitare, ubi aliquis ex Judicibus domicilium habet *dict. pragm.* 37. §. 14. *eod.* De injuriis verbalibus accuſationes non admittant; hoc eſt ex iis non conficiant actus judiciarios, ne ex rebus leviſſimis impenſarum occaſio naſcatur, cum ejus generis quæſtiones de plano, & ſine forma judicii componendæ ſunt *d. pragm.* 36. §. 43. Exiſtimo autem huic pragmaticæ locum non eſſe, quoties atrox ſit injuria, quæ æſtimari ſolet ex loco, vel perſona, vid. §. *atrox Inſtit. de injur.* Atteſtationis litteras, vulgo *fidem*, facere non debent de iis, quæ in criminali judicio peraguntur, abſque licentia Judicis, & Fiſci Advocati *pragm.* 46. *eod.* Ex decreto generali Magnæ Curiæ, relato in *pragm.* 11. *de Actuar.* ſtatuitur, ne Actorum Magiſtri *procedant ad caſſationem contumaciarum, tam pro cauſa civili, quam criminali, tam ex libro condemnatorum, quam ex libro inferni* (lepido vocabulo ſic uſus forenſis adpellat librum, ubi pœnæ contumaciarum notantur) *vigore gratiæ dictis contumacibus factæ ſeu faciendæ, niſi comparentibus, perſonaliter, vel legitime, dictis contumacibus &c.*

XIV. Quæ huc uſque annotavimus, non omnia, ſed præcipua tantum complectuntur, legibus noſtris expreſſa; circa Actuariorum, & Scribarum munus; nam cetera, vel parum ſervantur, vel legendo obvia fiunt in pragmaticis ſanctionibus, quæ innumeræ ſunt, & ſæpiſſime repetitæ; unde arguuntur corruptelæ, & abuſus; quemadmodum in humano corpore, ubi continua, & repetita requiruntur medicamenta, indubie dici poteſt, ibi ſanitatem deſiderari. Ex ſuperiori autem, licet, longiori, quam par erat, diſputatione, illud emanat commodi, ut breviſſime quæ in ceterorum Tribunalium, & inferiorum Curiarum Actuariis, & Scribis ſervanda ſunt, explicentur: cum pleraque ſtatuta in Magna Curia, partim quod generalia ſint præcepta, partim quod ſic fert uſus, & in aliis obtineant.

---

§. I.

IN REGIIS AUDIENTIIS.

QUæ ſpecialiter pragmaticis ſanctionibus ſtatuuntur circa Actuarios, & Scribas Regiarum Audientiarum, hæc ſunt: Primo ex *pragm.* 10. § 5. *de offic. Judic.* cum mandatum eſſet, in ſingulis Audientiarum Tribunalibus ſtatui tabularia (Romani ſic adpellabant loca, in quibus publice tabula, ſive acta, & inſtrumenta conſervabantur: nos dicimus *Archivia*), ut in iis omnes reponerentur proceſſus; mandatur quoque, debere Actorum Magiſtros, finito tempore adminiſtrationis, proceſſus, quos in Archivio non repoſuerunt, tradere ſuceeſſoribus, a quibus apocha, quæ dicitur *de recepto*, conficienda eſt; cujus fide poterunt illi ad aliud ſimile munus exercendum admitti, aliter repellendi.

ſi ſunt. Huic §. conjungendum eſt, quod habetur ex §. 24. *ejuſd. prag.* ſcilicet, admittendos non eſſe ad adminiſtrationem Magiſtros actorum, niſi antea in Regiis Audientiis exhibuerint legitima documenta, cum ex Magna Curia, tum ex Curiis proprii domicilii, ſeſe nullo criminis reatu teneri, idque & in Scribis obſervandum. Huic conſona eſt *prag.* 13. §. 3. *de offic. & his quæ eis &c.* ſcilicet inquiri debere de vita & moribus Actuariorum, ante ſuſceptionem muneris. Quod licet ſpecialiter de actorum Magiſtris S.C. decernatur, tamen ob generalem rationem inibi expreſſam, in omnibus ſervari debet. Uſus autem vix ſuperiora confirmat. Quod ſtatuitur in *cit. pragm.* 10. §. 5. inde proficiſcitur, quia temporarii ſunt Actorum Magiſtri, non perpetui, idque jure Romano videtur ſtatutum ex *l.* 3. *Cod. de Aſſeſſor. Domeſt. &c.* ubi decernitur, Conſiliarios Judicum, ideſt Aſſeſſores, & Cancellarios, inter quos numerandi ſunt & actorum Magiſtri, qui & ſcripturas conficiunt ad munus judicandi pertinentes, poſt depoſitam adminiſtrationem quinquaginta dies reſidere debere in Provincils, rationem reddituros omnium geſtorum. Legibus noſtris expreſſe prohibetur, non ſolum ultra anni ſpatium permanere Actuarios in ſuo munere; ſed & confirmari ſequenti anno, eodem in loco, ubi antea illud exercuerunt *cap. item, quod prædicti* 283., & ratio his verbis redditur: *Ad hoc ut ſuper reddendis rationibus officiorum, ceſſet omnis confuſio, faciliuſque haberi poſſit, & officiales iidem abſque excuſatione aliena valeant ſyndicari.* Loquitur hæc conſtitutio *de Juſtitiariis, Capitaneis, Judicibus, Aſſeſſoribus, Actorum, Cameræque Notariis;* eoſque generali nomine officiales adpellat. Unde adparet, nugas agere Pragmaticos, dum non ſine multo pulvere quæſtionem proponunt, an nomine Officialis veniat actorum Magiſter. Si Officialem intelligunt eum, qui juriſdictioni præeſt, utique inepta eſt dubitandi ratio, cum nulla ea in re facultas competat actorum Magiſtris, qui tantum acta componunt ad ſolemnia judicii pertinentia, nullam autem auctoritatem habent jubendi aut imperandi, in quo conſiſtit officium juriſdicendi. At ſi nomine Officialis intelligunt eum, qui aliquod exercet officium, utique comprehenditur actorum Magiſter; prout in *cit. cap.* Solent autem utplurimum iidemmet Pragmatici conſtitutiones noſtras, quæ de Officialibus loquuntur, ad Actuarios transferre; ut præ ceteris facit Rovitus *in comment. ad prag.* 1. *de offic. Jud.*, ubi cum *ſummam* ejus pragmaticæ appoſuiſſet illis verbis: *Officiales ſint annales*; addit: *Idem dicas de Actuariis.* Sed obſcitantia laborat, dum id jure communi ſtatutum aſſerit, & jure Regni, ex auctoritate Iserniæ *in conſtit. occupatis nobis*, nam hæc conſtitutio expreſſe decernit contrarium; Imperator enim Fridericus, dum numerum Juſtitiariorum, Camerariorum, Judicum, & Notariorum in ſingulis Provinciis, & Civitatibus Regni ordinaſſet: demum ſic concludit: *Horum Officialium omnium tempora, præter Notarios* (intellige actorum Magiſtros ex iis, quæ ſupra dicta ſunt) *qui ubique terrarum perpetui ſtatuantur, anni curriculo præcipimus terminari.* Hinc palam eſt, conſtitutionem Friderici voluiſſe Reginam Joannam primam

ex parte abrogare in *cit. cap.* 283., dum mandat, *Actorum*, *Cameræque Notarios* non poſſe, nec debere, finito anno eodem in loco confirmari. In eo etiam videtur mihi a vero Rovitus aberraſſe, quod *in eod. comment. num.* 10., dum ſcribit, Actuarios, licet eſſe debeant annales, tamen finito anno, ſi in judicio ſyndicatus abſoluti ſint, poſſe *de novo exercere idem officium pro anno ſequenti*, *& ſic in ſingulis annis in futurum*, addit, id ſtatutum *ex deciſ.* Sacri Conſilii, relata apud Marinum Freccia; & ex decreto Collateralis Conſilii; *& contra quæ decreta videtur mihi* (ſunt verba Roviti) *cap. Regni Item quod prædicti Officiales*; *ſed auctoritas Collateralis Conſilii potuit illo capitulo, & ceteris juribus derogare*. Et ſane falſiſſimum eſt, potuiſſe Collaterale Conſilium expreſſam legem abrogare: nam potius dicendum, id ab eo factum, approbando conſuetudinem jam introductam, ut Actuarii poſt redditam rationem adminiſtrationis, confirmari poſſent in eodem munere; quemadmodum & conſuetudo induxit, ut ſtatim poſſint Officiales, finito tempore unius officii ad aliud tranſire; quod eſt contra *cit. pragm.* 1. §. 2., idque idemmet Rovitus monet. Etenim inauditum prorſus eſt, Magiſtratuum auctoritatem uſque adeo extendi, ut novam legem condere, aut conditam jam abrogare poſſit. Summa erat tunc temporis auctoritas Collateralis Conſilii; ſed ubi jus reddendum erat, leges illud ſervare tenebatur, aliter fruſtra adverſus ejus ſententias proponi potuiſſent nullitates a litigantibus; nam facile fuiſſet eas rejicere, aſſerendo, Collaterali Conſilio placuiſſe novam legem rogare, & adverſus antiquas decernere. Poterat Collaterale Conſilium, quemadmodum nunc Regalis Camera, diſpenſationes, quas dicunt, concedere: verum id non erat novas leges condere; ſed tantum ex certis cauſis, rigorem juris aliquantulum remittere. Imo id nec potuiſſet, niſi nominatim, vel ipſis legibus, vel Regum voluntate fuiſſet permiſſum. Quoties leges ferebantur, in conſilium vocari ſolebant Regentes Collaterales a Proregibus; facultas tamen juris condendi: utpote pertinens ad ſummum imperium, penes Proreges reſidebat; & propterea in præfatione pragmaticarum, conſueta formula utebantur: *Ci è parſo col voto, e parere del Regio Collateral Conſiglio, appreſſo di noi aſſiſtente, provvedere, ordinare ec.* At nunquam legimus, a ſolo Collaterali Conſilio legem conditam. Extant nonnulla ejus Tribunalis, quæ vim legis obtinent, Edicta: verum illa aut juris expreſſi continent mandata, aut dubii, & controverſi interpretationes, atque explicationes. Eiuſdem generis ſunt Decreta, quæ dicuntur *Generalia*, Regiæ Cameræ. Imo & in libris Pragmaticarum, non minus Sacri Conſilii, quam Magnæ Curiæ, eadem ratione promulgata legimus Decreta. Edicta quoque ſua proponebant Romani Magiſtratus, non jus novum componendo; ſed jam conſtitutum, aut explicando, aut ampliando. Præclare Ariſtoteles *Polit.* 3. *c.* 2. *Oportere Leges dominas eſſe*; *Magiſtratus autem edicere de illis*. Neque dixeris, Collaterale Conſilium repræſentaſſe perſonam Principis; nam nec Præfecti Prætorio ſub Romanis Imperatoribus, qui vice ſacra judicabant, legum abrogandarum auctoritatem ſibi aſſerebant, quin

Digitized by Google

quin potius in dubiis quæſtionibus ab Imperiali auctoritate deciſionem petebant, ut videre eſt in quibuſdam in Codice Juſtinianæo conſtitutionibus, tranſmiſſis ad Præfectos Prætorio. Dum dicimus, Magiſtratum aliquem, aut Judicantium Collegium, ſive Tribunal repræſentare perſonam Principis, intelligendum eſt de ſumma ejus auctoritate in jure reddendo, non de ea, quæ conſtituit eminens imperium;nam ſecus dici poſſet, Collaterali Conſilio,belli, paciſque jus competiiſſe:quod majorem non includit auctoritatem, quam novæ legis ferendæ, aut antiquæ abrogandæ. Hæc paulo uberius,quam inſtituti ratio fert, annotare placuit, ne conſuetis Forenſium erroribus decipiamur, præſertim in iis, quæ juris publici ſunt. Conſuetudini etiam accenſendum eſt, quod ſoli actorum Magiſtri, qui in Provinciis ſtatuuntur, finito anno ſubjiciantur ſyndicatus judicio; nam qui ſunt in variis hujus Civitatis Tribunalibus, ab hoc onere ſeſe paulatim ſubtraxerunt. Sed neſcio, an hæc conſuetudo rationi ſubnixa ſit; nam cum negotia, quæ hic tractantur majoris momenti ſint, ſequitur, arctiori vinculo continendos eſſe eos, qui illis dant operam; quod non aliter evenire poterit, quam ex judicio ſyndicatus. Et hoc verum eſſe experientia demonſtrat. Unde in *vol. privileg. tom. 2. pag.* 275. legimus petitiones Civitatis, & Regni, ut in uſum revocarentur privilegia jam conceſſa a Ferdinando I., & II. Aragonſenſibus, necnon a Carolo V., ut qui ſunt in hac Civitate Actuarii, & Scribæ ſyndicatui ſubjicerentur.

XVI. Ad negotia expedienda in variis Provinciarum Civitatibus, Oppidis, quoniam non ſemper ſeſe conferre poſſunt Auditores; ideo aliquando mittuntur actorum Magiſtri, præſertim pro teſtium examine. Quo caſu, mandatur in *prag.* 4. §. *6. de offic. juſt.*, ut ſimil cum iis alii non mittantur Commiſſarii, ne partes graventur expenſis. Additur autem exceptio his verbis: *Niſi videretur Regiis Audientiis ex aliqua legitima, & juſtiſſima cauſa, quod deberent, deſtinare alium cum dicto Examinatore; & in dicto caſu non poſſunt mittere, niſi Doctorem; & tunc cum illa minori expenſa, qua fieri poterit*. Servare tenentur omnino Actuarii quod variis conſtitutionibus ſancitum eſt, & nominatim in *pragm* 5. *de Actuar.*, ſcilicet *ne recipiant in pecunia, pretiis, ſeu aliis quibuſcunque rebus, etiam eſculenta, & poculenta . . . . & ſi forte aliquando equitatura aliqua* (ſunt verba pragmaticæ) *ſit eis neceſſaria, eam conducant, ſoluto prius logherio conſueto*. Ab Univerſitatibus nec etiam poſſunt quidquam petere, prout generaliter prohibitum eſt in Commiſſariis cujuſcumque generis in *pragm. 6. de Commiſſariis*; ubi ne qua amplius ſit occaſio injuſtis exactionibus, ſic decernitur ſalarium Magiſtris actorum ad negotium aliquod commiſſum, deſtinatis: Qui Sacro Conſilio, Regiæ Cameræ, & Magnæ Curiæ criminali ſunt addicti, quique primarii dicuntur, vulgo *in capite*, cum mittuntur ex petitione Fiſci, accipiunt aureos duos ſingulis diebus, ex petitione litigantium tres. Quod tamen ex ſequentibus verbis pragmaticæ intelligitur quando ii ſunt legum Doctores, quod raro evenit in perſonis ejus generis; nam ſecus accipient tantum carolenos duodecim. Verum exceptio hic ad-

Digitized by Google

addenda eſt *ex pragm.* 10. §. 64. *de offic. Jud.*, ut quando ad negotium aliquod perficiendum eligitur aliquis legum Doctor, quæ dignitas ad eam rem neceſſaria non ſit, ei non ſolvatur, niſi ſalarium conſtitutum ex *cit. pragm.* 6. ceteris omnibus *exequutoribus ordinariis*. Nihil exprimitur ſpecialiter circa Actuarios Audientiarum; ſed generalem habemus regulam ex *cit. prag.* 10. §. 44. *&* *pragm.* 6. §. 32. *de offic. Juſtit.* his verbis: *In ſolutionibus actorum in dicta Audientia ſervari debeat, atque ſervetur per actorum Magiſtros pandecta ſolutionum Magnæ Curiæ &c.* In hac eadem *pragmatica* præcipiuntur & alia, quæ obſervare tenentur iidem Audientiarum Actuarii, quæque utpote diſertis verbis expreſſa, nulla opus habent interpretatione; ſed tantum exequutione, quæ ut plurimum deſideratur. Et proinde in *prag. an.* 1738. non ſemel injungitur omnibus actorum Magiſtris, ut ad uſum revocent præteritas leges; & præcipue in §. 7. *nu.* 6. non ſolum ſervari mandatur eandem Magnæ Curiæ *Pandectam* circa exactiones; ſed etiam ejus exemplar affigi in loco, ubi illi ſuo muneri incumbunt. Et abolentur in *ead. pragm.* tam contrariæ conſuetudines, tum mandata, ſive proviſiones ſupremorum Tribunalium. Quod oſtendit, conſueviſſe olim hujus Civitatis Tribunalia, contra formam juris ſcripti, majorum exactionum licentiam Actuariis Provinciarum concedere; idque præterquam quod juri publico adverſatur, & ſubditis eſt grave, demonſtrat falſiſſimam Doctorum opinionem, quam ſæpius explodere conati ſumus, nempe ſuprema Tribunalia jus novum concedere, & antiquum abrogare poſſe, facto ipſo apud nos comprobatam eſſe.

XVII. Quod attinet ad Magiſtros actorum, qui in ſingulis Civitatibus, & Oppidis ſtatuuntur, nihil ferme nominatim noſtris legibus decernitur; & propterea generalibus ſanctionibus comprehenduntur circa Actuarios, præſertim Provinciarum. Tantum hic notandum eſt quod præcipitur in *cit. prag. ann.* 1738. §. 1. *num.* 8., ut ab Actuariis cujuſcumque Curiæ in Regno non recipiantur *proviſiones* tranſmiſſæ a Tribunalibus hujus Civitatis, quoties a die expeditionis menſis ſit elapſus. Notandum & illud in *ead. pragm.* §. 7. *num.* 7. teneri Magiſtros actorum propria manu, præſcripta, non notata ſumma, apponere in ſcripturis, quas conficiunt, quidquid exigunt a litigantibus. Quæ proviſio cum optima ſit, ad illegitimas exactiones removendas, ſervari quoque debet in quibuſcunque inferioribus Curiis Regni. Poſtremo in *ead. prag. num.* 8. derogatur conſuetudini, de qua ſupra, ut reddita ratione adminiſtrationis poſſint actorum Magiſtri confirmari ſequentibus annis ad idem officium obeundum, eodem in loco; nam jubet *pragmatica*, ut elapſo quatriennio debeant ab ea Provincia diſcedere; ne ob longi temporis moram, conſanguinitatis, affinitatis, atque amicitiæ vincula contrahendo, recta adminiſtratio muneris aliquid detrimenti capiat. Excipitur tantum, ubi Actuariorum, eorumque qui a ſecretis ſunt, officium adquiſitum ſit proprietatis jure; tunc enim requiritur ſolummodo, ut ſingulis annis judicium ſubeatur ſyndicatus. Cum ratio hujus conſtitutionis eadem ſit in Actuariis inferiorum Curiarum, ſequitur, idem prorſus in iis ſervandum eſſe. Specialiter autem ſic cavetur in *ead. pragm.*

§. 8.

§. 8. *num.* 3. de Magiſtro actorum, qui eſt in Tribunali Commiſſarii generalis, ſive Campaniæ, ut quolibet triennio mutari debeat, & eo tempore finito ſubire ſyndicatum. Nec ejus nova electio fieri poterit a proprietario talis officii, niſi cum conſenſu *Superintendentis* Campaniæ, qui certiore reddito Commiſſario Generali, tenetur referre in Camera Regali, ut videri poſſit, utrum perſona electa injuncto muneri ſit idonea. Sunt & alia difertis verbis expreſſa in *eod.* § 8., quæ ſervari debent in eodem Tribunali circa Actuarios, Scribas, aliaſque inferioris notæ perſonas; unde interpretatione non indigent. Quod attinet ad actorum Magiſtros, qui ſunt in Curiis Bajulorum, ſervanda ſunt quæ generaliter præcipiuntur in *prag.* 3. *de Offic. Bajuli* de Curia Bajulatus hujus Civitatis, tum circa exactiones, tum circa muneris exercitium; niſi aliis in locis legitima aliqua conſuetudo diverſimode ſeſe habeat.

§. II.

IN SACRO CONSILIO.

PRimum omnium in electione Actuariorum Sacri Conſilii ſic jubet Rex Ferdinandus I. *in pragm.* 24. *de offic. S. R. C.: Non prius ad dictum officium exercendum admitti volumus, quam ab eodem noſtro Conſilio, ut idonei, & legales adprobati fuerint; quamvis de dicto officio privilegium a noſtra Celſitudine obtinuerint.* Jubet etiam in *ead. conſtit.*, ut propria opera ſuum munus exerceant non per ſubſtitutos. Habent quidem hi Actuarii & ſuos Scribas; hoc eſt, quilibet eorum ſex, non ultra, *prag.* 58. *eod.*, ubi ſic ſcribit Tapia in notis: *Sunt autem hodie actorum Magiſtri treſdecim; & quod hic dicitur de ſcribis, intelligitur de ſcribis ordinariis, qui ſunt numero ſex, qui poſſunt actitare.* Placuit eidem Regi Ferdinando prohibere in *prag.* 26. *in fin. eod. tit.* citationes, alioſque actus ſcribi ab alio, quam ab Actuario. Sed hanc generalem ſanctionem ſub Regno Philippi II. his verbis explicavit Dux Alcalenſis: *Quod in calce dicitur, actus omnes Actuarii manu eſſe ſcribendos, propter cauſarum multitudinem, receptum eſt, ut ab Actuariis, vel Scribis ipſorum approbatis, & matriculatis per Sacrum Conſilium acta omnia conſcribantur; ſicque ut ab illis tantum, & non aliis ſervandum. Addentes quod citationes omnes, & mandata quæcumque, literæ exequutoriales, fidejuſſiones, ſententiæ diffinitivæ, & commiſſiones quæcumque, ac præſentationes ſcripturarum, ipſius Magiſtri actorum principalis manu ſaltem ſubſcribantur, & non alterius; etiamſi ſcriba matriculatus fuerit.* Statuerat idem Ferdinandus in *pragm.* 29. *eod. tit.* ut pecuniaria pœna, arbitrio Sacri Conſilii indicenda, exigeretur ab omnibus iis, qui poſt interloquutorias, diffinitivaſve ſententias, ad idem Tribunal ab inferioribus Judicibus detuliſſent frivolas appellationes, ut adverſarium defatigarent, litemque proferrent. Quæ pœna poſtmodum ad certam ſummam carolenorum quin-

de-

Digitized by Google

decim redacta fuit ex decretis ejuſdem Sacri Conſilii, relatis in *ead. pragm.* §. 3., *&* 4., & propterea in calce additur, debere *Actuarios nomina præſentantium ſupplicationes ſuper gravaminibus prædictis, annotare in eiſdem, ut ſciri poſſit a quibus pœna ſit exigenda*. Hæc omnia optime ſtatuta ſunt: verum, ut ſolent utplurimum quæ dilationibus, & calumniis removendis deſerviunt leges, uſu non obtinent. Eodem pertinet *prag.*30., ubi & illud notatu dignum eſt, quod pœna ex dilationibus propoſitis, non a clientibus, ſed ab ipſis Procuratoribus, Tutoribus, & Advocatis ſit ſolvenda. Tantum ſervatur in Sacro Conſilio pœnæ exactio in caſibus expreſſis in *pragm.*31. *eod.tit.*, qua de re opportunior erit dicendi locus, cum de ordine judiciorum inſtituetur diſputatio. Injungitur quoque Magiſtris actorum in *ead. pragm.*26. §.3. ut non recipiant *ſupplicationes libelloſque, niſi in extrema pagina ſignati fuerint manu Advocatorum*. Hujus conſtitutionis ratio illa videtur eſſe, ne ineptis, & importunis ſupplicationibus, & libellis proponendis ſit locus; quod facile eveniet ubi ab aliis, quam ab Advocatis, qui præſumuntur in juris ſcientia verſati, conficiuntur. Non debent Actuarii, neque ipſis *Advocatis, neque Procuratoribus, aut Partibus accommodare proceſſus originales ſub pœna unciarum auri quinquaginta, Regio Fiſco applicanda*, ait *pragm.* 54. *eod.* Idem confirmatur in *pragm.* 77. *eod. tit.* In teſtium examine *Commiſſarius cauſæ* ſimul cum actorum Magiſtro adeſſe debet ex *pragm.* 15. *eod.* Sed in calce decernitur, Commiſſarios id munus ſubire non debere *niſi urgenti, & rationabili ſubſiſtente cauſa*; & examinatores ſpecialiter ad idem munus eligendos eſſe a Præſide S. C., vid. *prag.* 68. *eod.* Has ſane in re monendi ſumus, in *cit. prag.* decerni, arbitrio Commiſſarii eſſe, ut ſi quando teſtes abfuerint a loco judicii, *audientia*, ſive examen eorum committatur *ordinariis locorum*, hoc eſt iis, qui juriſdictioni præſunt; aut deſtinetur Magiſter actorum, partibus non ſuſpectus. Sed quoniam tale munus teſtium examinandorum ſolet lucrum afferre; ideo, precibus porrectis ab Examinatoribus, decretum latum fuit in S. C., quod refertur, & confirmatur in *pragm* 75. *eod. tit. ut prædicti Examinatores valeant examinare teſtes intus, & extra Civitatem Neapolis, in omnibus cauſis vertentibus in Sacro Conſilio; & inter ipſos Examinatores fiat diviſio cauſarum per buſſulam &c. Verum in cauſis infra ſummam ducatorum mille non ſolvatur ipſis Examinatoribus acceſſus, nec receſſus &c.* Si volumus juſti, & æqui rationes expendere, dicendum eſt, tale decretum eo tantum reſpexiſſe, ut Examinatores, qui videbantur deſtinati ad teſtimonia recipienda tantum in hac Civitate, poſſent etiam mitti ad loca, in quibus teſtes adſunt. Ceterum nulla videtur præciſa neceſſitas impoſita, ut ii omnino extra Civitatem eligendi ſint; nam *pragmatica* utitur illis verbis: *valeant examinare teſtes intus, & extra Civitatem Neapolis*. At nihilominus, ſive minus recta pragmaticæ interpretatio, ſive abuſus induxit hac in re quoddam *jus prohibendi*; ſcilicet, ut in cauſis, quæ diſceptantur in Sacro Conſilio, non poſſent alii ad teſtium atteſtationes recipiendas deſtinari, quam Examinatores. Quod utique & ipſis litigantibus grave eſt, & bono publico adverſatur; etenim non ſemel quæ facili negotio, & modicis ſumtibus perſi-

perfici poſſent ab ipſis locorum Judicibus, neceſſario committenda ſunt Examinatoribus: & nihil magis publicæ utilitati adverſatur, quam neceſſitatem imponere, has tantum, vel illas perſonas adhibere pro jure noſtro obtinendo. Quo factum eſt, ut Examinatores, ubi e re ſua exiſtimant, hoc eſt ubi agitur de lucro alicujus momenti, contendant omnino, ad loca, ubi ſunt teſtes, ſeſe conferre; ſecus, tanquam ſi leges eorum arbitrio ſubjiciantur, recuſent munus injunctum; & ex recuſatione, vulgo *renunciatione*, quæ non ſolet gratis fieri, examen committitur Judicibus locorum; quaſi horum fides minus integra cenſeatur, quam Actuariorum, & Scribarum Sacri Conſilii. Quæ ſane incommoda, cum ſint ex falſis Doctorum opinionibus, unde prava ſolet naſci forenſis conſuetudo, ex parte removentur in *cit. pragm. an.* 1738. §. 3. *n.* 5.

XIX. Hæc omnia non aliunde proficiſcuntur, quam ex lucrandi cupiditate, ut diximus, quæ in ejus generis hominibus ſumma eſt, & propterea non uno in loco noſtris legibus coercetur. Ætate ſupradicti Regis Ferdinandi I. ſportulas Actuariorum perexiguas fuiſſe, argumento eſt *prag.* 25. *cit. tit.*, nam ibi mandatur, nihil exigendum *pro ſententiarum ſcripturis, lectura, ac publicatione*. Verum cum peſſimo publico inductum fuiſſet, ut eorum officia venderentur, paulatim injuſtarum exactionum abuſus irrepſit; unde neceſſarium fuit, ad certam formam eas redigere ex decreto ipſius Sacri Conſilii, relato in *ead. pragm.*, & confirmato a Petro Toletano Vicerege, ſub Carolo V., & vulgo dicitur *Pandecta* S. C. Sed hoc ſemper male ſervatum fuit, prout & temporibus noſtris videmus. Unde non ſolum enixis precibus ſæpius petitum fuit a Civitate, & Regno, ut ea ſervaretur, vid. *vol.* 2. *privileg. p.* 139. 142. 164 *&c.* verum & novis legibus injunctum, præſertim in *cit. pragm. an.* 1738., in qua duo præ ceteris circa rem, de qua agimus, notanda ſunt: primo, quod tenentur Actuarii quidquid exigunt, exprimere in calce ipſarum ſcripturarum, quod jam proviſum fuerat in *pragm.* 25. §. 29. *de offic. & his quæ eis &c.* & in *pragm.* 22. §. 5. *de officio Mag. Juſtit.*: Secundo quod Scribæ, ne magis lucro incumbant quam neceſſario muneri non debent, uno eodemque tempore duo, vel plura, ejuſdem generis officia exercere, vid. §. 1. *num.* 32. Ad injuſtas quoque exactiones removendas pertinet §. 25. *cit. pragm.* 25., ſcilicet, ut Actuarii nihil recipiant, prout antea fieri ſolebat, ab Examinatoribus S. C. Et in §. 28. rectiſſime prohibentur, ne conventiones fiant inter Actuarios, & litigantes de certa quantitate ſolvenda, ſportularum nomine; nam ex forma ſtatuta in *pandecta*, pro ſingulis ſcripturis ſolutio facienda eſt. Et fortaſſis ratio hujus legis eadem eſt, ac illa, qua prohibetur jure Romano, ne pactum interponatur inter Advocatum, & Clientem *de quota litis*, ut vulgo dicitur, ex *l.* 5. *C. de poſtul.* ſive, ut emolumentum ille accipiat certæ partis ejus, quod in actionem deducitur, ſi victor extiterit. Cujus prohibitionis ea reddi ſolet ratio, quia, ut loquitur Gloſſa, *cognoſcens Advocatus, ſe habiturum partem ejus, quod proſequitur, etiam calumnioſe advocabit*. Rectius Cujacius *lib.* 16. *obſerv. cap.* 16. ex verbis Papiniani in *l.* 7. *D. mandati*, quia eſt contra bonos mores ſocietas futuræ victoriæ, & eſt veluti redemtio litis alienæ, omnino improbata a jure

Digitized by Google

a jure, vid. *l. penult.*, *& ult. C. eod. tit.* Hæc omnia removenda quoque ſunt ab Actuariis, qui dum proprium munus exequuntur, facile poſſunt fraudulenter ſe gerere, ut victor exiſtat is, cum quo initum eſt pactum.

XX. Ut omnia recte, atque ordine ſuo procederent in Sacro Conſilio, variis ſanctionibus proviſum eſt in *prag.* 81. *eod. tit.*, & negotium in §. 3. & 4., ut qualibet hebdomada die ſaturni negotium detur quatuor ex Magiſtris actorum legendi coram Præſide *ſupplicationes*, hoc eſt actionum libellos, qui precum oblatarum Regi formulis concipiuntur, ex conſuetudine recepta in Sacro Conſilio, ut alibi diximus; & poſtquam Conſiliarius Commiſſarius in iis deſtinatus eſt, fieri debet æqualis diviſio inter omnes actorum Magiſtros. Ne autem fraudibus ſit locus, liber diviſionis ejuſmodi conficiendus eſt, & manu Præſidis ſubſcribendus. Mandatur §. 5., ut non poſſit Magiſter actorum actus ullos judiciarios conficere, nec etiam vocationem in jus (in *pragm.* dicitur *citatio contra ſupplicata*, quia cum actor in ſupplicatione propoſuiſſet intentionem ſuam, dum vocatur reus in judicium, monetur, ut veniat reſponſurus adverſus ſupplicata ab actore), niſi antea legitimis documentis conſtiterit de perſonis eorum, qui liti ſe obtulerunt alieno nomine. In §. 6. confirmatur quod generaliter ſtatutum fuerat in *pragm. ult. de citationib.*, ut non debeant actorum Magiſtri admittere ſupplicationes, neque ex iis edicta, ſive proviſiones expedire adverſus exteros, hoc eſt eos, qui extra territorium hujus Civitatis in variis locis Regni habitant, niſi de privilegio conſtiterit, unde adpareat, jus eſſe actori reum avocandi extra proprium domicilium. In §. 8. confirmatur *pragm.* 10. *de offic. Jud.*, & decernitur, non admittendas ab actorum Magiſtro ſcripturas ullas, niſi vel a Procuratore, vel ab ipſo principali litigante exhibitas; & in earum capite adnotandum mandatur nomen, cognomenque exhibentis, & diem, quo ſingulæ exhibitæ ſunt. Quamvis in §. 18. *ejuſd. pragm.* caveatur, ut de pecunia depoſita a litigantibus in Sacro Conſilio cum ſit mandatum liberationis, illud integrum propria manu Actuarii ſcribendum ſit; tamen ne mora negotiis afferatur, ſi in *pragm.* 18. *de Actuariis*, permittitur id fieri poſſe etiam a Scribis. Illud autem cavetur in §. 19. *ſeq.* ne apud actorum Magiſtros numerata pecunia deponatur, ſed apud Menſarios publicos, vulgo *Banchi*, quorum atteſtatio in ſcripturis redacta, præbetur Actuariis conſervanda. In *pragm.* 86. *eod. tit.* ſtatuuntur & alia, ſive potius jam ſtatuta renovantur, ad officium Actuariorum pertinentia; & nominatim in §. 5. iis injungitur, *ut ſententias Sacri Conſilii ſubſcriptas*, *& annotatas tranſmittant Secretario pro illis regiſtrandis*; *& ſic etiam omnes fidejuſſiones civiles*, *& criminales*. In *pragm.* 88. eadem ferme repetuntur; ubi in §. 12. jubetur, ut ab *actorum Magiſtris*, *qui ſunt Subſtituti*, *vel Affictatores*, *ſe ſubſcribant in omnibus actis*, *& ſcripturis pro eorum actorum Magiſtris proprietariis*. Poſtquam actibus judiciariis finis eſt impoſitus, ſive *facta concluſio*, ut eſt forenſis formula, debet actorum Magiſter infra dies octo *proceſſum judici de cauſa cognoſcendi*, ait *pragm.* 26. *in fin. eod.*, *præſentare*; ut quanto citius per diffinitivam

vam ſententiam lis terminetur. Ex decreto Sacri Conſilii, relato a Tapia *ſub tit. de offic. & ſalar. Actuar.* injungitur, librum conficiendum eſſe, in quo unuſquiſque ex actorum Magiſtris adnotet *fidejuſſiones, quæ per ipſos capiuntur apud acta ejuſdem S. C., vel cauſarum Commiſſariorum, de reſtituendo pecuniam, quæ liberatur creditoribus, quibus, & quando fuerit ordinatum reſtitui .... idque eadem die, qua illas receperint, vel ſaltem ſequenti juridica &c.*

§. III.

IN REGIA CAMERA, ET IN CETERIS OMNIBUS CURIIS.

QUoniam in hoc Tribunali plus, quam in aliis, ſemper fuit, & adhuc eſt, rerum agendarum inconcinna methodus, unde lites, & diſceptationes obruuntur potius actuum judicialium, & perſonarum portentoſa confuſione, quam expediuntur, non ſine maximo publicæ utilitatis detrimento: ideo mirum in modum crevit Actuariorum, Scribarum, & ejuſdem generis perſonarum multitudo; quæ veluti ad captæ urbis excidium, & deprædationem, accurrit ad Univerſitates, privatoſque pecunia emungendos. Dum primum Regia Camera inſtituta fuit, quatuor tantum creati fuere actorum Magiſtri, quorum ſinguli ſeparatis in ſedibus collocati, binos ſibi eligerent Actuarios. Paulatim, & alii cœperunt creari a Locumtenente uſque ad duodecim, qui ſeparati inter ſe, & alias ſedes conſtituerunt, vulgo *Banche*. His additæ fuere & undecim aliæ, quas Regia Curia noviter erectas, venditionis titulo tranſtulit in novos Actuarios. Sunt & aliæ duæ, quarum in una Actuarius eligitur a Secretario, in altera ab Archivario ejuſdem Tribunalis, ex facultate eis conceſſa in ipſa officiorum collatione. Sunt & undecim aliæ ſedes, in quibus jubetur in *prag. an* 1738. §. 4. ad immodicum numerum & confuſionem amovendam, ut undecim ſtatuantur peritiores, atque honeſtiores ex omnibus iis Actuariis, qui, licentia impetrata a Locumtenente, tali muneri ſunt addicti. De reliquis omnibus in *ead. pragm.* decernitur, non poſſe eos auctoritatem publicis ſcripturis impertire, niſi adſit ſubſcriptio alicujus primarii, ſive ordinarii actorum Magiſtri, dummodo conſuetæ exactionis modus non excedatur. Nemo autem ex his Actuariis, ſive Scribis Regiæ Cameræ, debet nomine alterius acta ulla conficere, vid. *pragm.* 75. §. 60. *de offic. Proc. Cæſar.* Inter omnes Actuarios, & Scribas æqualem diſtributionem negotiorum, & proceſſuum eſſe debere mandatur in *prag.* 19. §. 5. *eod. tit.*; & confirmatur in *cit.* §. 4. *num.* 3. & additur, *notam* conficiendam ejuſmodi diſtributionis, & in loco, ubi Actuariorum unuſquiſque reſidet, affigendam; adeout ſi quis negotio non ſuo ſeſe immiſceat, pœna plectatur aureorum vigintiquatuor. Exemplar ejuſdem notæ, tranſmittendum jubetur ad Regias Audientias. Sed hæc cum pertineant ad conſuetudinem vitandam, quæ modis omnibus ſovetur,

tur, ubi maxima privati lucri, nulla publici commodi ratio habetur, vix uſu ſervantur.

XXII. Ut actuum judicialium evitetur confuſio, & ut commode poſſint actus inveniri, ſi quando opus eſt, jubet *d. prag.* 75. §. 175., unumquemque ex Actuariis debere inventarium conficere, & ſucceſſoribus in officio tradere. Ex §. 4. *cit. prag.* 19. debent illi *in regeſto ſeparato annotare commiſſiones computorum, quæ fiunt in Banca a Rationalibus*. Et in *pragm.* 20. *eod.* decernitur, *librum fieri per Magiſtrum actorum Cameræ, in quo cauſæ omnes pendentes, in quibus Fiſcus actoris vices ſuſtinet, ac pariter futuræ, in quibus Fiſcus aget; annotari debeant, una cum annotatione Commiſſariorum, quibus commiſſæ ſunt, ac Scribarum, ſeu Actuariorum &c.* Idem Magiſter actorum, mandatur in *pragm.* 21. *eod.*, debet in unoquoque proceſſu *concluſo, ſive agitato in Camera, ſive devoluto per viam adpellationis manu propria adnotare numerum chartarum; ac ſimiliter in omnibus informationibus, tam de mandato Cameræ captis, quam ex aliis Magiſtratibus Regni ad ipſam Cameram tranſmiſſis, cum diſtinctione nominum &c.; & annotare in regeſto ſeparato; & quoties contigerit per Locumtenentem committi Præſidentibus, aut Rationalibus, debent in alio quinterno annotari diem, in quo tranſmittuntur, nomen officialis &c., ita ut dictus Magiſter actorum curam adhibeat recuperandi, & conſervandi dictos proceſſus, & informationes.* De fidejuſſionibus præſtitis in Regia Camera, actorum Magiſtri tenentur certiorem facere Secretarium illius, ut poſſint *in regeſto* annotari, vid. *pragm.* 10. §. 79. *de offic. Jud.* Ad Magiſtros quoque actorum pertinet, certiorem facere Theſaurarium generalem de omnibus extraordinariis exactionibus, quæ fiunt in caſibus enumeratis, & ſecundum formam præſcriptam in *cit. pragm.* 75. §. 126.; quemadmodum & de Releviis (numerantur hæc apud nos inter onera feudorum, de quibus ſuo loco) Rationalem, qui cedulario incumbit *pragm.* 66. §. 10., & *d. pragm.* 75. §. 49. *eod.* Hujus Cedularii quæ ſunt negotia non ab omnibus Actuariis pertractari poſſunt, ſed a quatuor tantum, eligendis ex præſcripto *cit. prag. an.* 1738 §. 4. *num.* 8.; ad evitandas ſcilicet Delatorum fraudes, qui denunciationes jam finitas, ſive per tranſactionem initam cum Fiſco, ſive per ſententiam, iterum proponebant apud diverſos Actuarios. Et ſane optimi Principis officium eſt, delatorum audaciæ occurrere, vid. *Gothofr. in parat. C. T. de petit. & ultr. dat. & Delatoribus*. Eodem pertinet quod eſt *n.* 9 *ejuſd. pragm.* Et *num.* 10. *regiſtrum* conficiendum, in quibus Actuarii debent ſummatim annotare, quæ in *proviſionibus*, quas expediunt, continentur. Quoniam ſecundum methodum receptam in Sacro Conſilio, etiam in Regia Camera uſus eſt, in domo Locumtenentis ſcripturæ recitari debeant, ut in iis, quid expediat, mandari poſſit ab eodem Locumtenente: ideo cavetur in *eod.* §. 4. *nu.* 12., ad eam rem non admittendos, niſi Actuarios, qui primarii ſunt, ſingulos in ſingulas hebdomadas; & uno impedito, tale munus demandandum non ſubſtituto, ſed ſecundum ordinem jam inceptum, ſequenti Actuario. Continentur & alia optima ratione ſtatuta in *cit.* §. 4., quæ licet admodum perſpicua, male

male obſervantur; quemadmodum & reliqua quæ in *cit. tit. Pragmaticarum de offic. Procur. Cæſar.* leguntur; & nominatim circa ſportulas Actuariorum, quæ præſcribuntur in *pragm.* 57. *eod. tit.*, & ſæpius inculcantur, ut in *cit.* §. 4. *num.* 26. - Sed omnia incaſſum. Quod utique dolendum eſt, nam in Regia Camera, præ ceteris, intolerandus jam factus eſt modus illegitimus, & arbitrarius exactionum, ne dicam concuſſionum. Poſtremo hic notandum eſt, quod mandatur in *cit. prag.* 19. §. 7., & pertinet generaliter non ſolum ad Actuarios, ſed ad omnes, qui Regiæ Cameræ addicti ſunt, illis verbis: *Item mandamus, omnino Officialis, aut Miniſter dictæ Cameræ, ſeu alias quivis, & præſertim dicti Rationales, Magiſter actorum, & Scribæ, & Conſervator ſcripturarum, audeant de ſcripturis dictæ Cameræ alicui aliquam oſtendere, ſeu publicare, vel a dicta Regia Camera extrahere originalem, nec copiam quamcunque alicui dare, abſque Locumtenentis, vel ejus, qui ejus vices geſſerit, licentia; cum conveniens non ſit, quod ſcripturæ Cameræ præſentatæ, inconſulte publicentur. Sub pœna ſui ſalarii, privationis officii, arbitrio Majeſtatis noſtræ.*

XXIII. Quod attinet ad Actuarios, qui ſunt in Tribunali inſtituto circa commercium, & negotiationem, præter generales regulas ſervandas a quibuſcunque perſonis tali muneri incumbentibus, prout ſupra expoſuimus, exactionum forma præſcripta habetur in *pragm. edit. ann.* 1739. *die* 22. *menſ. Decemb.* Quod idem de omnibus aliis dicendum in quacumque Curia; veluti de iis, qui ſunt penes Auditorem Præſidiorum Hetruriæ; in quibus, utpote conſtituta in ditione Regis noſtri, ſolet ad jus dicendum Judex creari nomine Auditoris; & in ejus Curia bini ſtatuuntur Actuarii, quorum unus in Portu Talamonis, alter in Portu Herculis permanere debet ex §. 7. *pragm.* 25. *de official. & his quæ eis &c.*; qui tamen in ſportulis exigendis tenentur formam, ſive *pandectam* iis præſcriptam obſervare, prout jubetur in *ead. pragm.* 83., ubi additur, idem ab Auditore faciendum eſſe. Tenentur etiam iidem Actuarii inventarium omnium proceſſuum conficere, & tradere ſucceſſoribus in officio *ead. pragm.* §. 6. Habebunt & librum, in quo reorum nomina, & dies, in quo illi in carceres fuerunt conjecti, & reatus cauſa annotatur. Quod licet in *ead. pragm.* §. 5. dicatur, ab Auditore fieri debere; tamen intelligitur de Actuariis, quorum peculiaris ea cura eſt. De Actuariis Curiæ Bajuli decernitur etiam in *prag.* 3. §. 7. 8. 9. 13. 14., & *infra de offic. Bajul.* certa forma exactionum, ſive *pandecta*. In §. 9. jubetur, *eos regiſtrum* habere debere, ſive inventarium ſcripturarum, & ſucceſſoribus tradere finito officio Pandecta quoque ſervanda eſt ab Actuariis Curiæ Auditoris Generalis, & Auditoris Triremium, vid. *citat. pragm.* 25. §. 13., & ab iis, qui ſunt in Curia Præfecti annonæ, vid. *pragm.* 42. §. 9. *de annona Civitat. Neap. &c.*, ubi in §. 8. injungitur iiſdem Actuariis, ne quemquam ipſo facto, abſque Judicis mandato in carcerem conjiciant; ſed ubi res ipſa expoſtulat, tenentur ſtatim vinculis mancipatum perducere ad Judicem, ut decerni poſſit quod æquum videbitur. Quoniam, ut ſæpe diximus, injuſtarum exactionum libido

Actuariorum, & Scribarum peculiaris eſt : ideo prohibetur rectiſſime in *pragmat.* 20. *de Actuariis* abuſus jam introductus, unde illi ex tranſactionibus initis inter Fiſcum, reoſque decimam partem, ultra ſummam jam ſolutam, exigere ſolebant, nam jubetur, ultra ordinarias exactiones, ad eos nihil ſpectare. Cavetur præterea in *ead. pragm.*, ut Actuarii, qui ſpecialiter, eligi, ſive aſſumi ſolent (vulgo in foro dicuntur *Actuarii aſſumti*) ab iis Magiſtratibus, & Judicibus, quibus negotium aliquod commiſſum eſt perficiendum in locis Provinciarum Regni; nihil exigant pro decretis interloquutoriis, aut diffinitivis ; ſed tantum ut eis ſolvatur ſalarium legitimum ratione dierum; vulgo *dietæ ordinariæ*. Et ratio hæc redditur in *pragm.*, quia tale officium non emerunt a Curia; ſiquidem electiones hujuſmodi fiunt extra ordinem. Hinc patet, ſportulas Actuariorum, & Scribarum eam ob cauſam auctas fuiſſe, quia eorum officia non gratis, ſed pretio cœperunt conferri. Quod utique documentum præbet, ejuſmodi venditiones ſemper publico commodo efficere. Huc quoque facit *pragm. ult. de ſalar. eor. qui mit. &c.*, qua prohibetur, ab Actuariis, imo & ab ipſis Judicibus delegatis, qui ſpecialiter eliguntur pro negotiis ſpectantibus ad exactiones vectigalium, vulgo *Arrendamenti*, quidquam exigi, quoties aliquem in locum ſeſe conferunt, ſive in hac Civitate, ſive in ejus territorio ; niſi *acceſſus* fiat ex petitione partium, quo caſu conſuetæ, & legitimæ ſportulæ tantum præſtandæ ſunt.

C A P U T V.

De officio Secretariorum, qui ſunt in unoquoque Tribunali, ſive Curiæ; & nominatim de eo, qui eſt in Regali Camera.

Antiquitus qui conſtituebantur Scribæ in Curiis Judicantium omnium ſcripturarum, & actuum judicialium curam habebant. Hinc in conſtitutionibus Regni, præter Actorum Notarios, ſive Actuarios, de aliis perſonis ei muneri deſtinatis, nihil omnino legimus, & propterea affirmaveris libenter, antiquitus in Magna Curia officium Secretarii nullum fuiſſe. Quod confirmatur ex capitulis Regum Andegavenſium, ubi ejuſdem officii nullum extat veſtigium. Sed omnem dubitandi occaſionem removet *ritus* 2. M. C., ubi de numero eorum, quibus illud Tribunal componitur, dum loquitur Regina Joanna II. ait: *Judices debeant eſſe ad minus tres, treſque alii Magiſtri actorum, ſex Subactuarii, duo Fiſcales, unus Ærarius, Advocatus, & Procurator Fiſci, unuſque Advocatus pauperum, & unus ipſorum Procurator, unus Comeſtabulus, unus Carcererius, unus Tubitta, & unus contumaciarum accuſator*. Hæc diligens enumeratio perſonarum maniſeſtiſſime oſtendit, ea ætate nullum fuiſſe Secretarium in Magna Curia. Sed quonam tempore tale officium ortum habuerit, non ſatis con

conſtat. Et fruſtra hac de re Scriptores noſtros conſulueris. Ipſemet *Auctor hiſt. civil.*, licet diligentiſſimum ſe conetur præbere inveſtigatorem originum noſtrorum Tribunalium; tamen de Sacro Conſilio dum loquitur *lib.* 26. *c.* 4. §. 1. *in fin.*, Secretarium illud habuiſſe contentus dicere; quiſnam eum inſtituerit, prætermittit. Sed parum diligenter ſe oſtendit, etenim inſtitutionum ejus Tribunalis dum ad Alfonſum I. Aragonenſem refert, videntur ejus verba Alfonſi tempora reſpicere, cum non poſſimus id tuto affirmare; & tantum in legibus Ferdinandi I., Secretarii mentio fit, ut in *pragm.* 13. *de offic. S. R. C.* in qua jubetur, *dum vota exquiruntur, Secretarium Conſilii ſolum intereſſe, qui Præſidentium* (hoc eſt *Conſiliariorum* fortaſſis ætate Ferdinandi Senatores ejus Tribunalis promiſcue adpellabantur, & Præſidentes, & Conſiliarii) *vota*; *ac demum concluſionem, quæ facta fuerit, in modum, qui ſequitur, in regiſtro annotet, videlicet: die &c. in tali cauſa &c., concluſum fuit &c.* Si conjecturis uti licet in re ambigua, dici poteſt, a Ferdinando officium Secretarii inſtitutum fuiſſe, cum ante nec formula peculiaris extabat, qua ſententia Sacri Conſilii adnotanda erat. Verum ab hac ſanctione poſtea receſſum eſt, ut patet ex §. 9. *ejuſd. pragm.*, ſiquidem annotatio ſententiæ, inductum fuit, ut fiat ab eo ex Conſiliariis, qui noviſſimo loco eſt electus. Dum autem Regi Ferdinando placuit Secretarium inſtituere, Romanorum morem aliquo modo reſtituit; etenim quemadmodum *Conſiliarium* Imperatores habebant, in quo, ceteris remotis, ſelecti viri conſidebant ad conſilium; ita & Magiſtratus *Secretarium*, vid. *l.* 5. *C. T. de proxim Comit. &c.* hoc eſt locum, ubi ſecreto permanebant pro negotiorum diligenti examine; ſed ad eum ſtatutis horarum temporibus admiſſi litigantes exaudiebantur. Huc referuntur verba *l.* 2. *C. T. de offic. Rect. Prov. apertis Secretarii foribus. Et l. ult. C. eod. de denunciat. Secretaria publica præſtolari*, pro *cognitionem Judicis expetere*. Secretarii foribus apertis, vela prætendebantur, quibus turba excludebatur. Verum ad vela, foreſque Officiales quidam conſiſtebant, qui *Secretarium* ingrediebantur, & intromittebant ipſos litigantes, Advocatoſque eorum; quo pertinet *l.* 8. *C. T. de juriſd.* ubi pœna pecuniaria plectuntur ii, *qui ex officio ingrediuntur Secretarium*, quoties leviores cauſas, quæque inferiorum Judicum cognitionis ſunt, ad Rectorem Provinciæ deferunt. Hinc non ſemel legimus, *velo levato* cauſas cognoſci, hoc eſt, palam, publice; vid. *l.* 5. *C. de naufr. lib.* 11. Huc faciunt verba Lampridii in Alexandro Severo: *Cum amicis tam familiariter vixit, ei ſalutaretur, quaſi unus de Senatoribus, patente velo, admiſſionalibus remotis, aut ſolis iis, qui miniſtri ad fores fuerant*. Poſterioribus temporibus, novæ, barbaræ voces cum multæ in latinum ſermonem inveherentur, facile fuit, ut & ipſi Officiales, qui Secretario Judicantium aſſiſtebant, Secretarii adpellarentur; quemadmodum & Cancellarii; nam Judices ſolebant etiam cancellos habere, ut removeretur turba, & qui ad eos ſtabant, inde creditur adpellatos fuiſſe Cancellarios; unde non ſemel

mel Secretarii, & Cancellarii nomen promiſcue uſurpabatur, vid. *Cangium in gloſ. v. ſecretarius*. Igitur, ut ad inſtitutum noſtrum veniamus, cum neceſſarium exiſtimaſſet Rex Ferdinandus, officialem ſtatuere in Sacro Conſilio, qui & ſententias ejus Tribunalis, aliaque majoris momenti exciperet, conſervaret, & qui continuo adeſſet prope locum, ubi Senatores jus dicebant: ideo Secretarium creavit.

II. Non tantum ſuperiorem legem de Secretario rogavit Ferdinandus, ſed in §. 2. *ejuſd. prag.* ait: *Conſiliarios omnes, ceteris poſthabitis rebus, convenire mandamus; a quibus ibi approbata, vel emendata fuerit* (concluſio ſive ſententia (*eam Relatoris prius, mox Præſidis manu ſignari, ſignatamque, ut in regeſtro notetur, Secretario tradi mandamus, poſtea ad expediendam ordinationem ipſius in forma partibus publicari queat; quam a Secretario ſub cuſtodia notulam conſervari jubemus*. Hac eadem de re faciliorem formam & magis diſtinctam induxit Dux Alcalenſis illis verbis in *pragm.* 10. §. 2. *eod. Mandamus, quod fiat liber in quo deſcribantur concluſiones omnium cauſarum cum die, & Calendario per Secretarium; qui liber cuſtodiatur in eodem Sacro Conſilio per dictum Secretarium*. In peculiari quoque libro fidejuſſiones annotandæ ſunt ex *prag.* 10. §. 79. *de offic. Jud.*; quemadmodum & mandata ad exequendum, ſive commiſſiones, quæ expediuntur; idque & de Regia Camera ſtatuitur in *ead. pragm.* §. 63. Debet autem Secretarius permanere in Tribunali, in loco ſibi aſſignato quotidie ſtatutis horis, *quamdiu Conſiliarii ſedebunt a principio, uſque ad finem*, ut ait *pragm.* 20. §. 5. *eod.* Dum in ſuffragium itur, in Aula prohibetur permanere *d.* §. 9. *prag.* 13. quemadmodum & ſententiam patefacere ante ejus promulgationem; quæ prohibitio generalis eſt, & comprehendit ipſos etiam Conſiliarios, *pragm.* 17. *eod.* Quoniam pœna decernitur in *prag.* 14. *eod.* adverſus Conſiliarios, qui, ubi non adeſt legitimum impedimentum, tribus continue horis permanere neglexerint in Tribunali ſtatutis diebus, ſcilicet ut amittant pro temporis omiſſi rata ſtipendii portionem: ideo mandatur Secretario, ut ejus rei per dies ſingulos fiat annotatio. Secretarii quoque munus verſatur in exactione omnium pœnarum ex iis, quæ pertinent ad Sacrum Conſilium *prag.* 81. §. *penult. eod.*; & propterea tenentur Actorum Magiſtri ea de re certiorem facere Secretarium *prag.* 86. §. 23., & *prag.* 88. §. 30 *eod.* Quæ exactiones legitime fieri poſſunt per Secretarium ratione ſalarii, ſive ſportularum, decernitur in *prag.* 25. *eod.*

III. Ad exemplum Sacri Conſilii, & in Regia Camera inſtitutus fuit Secretarius; cujus eadem ferme cura eſt, veluti annotatio ſententiarum, fidejuſſionum, commiſſionum *d. prag.* 10. §. 63., & 79. *de offic. Jud.* Huc pertinet *pragm.* 23. *de offic. Procur. Cæſar.* illis verbis: *Notator* (intellige Secretarium) *quando cauſæ votantur in Tribunali præſens eſſe non debeat; ſed poſt cauſam votatam Tribunal ingrediatur: & vota notentur, & diſtincte ſcribantur, cum annotatione diei per noviſſimum Regiæ Cameræ Præſidentem Doctorem; & poſtmodum deciſio facta, ut inde formari poſſit ſententia, ſive decretum, Notario* (Secretario) *tradatur, qui illam in* No-

Digitized by Google

Notamentorum libro notare habeat ; quinterno alio votorum , noviſſimi Præſidentis Doctoris manu ſcriptorum penes Locumtenentem remanente , qui illum in arca ſub clavi in Tribunali diligenter conſervet . Exceptio autem habetur ex *prag.* 75. §. 93. *de offic. Proc. Cæſar.* niſi aliter viſum fuerit Locumtenenti , qui poteſt , ubi res ipſa expoſtulabit , dum itur in ſuffragia , Secretarium advocare : & inde creditur , ſub generali lege , qua jubetur in *prag.* 10. §. 17. *de ſuſpit. offic.* , initio cujuſque anni juramentum per Locumtenentem exigendum ab omnibus iis , qui adſunt in ferendis ſuffragiis , *de ſilentio tenendo , & ſecreto ſervando* ; comprehendi quoque Secretarium. Sed omnem dubitationem removet *cit. prag.* 75. §. 94. , ubi circa juramentum ejuſmodi , exprimuntur nominatim tum Rationales, tum Procurator Fiſcalis , tum Secretarius . Ad officium Secretarii Regiæ Cameræ ſpecialiter ſpectat quod injungitur in *prag.* 33. §. 3. *eod.* circa ſignificatorias , quas in foro dicunt . Hoc barbaro vocabulo apud nos denotantur litteræ , quibus , *ſignificatur* , hoc eſt demonſtratur quidquid debetur Ærario Principis , unde debitores adigantur ad ſolutionem , ut patet ex *cit.* §. 3., cujus verba , quoniam continent ſpeciale jus ea de re inductum , juvat hic apponere: *Obſervari præcipit Regia Majeſtas , quod in pede cujuslibet ſignificatoriæ in Camera faciendæ , apponatur manus , ſeu ſubſcriptio Rationalis , qui litteras ipſas ſignificatorias fecerit ; necnon & manus , ac ſubſcriptio Notatoris dictæ Cameræ ; & antequam ſubſignent , & ſcribant in dictis litteris ſignificatoriis , illas debeant comprobare cum regeſto , in quo fuerint regiſtratæ ; ſicque litteræ ipſæ ſignatæ , & diligenter expeditæ , mitti , & aſſignari debeant Regio Theſaurario generali , per eum tradendæ Commiſſario Regio , & Perceptori pecuniarum provenientium ex ſignificatoriis , ut illas omni diligentia exigere valeat nomine Regiæ Cameræ ; dictuſque Notator Regiæ Cameræ procuret cum diligentia in fine menſis cujuslibet mittere ad Regiam Majeſtatem liſtam , ſeu notamentum omnium ſignificatorialium , quas fieri contigerit menſe quolibet in Camera , cum diſtinctione quantitatum , & perſonarum , quibus factæ fuerint ſignificatoriæ .* Ad officium quoque Secretarii pertinent notare Præſidentium ſuffragia , tum ex conſultationibus Regi tranſmiſſis , tum ex proviſionibus Tribunalis , prout præſcribitur in *pragm.* 1. §. 10. *eod. tit.* ; quæ aliquo modo corrigitur in *prag.* 22. *eod. tit.* , cui adde *pragm.* 24. *eod.*

IV. Eſt & in Magna Curia Secretarius , cui in pragm. 21. §. 38. *de Actuar. Scrib. &c.* injungitur ſpecialis cura circa conſervationem ſcripturarum ad ſuum officium pertinentium , in loco ſpecialiter in eodem Tribunali ad eam rem deſtinato . Et quoniam in §. 11. *ejuſd. prag.* mandatur tum manu actorum Magiſtri , tum Secretarii ſignandas ſcripturas , in quibus de crimine poſtulati , vulgo *inquiſiti* fidejuſſione præſtita liberantur: ideo in §. 12. *in fin.* eidem Secretario imponitur , peculiarem librum penes ſe habere , ubi annotari debeant ejuſmodi fidejuſſiones , mandata , *conſignationes* . Eſt quoque Secretarius in unaquaque Regiarum Audientiarum Curiæ , & circa ejus munus ſpecialia quædam habentur . Quæ *proviſiones* expediuntur , non antea tradi debent , partibus a Secretario , quam ab omnibus

nibus Auditoribus ſubſcriptæ ſint; necnon ab Advocato Fiſcali, in cauſis, in quibus eorum omnium ſubſcriptio requiritur *pragm.* 10. §. 4. *de offic. Jud.*, ubi additur, ad Secretarium quoque pertinere, ejuſdem Advocati fiſcalis inſtantiam annotare, quoties contra ejus petitionem, proviſiones, ſive commiſſiones prædictæ fuerint expeditæ, ut ſi quando opus fuerit, ea de re ſciri poſſit. In *not. ad eund.* §. 4. habetur, teneri Secretarium, *inſcripta Præſidi recipere*, hoc eſt litteras, & cujuſcumque generis ſcripturas Præſidi directas; *& cum exhibitione reſtituere*. Ne temere Procuratoris officium ſuſcipiatur, examen præcedere debet, prout dicemus ſuo loco; & propterea jubet *pragm.* 70. §. 4. *de offic. S. R. C.*, ut in Regiis Audientiis *matricula* fiat a Secretariis, ubi nomina Procuratorum deſcribantur; nec ſine litteris atteſtationis ejus matriculæ mandatum procurationis exhibeatur coram Actuariis. Exactiones ſportularum nomine ultra legitimum modum fieri non debent ab his Secretariis, vid. *pragm.* 4. §. 7. *de offic. Juſtit. & pragm.* 2. §. 8. *in fin. de commiſ.*, *& exequutorib.*

V. Omnibus autem, qui in unoquoque Tribunali, ſive Curia conſtituti ſunt Secretarii, præſtat is, qui olim addictus erat Collaterali Conſilio, & dicebatur Secretarius Regni, quaſi quod præcipua quæque, & majoris momenti negotia totius Regni ejus curæ commiſſa eſſent; nunc autem Cameræ Regalis. Præſtat, inquam omnibus, ſive dignitatem ſpectes, ſive auctoritatem; unde ad ejus officium pertinentes variæ extant in libris Pragmaticarum leges, *ſub titulo de officio Secretarii*, *ſeu a libellis*, cujus præcipua, & cognitu magis neceſſaria proponenda hic ſunt capita; cum multa ibi extent aut inutiliter repetita, aut uſu obliterata.

VI. Ab ipſomet Ferdinando Catholico, qui Collaterale Conſilium inſtituit, & Secretarii officium inibi conſtitutum affirmandum eſt, nam in *pragm.* 1. *cit. tit.* quæ eum Regem auctorem habet, Secretarii mentio fit, & ejus ſportulæ præfiniuntur, necnon ceterorum officialium, qui Cancellariæ inſerviunt. Primum omnium notatu digna ſunt illa verba *pragm.* 2. §. 2. *cit. tit.* circa munus Secretarii: *Cum inter Cancellariæ Miniſtros, Secretarius, cujus probitas integritaſque ſumma eſſe debet, primum obtineat locum, eum ſumma ope niti decet, ut cuncta in ea fideliter incorrupte, comiter, & demum rite recteque gerantur; negotiatores celeriter expediantur, & benigne tractentur &c.* Ex his verbis palam eſt, non levem in negotiis ſui Tribunalis auctoritatem eſſe hujus Secretarii; nam etſi ſuffragii jus non habeat, quod utique eſſet extra fines ſtatuti muneris; tamen ipſe utplurimum refferre ſolet quæ expedienda ſunt. Et propterea ſedet in Curia cum Senatoribus etſi in inferiori loco *pragm. ult.* §. 9. *de offic. S. R. C.*, ſimiliſque togæ ornamento utitur. Quod autem addunt noſtri, ut videre eſt apud *Taſſonem de antefato verſ.* 7. *obſ.* 3. *num.* 40. ejus officium poſſe dici officium Quæſtoris, Magiſtri Scriniorum &c., ægri inſomnia ſunt; nam dum ignorant, quidnam ſignificaverint apud Romanos hæc Magiſtratuum nomina, & antiquas, & noſtras leges male, explicant. Quod manifeſte adparet ex opinione ejuſdem actoris, qua nititur definire, Secretarium, quo de agimus, juriſdictionem contentioſam habere ſuper Scribis, qui dicuntur *a mandatis*, Cancellariis, ac Scribis ordi-

Digitized by Google

ordinariis *Regiſtrorum*, *&* *Sigilli*, ceteriſque perſonis eadem in Curia ſervientibus. Sed neſcio, undenam hujus rei probandæ gratia argumenta deſumi poſſint; nam dum leges noſtræ de munere Secretarii loquuntur, miniſterium tantum ejus denotant, nunquam juriſdictionem. Nec ad rem facit §. 3. *cit. pragm.* 2., nam ibi tantum aſſeritur, ad Secretarium ſpectare electionem Cancellariorum, & Scribarum, & ejus nutu *dari*, *&* *tolli*, ut ait *prag.*, nihil autem definitur de juriſdictione in eos. Quod nec uſu ſervari notat Tapia; ſiquidem electio fit a Rege. Et ineptias ineptiis ſuperaddit Taſſonus, dum ait, Secretarium ſententiam proferre poſſe, ſecundum *l. fin. C. de ſent. ex peric. recit.*: etenim generaliter in *hac l.* definitur, univerſos Judices, quibus reddendi juris in Provinciis data eſt facultas, ſententiam de ſcripti recitatione proferre debere. Sed quid hoc ad Secretarium?

VII. Inter munera hujus Secretarii præcipuum illud eſt, ut referat in *Regeſto* ſuffragia, quæ feruntur in Regali Camera, etiam ſpectantia ad regimen Regni, & aliorum Tribunalium, vid. *not. ad cit.* §. 2. *prag.* 2. *de offic. Secret.* Quod ideo ſtatutum videtur, ut ubi occaſio ſeſe obtulerit, ſciri poſſit in ſimili ſpecie quid aliquando placuerit, & quænam rationes Conſiliarios impulerint ad hoc, vel illud opinandum, & decernendum; quæ ratio redditur in *prag.* 14. §. 46. *eod. tit.* At quoties in Regalem Cameram, Sacrum Conſilium ſeſe confert, vel Regia Camera, alicujus negotii definiendi gratia ſententia, quæ profertur, ſcribenda eſt in proceſſu a Commiſſario, non a Secretario ipſius Cameræ; qui tantum in ſuo peculiari libro annotare debet, quid diſceptatum, definitumque ſit *prag. ult.* §. 8. *de offic. S. R. C.* Quapropter præſens Secretarius eſt dum ſuffragia feruntur, vid. *prag.* 11. §. 1. *&* 2. *de off. Secret.* Nihil autem poteſt ſua auctoritate definire, ac ſcribere in ſupplicibus libellis Tribunali oblatis, ſed tantum quæ ibi decreta ſunt *pragm.* 6. §. 6. *eod.*, *&* *prag.* 14. §. 49. Debet etiam mandata, & litteras Regias in codicem referre, & in Tribunali legere *prag.* 7. §. 1. *eod.* Quoties proviſiones expediuntur, non poſſunt eæ per Secretarium partibus tradi, niſi Conſiliariorum omnium adſit ſubſcriptio; exceptis tantum caſibus legitimi impedimenti *prag.* 14. §. 50. *eod.* Liber quoque conficiendus eſt a Secretario, in quo notentur omnes *commiſſiones*, quæ conceduntur pro capiendis informationibus extra hanc Civitatem: qui liber ſingulis menſibus a ſeniore ex Conſiliariis inſpiciendus eſt *d. prag.* 14. §. 64. Quoties judiciarii actus confecti in Provinciis, aut ſcripturæ cujuſcunque generis tranſmittuntur ad Regalem Cameram, non poteſt eas privatim Secretarius aperire; ſed id facere debet in Tribunali *d. prag.* 14. §. 65. Quod ipſum quoque prohibetur Scribis ipſius Regalis Cameræ, qui a mandatis dicuntur *prag.* 11. §. 22. *de officialib. &* *his quæ eis &c.* Dum licentia concedenda eſt, ut ad exequutionem deducantur quæ a Romana Curia in Regnum tranſmittuntur ſcripturæ, vulgo dum concedendum eſt Regium *exequatur*, nihil fieri poteſt per Secretarium, niſi antea præceſſerit Cappellani Majoris, ejuſque Conſultoris ſententia litteris expreſſa, hoc eſt *conſultatio*, *d. prag.* 14. §. *ult.* Diſpenſationes legibus ſcriptis nunquam a ſolo Secretario, ſed a Tribunali concedendæ ſunt; & præſertim iis, qui ad Do-

Digitized by Google

& Doctoratus gradum pervenire cupiunt abſque deſignatione annorum, ex qua ſcientiis operam dediſſe adpareat, ſive, ut vulgo dicitur, abſque numero præfinito matricularum, quemadmodum & iis, qui tempus ſtatutum in judicio ſyndicatus petunt brevius deſignari *d. prag.* 14. §. 26. 41. 44., *&* 57. Quo melius, atque expeditius incumbere poſſit Secretarius ſuo muneri, prohibetur eligi pro Judice delegato, ſive in Locis piis, ſive in negotiis quibuſcumque. Et ob eandem rationem continuo permanere debet in hac Civitate, nec diſcedere proquacumque cauſa, etiam ex petitione partium *d.prag.* 14. §. 58. *&* 59. Pro ſportulis nihil exigat ultra modum præſcriptum in *prag.* 1. *cit. tit.* vid. *prag.* 6. §. 2. *& prag.* 14. §. 53. *&* 54. Verum in *prag. ann.* 1735. dum inſtituitur Tribunal Regalis Cameræ, huic Secretario omne aliud interdicitur emolumentum, præter annuum ſalarium aureorum mille, ſolvendum, ab Ærario publico. Denique ex *cit. prag.* 6. §. 7. prohibetur nominatim Secretario, ſive indirecte petere a Baronibus, a Superioribus Eccleſiaſticis, ceteriſque omnibus, ad quos ſpectat, officia, aut beneficia tam ſibi, quam conjunctis, familiaribus, amicis.

C A P U T VI.

De Apparitoribus, Accenſis, omnibuſque iis, qui Tribunalibus inſerviunt.

QUoniam in legibus noſtris ſpecialia quædam decernuntur circa munus eorum, qui in ſingulis Tribunalibus, & Curiis ſtatuti ſunt, tum ad excipienda Judicum mandata tum ad vocationem in jus perficiendam, ſententiaſque exequendas: ideo & de iis ſeparatim hic agendum eſt. Apud Romanos, prout alibi annotavimus, Apparitorum nomine deſignabantur omnes ii, qui Magiſtratibus præſto erant, eorumque juſſibus parebant, ſpecialiter autem inter eos dicebantur Accenſi, qui in jus vocabant ex imperio Magiſtratuum. ab acciendo, ideſt vocando, ſcribit Varro *lib.* 5 *de lingua lat.* Dum incedebant Magiſtratus Romani, præter Lictores, ſecum & Accenſos habebant; ſed illi præibant, hi ve o ſequebantur, Suetonius *in vit. Jul. Cæſar. Antiquum etiam retulit morem, ut quo menſe faſces non haberet, Accenſus ante eum iret, Lictores pone ſequerentur.* Ex verbis Cicer. *in epiſt. ad Q. fratrem* colligit Signonius *de antiquo jur. civ Rom. lib.* 2. *c.* 15. Accenſi officium non ſolum fuiſſe, ut acciret ad Prætorem eos, qui jus poſcerent, ſed etiam ut moleſtis interpellationibus ſilentium imponeret. Dum barbarorum dominio, & legibus ſuberat hoc Regnum, etſi diverſas Judiciorum forma eſſet, ac proinde Judicantium comitatus aliter ſeſe haberet: nihilominus credendum eſt, & deſignatas perſonas penes eos extitiſſe, ad edicta, & mandata exequenda; & cum utplurimum ſederent ad oſtium, ſive portam Curiæ, barbaro vocabulo Portorii, ſive Porterii dicti ſunt, exempla vid. apud

Can-

[illegible]angium. In legibus Longobardorum *lib.* 1. *tit.* 25. legimus portinarios, ſed diverſo ſenſu, nempe eos, qui ob cuſtodiam ſedebant ad portas. In Magna Curia fuerunt Accenſi vel a primæva ejus inſtitutione, iique numerabantur inter perſonas publicas, ut colligitur *ex ritu* 112. *&* 114., hoc eſt, quæ non privatim, ſed ex publica auctoritate conſtituebantur. Idem & de Sacro Conſilio, ceteriſque Tribunalibus, & Curiis affirmandum In legibus Ferdinandi Primi Aragonenſis, ex quibus certa forma, & methodus conſtituta fuit in Sacro Conſilio, Accenſi Oſtiariorum nomine deſignantur, quia ad oſtium ejus Tribunalis continuo ſedere, ſive aſſiſtere tenentur. Hinc in *pragm.* 27. *de offic. S. R. C.* ſic ſtatuit idem Rex: *Oſtiarios, qui in Conſilio deputati fuerint, per hebdomadas ſervire jubemus; & ut eorum, qui ſervient, notitia habeatur, ſingulis Secretario hebdomadis ſuorum ſchedulam nominum a ſervientibus dari volumus, neque eos ſecretam in audientiam, quamdiu ibidem ad cauſas expediendas conſident Conſiliarii, niſi vocatos, ingredi permittimus. Quod ſi ſchedulas, aut mandata aliqua ad Præſidem, Conſiliarioſque deferre voluerint, priuſquam ingrediantur, baculo, ſive alio modo audientiæ januam pulſandam eſſe ſciant nec tamen, niſi vocati fuerint, ipſis ad Præſidem, Conſiliarioſque aditum patere volumus; iiſdemque quoque, ſua quorumlibet in hebdomada, mane, Conſiliariorum ante adventum, in Conſilium venire, locumque Audientiæ reparare, & quæ agenda fuerint curare mandamus. Contumacibus privationis officii, & aliam Sacri arbitrio Conſilii pœnam conſtituimus.*

II. De numero horum Apparitorum in Sacro Conſilio ſic habetur *in fin. cit. prag.* ex conſtitutione Ducis Alcalenſis, [illegible] *eſt duodenarius, ita de cetero obſervetur, ſupra hunc numerum, alius pacto aliquo non admittatur*, Scribit autem Tapia *in commentario. Hodie cum auctus ſit numerus Aularum, ſunt quatuordecim. Deberent tamen eſſe ſexdecim, nam propter infirmitates & occaſiones exequendi ſententias Sacri Conſilii, aſſocianli dominos Conſiliarios, deficit ſervitium.* Loquitur quidem hic Tapia de iis Apparitoribus, qui ſpecialiter deſtinati ſunt ad oſtia ſingularum Aularum Sacri Conſilii; nam eorum, qui aliis muneribus vacant, certus numerus non eſt. Verum duodecim illi, quos deſignat pragmatica, ſunt veluti ordinarii; ceteri extraordinarii. Unde ex *not. ad pragm. un. de porteriis ſeu oſtiariis* habetur, venditionem, & pretium duodecim Oſtiariorum Sacri Conſilii ſpectare ad Regem. At reliquorum electio Præſidis eſt, quemadmodum in Magna Curia, eſt Regentis. In Collaterali Conſilio, nunc Regali Camera, quatuor ſunt Apparitores, qui ut publicis incumbant negotiis, nominatim prohibetur in *prag. 6.* §. 5., *& prag.* 14. §. 39. *de offic. Secretarii*, ne Secretario ſervitium præſtent. De ſalario Oſtiariorum Sacri Conſilii ſtatuitur in *prag.* 28. *de offic. S. R C.* ut quoties extra Civitatem ad aliquod exequendum mittuntur, habeant cum victus expenſis carolenos quatuor. Verum in *eadem pragm.* apponitur decretum ipſiuſmet Sacri Conſilii his verbis: *Proviſum eſt, quod ex nunc in antea Exequutoribus ſententiarum, & decretorum, ſive ſint Porterii, ſive Scribæ, ſeu quæcumque perſonæ, ſolvatur ſalarium conſuetum ſolvi Regiis Porte-*

 riis

caroleni quinque cum expenſis tantum; & minus, ſi pro minori pretio partes ſe concordare potuerint. Verum ſi erit exequutio facienda talis, quod requirat ſcientiam, & induſtriam perſonæ, tunc ſolvi poſſit ſalarium per Regiam pragmaticam taxatum; videlicet caroleni octo cum expenſis. Quod ſalarium debeat eſſe ipſius Exequutoris, nec in eo habere debeat partem actorum Magiſter; & ultra dictum ſalarium non poſſit exigi, nec recipi a volentibus, ſub pœna privationis officii contrafacientibus, & alia arbitrio ipſius Sacri Conſilii reſervata. Ne autem favori, & gratiæ ſit locus, cavetur in *cit. pragm.* 27. §. 2., ut æqualis diſtributio fiat tum laboris, tum emolumenti inter Porterios. Quod tamen male ſervatur; quemadmodum, ut notat Tapia, id quod jubetur in *cit. pragmat. unic.* ſcilicet, ut non poſſint iidem, ſimileſque perſonæ, quæ Judicantibus, & Officialibus publicis inſerviunt, quidquam petere a privatis ſtrenarum nomine in diebus ſolemnibus, & feſtivis. Eadem ferme prohibitio extat in legibus Imperialibus, quæ leguntur in *tit. ult. Cod. Juſtin. & in Cod. Theod. tit. Ne quid publicæ letitiæ Nuntii ex deſcriptione, vel ab invitis accipiant.* Verum diſcrimen in eo eſt, quod pragmatica prohibeat quaſcunque ſtrenarum petitiones, etiam ab ultro dantibus; ſed Principum conſtitutionibus tantum neceſſariæ inhibeantur, quas veluti collationis titulo exigere ſolebant Nuntii, Indices, Geruli (his quoque nominibus denotabantur ea ætate Apparitores, ſive Accenſi) tum in publica lætitia, veluti ob inſignem victoriam, aut pacem initam [..]ctibus; tum quoties novorum Conſulum nomina, ſeu anni exordia certis inchoanda Conſulibus eſſent: ceterum a ſponte dantibus, præſertim ab iis, qui provincias emerito honore pollebant, petitiones permittebantur.

III. Quod attinet ad Accenſos, qui ſunt in Magna Curia, quique barbaro vocabulo in pragmaticis ſanctionibus adpellantur *Alguzerii*, cavetur in *prag.* 34. §. 3. *de offic. Magiſtr. Juſtit.*, ut non admittantur, niſi qui probati fuerint a Regente, & deſcripti in matricula, & ſeſe obligaverint pœnæ fuſtigationis, & unciarum auri vigintinque, *de bene & fideliter exercendo*; & de non exigendo, niſi ſalario conſueto, etiam obtentu quod ſponte ultra modum legitimum fuerit a partibus oblatum. Quantitas ſalarii præfinitur in *ead. prag.* 34. §. 5. & 6. vid. *pragm.* 33. §. 3. *eod. tit.*, ubi nominatim prohibetur eis, ne quoties *advocantur ad aliquem delinquentem capiendum, arma, quæ in ejus domo inveniunt, accipiant, ſecumque inferant.* Exceptio hic addenda eſt, niſi fuerint arma, quæ legibus noſtris detineri omnino prohibentur; illa enim ad Judicem deferenda ſunt. Præcipuum Apparitorum munus conſiſtit in vocatione in jus, & in mandatis, decretiſque Judicum *notificandis*, ut vulgo dicitur in foro; ejuſque rei, ut probatio adpareat ex actibus judiciariis ſic decernitur in *cit. prag.* 28. *in fin. de offic. S. R. C. Item quod Porterii Regii teneantur eadem, vel ſequenti die referre Magiſtro Actorum intimationes per eos partibus factas, referendo horam intimationis, & nomina perſonarum, quibus facta eſt, quando perſonaliter non reperientur prin-*

principales, *ſi cauſa per Procuratodomo*, *expr*.... *Et ſi forte fiet in cui fuerit facta*; *& per Magn*... *actorum debeat in actis dicta relatio continuari*, *ad pœnam privationis officii*. Verum in *prag.* 7. *de citationibus* mandatur, ut citationes non fiant niſi ab Apparitoribus, qui ſcribere ſciunt, ut ab iiſdem manu propria atteſtationes, vulgo relationes, ſcribantur. Quoniam autem uſus hac de re diverſimode ſeſe habet, ideo opportunius hæc explicabimus, cum de ordine judiciorum inſtituetur diſputatio. De Regiis Audientiis in *pragm.* 6. §. 24. *de offic. Juſtit.*, præcipitur, ut *ſtatuatur certus numerus Alguzeriorum*, *ſive Nuntiorum cum præſentia*, *& interventu Advocati Fiſci*, *pro ejus intereſſe*, *qui ſciant legere*, *& ſcribere*, *ut relationes propria manu in citationibus facere poſſint*.

IV. Præter Apparitores, ſive Accenſos, eſt & in Magna Curia qui ſpeciali munere Præconis fungitur, & in *rit.* 2., necnon *pragmaticis ſanctionibus* adpellatur *Tubitta*, quia in actionibus faciendis ad ſonum tubæ proclamare ſolet. Romæ olim Præconum uſus varius fuit, inquit Sigonius de *antiq. jur. civ. Rom. cit. lib.* 2. *cap.* 15. ac multiplex, in auctionibus ut ad haſtam ſtarent, & pretia oblata nunciarent: in concionibus, ut audientiam facerent: in comitiis Magiſtratuum, ut tribus ad ſuffragia ineunda citarent, & eos, qui reſignati erant, renunciarent: in legibus ferendis, ut ſubjiciente ſcriba, leges Populo recitarent: in judiciis, quæſtionibus, ut indices, reos, & accuſatores, & teſtes citarent. Hæc ſane oſtendunt, quædam promiſcue, & ad Accenſos, & ad Præcones pertinuiſſe; nam ex *epiſt. Cicer. ad Quintum fratrem* adparet, etiam Accenſos ſolitos tum fuiſſe nis, ſive *Viatores*. Apud nos Præconis munus illud eſt, ut Edicta, vulgo *Banna* ad ſonum tubæ promulgentur; & quoniam aliquando in iis agitur de eo, quod Fiſci intereſt; ideo ſic ſtatutum legimus a Ferdinando Primo Aragonenſi in *prag.* 35. §. 1. *de offic. Mag.*, *Juſtit. Item ordinatur*, *& mandatur Tubittæ ipſius Magnæ Curiæ*, *ut poſtquam banna publicaverit debeat infra dies duos illa præſentare Actorum Magiſtris*, *qui illa banna ſcripſerint*; *& poſtmodum in quondam ſcrineo ad hoc deputando*, *reponantur & conſerventur*, *pro intereſſe Regii Fiſci*. Ad fiſcale quoque commodum pertinet quod mandatur in *prag. ult.* §. 46. *de Actuar. Scrib. &c.* nempe, ut bona exequuta ex cauſa judicati inter privatos, & Tubittæ tradita, ut auctioni ſubjicerentur, ſive publice venderentur, non antea liberari debeant, quam ex libris Regii Perceptoris adparuerit, nihil Fiſco ſolvendum eſſe; nam ſecus nulla faciendo erit reſtitutio, niſi antea illi fuerit ſatisfactum. In *cit. pragm.* 35. §. 2., *& infra* legitur forma exactionum, ſive pandecta pro iis, quæ ſolvenda ſunt *Tubittæ*. Dum regitur Curia, ad ſonum tubæ conſuetudo eſt, ut vocentur abſentes, & contumaces; verum in *rit.* 38. cavetur ne id *fiat ad petitionem partium*, *ſed de mandato ipſius Curiæ*. Extat quoque in Magna Curia *Accuſator contumaciarum*, cujus peculiare munus eſt, *omnes citationes criminales*, *vel Fiſcum tangentes in quinterno*, *ad hoc deputato ſcribere*, *& annotare*; *ut nec oblivione nec malitia poſſit Fiſci juribus præjudicari*, ut loquitur *prag.* 26. *eod.*

ubi

ubi vid. §. 2. & 3. & propterea in §. 4. jubetur eum continuo *a mane uſque ad veſperam, horis aſſuetis, & debitis* aſſiſtere debere in Curia, ut contumacias in ſcripturam redigere. Pro exactione autem pecuniæ, quæ ex ipſis contumaciis debetur Fiſco; deſtinari ſolent Commiſſarii, de quibus varia proponuntur in *ritibus M. C.* 132. *uſq. ad* 139.: ſed quoniam ea temporis decurſu obliterata pene fuerunt, aut in aliam formam tranſlata ideo novæ, quæ dicuntur, *inſtructiones*, extiterunt, ut videre eſt apud *Caravitam in comment. ad cit. rit.* 132., non minus ſervandæ in Magna Curia, quam in Regiis Audientiis. Hac tamen in re cum fraudibus, & concuſſionibus peropportuna ſit occaſio, ideo non uno modo iis occurritur pragmaticis ſanctionibus, præſertim *prag.* 29. *cit. tit.*, & *prag.* 39. & *infra*, relata a Tapia ſub *tit. de Commiſſariis contumaciorum*. Ad perquirendos, & carceribus mancipandos facinoroſos, criminumque reos, ſunt & in Magna Curia qui conſtituunt veluti quandam militarem cohortem, & propria lictorum munere funguntur; iiſque veluti Præfecti quidam aſſignati ſunt, qui in ritibus, & capitulis Regni Comeſtabuli adpellantur. In Imperio Orientali Comeſtabulus erat, cui curam habebat armandi forma, & Comes ſacri ſtabuli dicebatur aliquando, vid. *l.* 3. *C. T. de equorum collat.*, & *l.* 29. *de annon. & tribut.* Poſtmodum eo vocabulo ſub Normannis præſertim, deſignari cœpit Dux exercitus; & Regno inter ſeptem primaria Officia, qui rei militari præerat, Comeſtabulus dictus fuit. Paulatim tantæ dignitatis nomen, prout & de Conſule alibi annotavimus, tranſlatum quoque fuit ad denotandum Præfectum cohortis lictorum, ut patet ex conſtit. Caroli I. Andegavenſis, relata in *cap.* 55., qua jubet, Comeſtabulos tum Neapoli, tum Averſæ degentes, non debere, niſi nocturnæ Civitatis cuſtodiæ incumbere, aut negotiis commiſſis a Juſtitiario Campanæ Provinciæ. Tales Comeſtabuli deinde Capitanei adpellati ſunt, quorum ſingulis certus numerus lictorum aſſignatus eſt, & certæ ſtationes in locis opportunioribus hujus Civitatis. Quod prudenter fuit proviſum ad rixas ſubitoſque motus populorum compeſcendos. Circa officium eorum extat *Conſtit. Philippi II.* relata ab eod. Tap. *in tit. de off. Capit. cuſtod. Civit.*

CAPUT VII.

De officio eorum, qui carcerum cuſtodiæ præficiuntur.

NOn levis momenti officium eorum eſt, quibus carcerum cuſtodia tum in hac Civitate, tum in Provinciis Regni committitur; & propterea ſeparatim de iis in hoc capite agendum duxi; præſertim quod leges eo ſpectantes pro bono publico, ſpeciali opus habeant animadverſione.

1. Antiquitus apud nos utplurimum locus carcerum in Arcibus erat, vulgo *Caſtellis*, unde *Caſtellanis* cuſtodia reorum committebatur; idque pa-

tet

tet ex conſtit. Gulielmi I. relata ſub *tit. de offic. Caſtellanorum & Servientium*, & ex conſt. ſeq., quæ eſt Friderici II. Id ipſum videre eſt in capitulis Regum Andegavenſium, præcipue in *cap.* 193. At poſtmodum ſpeciales locos conſtitutos credendum eſt, unde Cuſtodes, *Carcererii*, adpellati fuere, quod vocabulum non ſemel occurrit in ritibus M. C., vid. *rit.* 43. & 303., & in *cap.* 130. dicuntur barbaro vocabulo *Præſonerii.* In conſtitutionibus Imperatorum Orientalium adpellantur Statores a ſtando, quia ſtare debebant ad eorum cuſtodiam, vel Stratores, ut eſt in *l.* 1. *C. de cuſtod. reor.*, fortaſſis quia ſtratus, & victus carceribus mancipatorum, curam gerere debebant. Et quoniam iidem commentaria, & rationes receptarum perſonarum conficere debebant, ideo & Commentarienſes adpellati ſunt, vid. Cujacium *in l.* 4 *C. de cuſtod. reor.* Notat autem doctus: Gothofredus *in l.* 1. *C. T. eod. tit.*, poſt tempora Conſtantini Magni nullam amplius Stratorum mentionem fieri, nec in *Notitia Imperii*, quæ ſcripta fuit circa annum 427.; ſed eorum vice in officio, ideſt inter Officiales Magiſtratuum, nominatos fuiſſe *Commentarienſes*. Hi quidem non tantum carcerum & incarceratorum alimoniæ curam gerebant, ſed aliquando mittebantur, ut ſontes comprehenderent, vid. *Edict. Juſtin.* 13. *c.* 12. 17. & 23.: cum rei interrogandi erant, eos ad Tribunal adducebant, acta, & reſponſa ſcribebant, & in commentarios referebant, ut adparet ex *ſeptimæ Synodi Actione* 4. Hinc videntur noſtri vim vocabuli & conſuetudinem Romanorum ignorare, dum Cuſtodem carcerum, qui apud nos eſt, Commentarienſem adpellant. Et quoniam illi habebant Adjutores, ſive Janitores & Clavicularios, ideo tenebantur de eorum culpa, ſive dolo in officio. Notabile autem eſt quod ſtatuitur in *cit. l.* 4, nempe Commentarienſem præſtare fugam incarcerati, & eadem pœna afficiendum, ac dignus erat ipſe reus, qui aufugit, dummodo dolus, aut culpa Cuſtodis interveniat; nec excuſandum, quod id evenerit ex negligentia Clavicularii; nam hic cum eligitur a Commentarienſi, ipſius periculo eſt. Neque hoc novum eſt, inquit Cujacius *loc. cit.* ut alius pro alio ſuſtineat pœnam *l.* 13. *C. de fidejuſſorib.* quemadmodum & Judex, qui nulla, aut mitiori pœna damnat reum ex *l. ult. C. ne ſanctum baptiſma iteretur*. Verum ſuperior conſtitutio in praxi non obſervatur, ut animadvertit cit. Gothofredus; neque enim pœna capitis punitur Cuſtos, ſi Subcuſtodis negligentia, etiam capitis reus, evaſerit; ejuſque rei probandæ, præter Boerium, & Clarum, citat Grammaticum, qui *voto* 29. ita judicatum refert in Curia Neapolitana; ſed tantum extraordinaria, veluti privationis officii, aliaque ad arbitrium. At ſi dolus interveniat, tunc ſuperiori conſtitutioni erit locus. Quo videtur reſpexiſſe Fridericus II. in *conſtit. Cuſtodes*, dum jubet, Cuſtodes *per annum ſquallore carceris macerari*, præter bonorum publicationem, quoties captivi per negligentiam eorum evaſerint; ſin autem per fraudem, juxta *antiqua capitula* puniendos. Antiqua capitula intelligit Imperator leges Romanas, præſertim *l. milites* 12. *D. eod. tit.*, quæ, utpote æquiſſime, hac in parte omnino ſervanda eſt. Præſumtio autem fraudis, aut ſupinæ negligentiæ ſemper eſt adverſus Cuſto-

Digitized by Google

ſtodem; cui probandi onus incumbit.

II. Quemadmodum Romano jure in commentarios nomina reorum redigebantur, ut diximus; ita & noſtris legibus cavetur ex *prag.* 31. §. 16. *de offic. Magiſtr. Juſtit.*, debere Cuſtodem carceris, ſtatim ac rei exhibiti ſunt, eorum nomen, cauſam, & ad cujus inſtantiam vinculis mancipati fuere, in proprium, & peculiarem librum redigere; nec eos e carceribus dimittere abſque mandato confecto per ſcripturam a Regente, & Judice Commiſſario. Ex notis ad *eund.* §. 16. habetur, in Curia Audientiæ Aprutii ſtatutum fuiſſe an. 1609., recipiendos non eſſe a carcerum Cuſtode captivos, niſi juſſu Præſidis, Auditorum, vel Fiſci; ea ratione, ne conjectio in vincula decernatur abſque auctoritate eorum, qui ea facultas data eſt. Quæ ratio cum ſit generalis, in quacumque Curia, & coram quocumque Judice ſervanda eſt; nam & conjectio in vincula, & liberatio permittenda non eſt abſque ſuperiorum juſſu. Quod autem additur in *ead. prag.* §. 18., ſcilicet teneri Cuſtodem qualibet hebdomada commentarium, ſive notam incarceratorum ex criminali cauſa tradere Regenti, eo reſpicit, ut de iis quanto citius decernatur; idque olim proviſum fuit conſtitutione Imperiali in *l. ult. C. de cuſtod. reor.*, ubi mandatur Commentarienſi, ut trigeſimo quoque die referat ad Judices numerum carceribus detentorum, cauſam, & ætatem cujuſque, ut *aut convictos*, ait conſtitutio, *velox pœna ſubducat, aut liberandos cuſtodia diuturna non maceret*. Hoc autem cum male ſervaretur apud nos, & cum aliunde incommodum non leve exiſteret tum privatim, tum publice; ideo legitimus in *vol. privil.* 2. *pag.* 236. ex precibus a Civitate, Regnoque porrectis conſtitutum, exceptis criminibus læſæ Majeſtatis, falſæ monetæ, & aſſaſſinii, in quibus fortaſſis diligentior inquiſitio requiritur, & proinde difficilior exiſtit probatio, non differendas defenſiones inquiſitis ultra dies quindecim, ſcilicet ex quo in carceres conjecti fuere, ea ratione, ut dilatione remota, aut innocentes abſolvantur, aut nocentes damnentur. Verum & commune jus, & noſtrum, & quodcumque privilegium hac in parte inutile factum eſt, ſive ex Judicum & inferiorum Officialium malitia & negligentia, ſive ex calliditate, & aſtutia Advocatorum, quorum munus illud præcipuum creditur, modo reorum cauſas quanto citius ad exitum perducere, modo quam longiſſime prolatare. Imo nec novis remediis huic malo opportune occurri potuit, ut eſt viſitatio captivorum, de qua in libris Pragmaticarum legitur titulus, nam ut eſt in *prag.* 1. ea inſtituta fuit, *ut celeri expeditioni carceratorum vacaretur, ne diutius illi in carcere macerarentur; ſed noxii darent pœnas legibus debitas, innoxii indebitas non luerent*.

III. Carcer ad cuſtodiam reorum ſtatutus eſt. Unde ſic ſcribit Ulp. in *l. aut damnum* §. 8. *ſolent D. de pœnis*: *ſolent Præſides in carcere continendos damnare, aut ut in vinculis contineantur: ſed id eos facere non oportet, nam hujuſcemodi pœnæ interdictæ ſunt; carcer enim ad continendos homines, non ad puniendos haberi debet*. In legibus noſtris ab hoc jure aliquando receditur, ut videre eſt in *cap. placuit*, & *in cap. quod quæreni*; idque ſecundum conſtitutiones Pontificias, ex quibus & ad pœnam decernitur carcer, vid. *cap. quam-*

quamvis 3. de pœnis in 6. Verum cum præcipue ad cuſtodiam ſit, ſequitur, non debere eum nimio incommodo, imo cruciatu reos efficere, ne videatur ante ſententiam corporalis pœna adverſus eos infligi. Huc reſpicit Conſtantini Magni conſtitutio in *l. 1. cit. tit. de cuſtod. reor.*, qua benigne juſſit, non debere *ſedis intimæ tenebras pati incluſos, ſed uſurpata luce vegetari; & ubi non geminaverit cuſtodiam, veſtibulis carcerum, & ſalutaribus locis recipi, ac revertente iterum luce, ad primum ſolis ortum illico ad publicam lucem educi, ne pœnis carceris perimantur.* In eandem ferme ſententiam ex *prag. an.* 1738. *cap. ult.* prohibetur, atque aboletur uſus carceris nimis ſquallidi, atque horridi, quod & antea jam prohibitum fuerat Baronibus in *prag.* 19. *de Baronibus.* Et licet quandoque ad crimina enormiſſima detegenda, ut metus noxiis incutiatur, opus ſit arctiori carcere, & obſcuriori eos includi; nihilominus ab humanitate nunquam ſeveritas ſejungenda eſt. Præcipue in re, qua de agimus, avaritiæ cuſtodum occurrendum eſt, qui ad pecuniam extorquendam, revocare ſolent ad arbitrium, reos continere ſive arctiori carcere, ſive ſecus; qui utique apud nos abuſus ferendus non eſt. Prudenter in *cit. l. 1.* Conſtantinus ait*: Illud etiam obſervabitur, ut neque his, qui Stratorum funguntur officio, neque miniſtris eorum liceat crudelitatem ſuam accuſatoribus vendere, & innocentes intra carcerum ſepta leto dare, ut ſubtractos audientiæ longa tabe conſumere: Non enim exiſtimationis tantum, ſed etiam periculi metus Judici imminebit, ſi aliquem ultra debitum tempus in alia, aut quocunque modo aliquis ſtratorum exhauſerit; & non ſtatim eum penes quem officii cuſtodiæ eſt, atque ejus miniſtros capitali pœna ſubjecerit.* Quibus ex verbis adparet, quanto ſtudio debeant Judices invigilare, ne carcerum cuſtodes ſuo officio abutantur. Legibus noſtris ex *cit. prag.* 31. §. 15. *de offic. Magiſtr. Juſtit.* cavetur, ut mundities adhibeatur in carceribus, vid. *cap. Regis Friderici vol. privileg.* 1. *p.* 42. & ne liceat Cuſtodi abſque Regentis, aut Judicis commiſſarii juſſu de uno in alium locum transferre ſontes. Et in §. 1. ſtatuitur, non debere Cuſtodem permittere quemquam cum iiſdem alloqui, niſi ex licentia aut Regentis, aut Fiſcalium. Statuitur præterea, ut mulieres a viris ſeparatis in locis detineantur §. 12.

IV. Injuſtis cuſtodum exactionibus ſatis, ſuperque noſtris legibus occurritur: ſed inutiliter, quia dolendum in modum eædem male ſervantur. Primum omnium Rex Guliemus in *cap. caſtellani* jubet, nihil ab incarceratis ſolvendum, quoties in carcere non *pernoctaverint;* ſecus pro liberatione exigendum tantummodo *dimidium tarenum.* Addidit & Fridericus II. in *conſtit. ſi quis Caſtellanorum* pœnam, ut ſi quis contra fecerit, præſtet nonuplum Fiſco, & ſimplum parti: Eaſdem ſanctiones confirmavit Carolus II. Andegavenſis in *cap.* 130. & 133. Eadem ferme repetuntur in *rit.* 43. ubi notat Caravita ex auctoritate Matthæi de Afflictis, & conſuetudine apud nos obtinere, ut nihil exigatur ab eo, qui pro debito fiſcali carceribus fuit mancipatus. Hæ quidem exactiones cum ſint pro ſalario, & alimentis Cuſtodum, non eſt, ut in controverſiam adducantur, an pertineant ad eos, qui juriſdictioni præſunt, ne videatur vectigal quoddam impoſitum iis, qui liberantur e carcere;

cere; quod utique ab omni jure, & æquitate abhorret. Et propterea neſcio quid ſibi voluerint Pragmatici, dum quærunt, num jus exactionis hujuſmodi, vulgo *portelli*, ad Barones pertineat, ut videre eſt apud Rovitum in *cit. prag.* 19. *n.* 4. Nec facienda eſt diſtinctio, utrum tale jus habeant, vel non habeant conceſſum ex privilegio; nam unquam præſumitur Princeps velle miſeros, & carceris ſquallore afflictos ſubditos novo genere vectigalis premere ob commodum Baronis. Imo contrarium colligi poteſt ex *prag.* 2. *de carcereriis;* in qua prohibetur locatio carceris Magnæ Curiæ; ea ratione, quia conductores ut penſionem ſolvere, & eodem tempore ſibi, & clavicularii vulgo *ſervientibus*, victum quærere, & lucrifacere poſſint, ad cujuſcumque generis iniquas præſtationes incarceratos compellent. Idque multo magis in Curiis Baronalibus verendum eſt, ubi Baronum emolumentis ſtudetur. Et quamvis in *prag.* 16. *eod. tit.* ſtatuatur certa pecuniæ ſumma quolibet menſe ſolvenda ab iis qui lecti uſum præſtent in carcere detentis; tamen ea eſt ob rerum ſacrarum impenſas, & necceſſitatem nullam infert; ſiquidem ſtatuit pragmatica, nihil exigendum ab eo, qui proprio lecto uti velit in carcere. Ad evitandas quoque injuſtas exactiones cavetur in *prag.* 17. §. 53. *eod. tit.* ut eligantur homines probæ fidei pro clavicularii, ſive minoribus Carcereriis, ut ait pragmatica, & ne pro electione aliquid ſolvat. In §. 7. decernitur, nihil exigendum pro diſtinctione locorum inter nobiles, & ignobiles, nam id fieri debet ex conditione cujuſque, non ex ſolutione pecuniæ. Sunt & alia optime ſtatuta *ead. prag.* ad evitandas diſſenſiones, & maleficia in carceribus, ad exactam cuſtodiam, & munditiem ad curam infirmorum. Eodem refertur *pram.* 9. & 10. *eod.*

V. Qui carcere detinentur curandum eſt, ſi pauperes fuerint, ne fame pereant. Et quamvis inter capitula Friderici Regis, vid. *vol.* 1. *privileg. p.* 41. *c.* 48. ſtatutum legatur, liberandos e carceribus eos, qui neceſſariis alimentis deſtituuntur; tamen id, utpote minus æquum non obſervatur; nam qui detinentur ex cauſis civilibus, aut admittuntur ad ceſſionem bonorum, aut ab ipſis creditoribus aluntur, vid. Tap. *in not. ad cit. cap.* Quod jure 12. *Tab.* cautum videtur illis verbis *tab.* 3. *Si volet ſuo vivito, ni ſuo vivit, qui eum vinctum habebit, libras farris endo dies dato: ſi volet plus dato.* Ex cauſis vero criminalibus alimenta accipiunt de publico; idque primum a Petro Toletano ſub Regno Caroli V. proviſum fuit in *prag.* relata apud eundem Tapiam *in tit. de cuſtod. reor.;* deinde confirmatum in *prag.* 5. *de carcerer.*, ſcilicet, ut in dies ſingulos unicuique dentur unciæ viginti quatuor panis; nec diminutio ulla facienda eſt, licet ejus pretium propter annonæ caritatem augeatur *prag.* 8. *eod. tit.* In Regiis Audientiis idem ſervandum mandatur in *prag.* 10. §. 8. *de offic. Jud.*, ubi ſpecialiter additur, panem ex nota ſubſcripta ab Advocato Fiſcali tribuendum. Hæ quidem præſtationes a proventibus Regiæ Curiæ deſumuntur; unde ſequitur, idem ſervandum in Curiis Baronalibus, ubi tales proventus cedunt lucro Baronum; nam minus æquum videtur, dum ea de re gravantur Univerſitates, quæ ex generali conſtitutione Caroli I. Andegavenſis in *cap. proviſum* 58. immunes ſunt ab omni onere circa carcerum

rum cuſtodiam & captivorum translationem de uno loco in alium ; ac proinde etiam a ceteris impenſis. Providetur quoque diligenter noſtris legibus, ut cura infirmorum in carceribus habeatur, vid. *prag.* 32. *de offic. Magiſtri Juſtit.* Hæc autem omnia, ut rectius ſervarentur, mandatur in *prag. 6.* §. 4. *cit. tit.* ut qualibet hebdomada unus ex Judicibus Magnæ Curiæ ad viſitationem incarceratorum accedat. Nec diſſimile eſt, quod ab Imperatore Honorio ſtatutum legimus in *l.* 10. C. *de Epiſc. aud.*, nempe, *ut Judices omnibus Dominicis diebus productos reos e cuſtodia carcerali videant, interrogent, ne his humanitas clauſis, per corruptos carcerum Cuſtodes denegetur: victualem ſubſtantiam non habentibus faciant miniſtrari &c.* Ex hac eadem conſtit. ut notat doctiſ. Gothofr. in *l. 7. C. T. de cuſtod. reor.* infertur, Epiſcoporum ultimam curam eſſe non debere circa miſero cuſtodia, carcereque incluſos. Hinc *l. ult. Cod. eod.* mandat, ut & Epiſcopi carceres viſitent, & referant Principi negligentiam Præſidum. Huc facit *can.* 20. *Concilii Aurelianenſis anno* 549. ut qui in carceribus detinentur, *ab Archidiacono, ſeu a Præpoſito Eccleſiæ ſingulis diebus Dominicis requirantur, ut neceſſitas vinctorum ſecundum præceptum Divinum miſericorditer ſublevetur, atque a Pontifice* (Epiſcopo) *inſtituta fideli & diligenti perſona, quæ neceſſaria provideat, competens eis victus de domo Eccleſiæ tribuatur.* Sed hic, ut & reliqui ejus generis canones, ex conſuetudine, ſive potius abuſu jamdiu recepto, cenſetur tantum pertinere ad notitiam antiquitatis, & ad eruditionem captandam in rebus Eccleſiaſticis, non ad curam, atque officium Epiſcopale.

CAPUT VIII.

De Advocatis, & Procuratoribus, eorumque examine, ſive approbatione.

Refertur quoque ad jus publicum Advocatorum munus; & propterea alienum non eſt, ſi legibus Regni quid de iis ſtatuatur, hic inquiramus. Et ſane non omnium ea eſt legum peritia, vel facundia, ut in jure apud eum, qui juriſdictioni præeſt, deſiderium ſuum exponere, vel alterius deſiderio contradicere poſſint; quorum prius actorum, alterum reorum fere eſt: ac proinde ubicumque rerum agendarum, & civilis prudentiæ methodus, ac diligentia adhiberi conſuevit, viſum fuit expedire, ea doctrina, atque eloquentia præditos exiſtere viros, ut patrocinia deſiderantibus præſtare, & cauſis agendi quoquo ſtudio operari poſſint, ut ait *l.* 2. *C. de poſtul.*, & *l.* 1. §. *Advocatos D. de extraord. cognit.*. Neque id tantum privatis, ac ſingulis hominibus utile, ac neceſſarium eſt, ſed & Reipublicæ, ut ſive rei tergiverſantes convincantur, & condemnentur, ſive innocentia adverſus calumniantium malignitatem defendatur, atque aſſeratur. Hinc Græci olim, Romanique mortalium

Digitized by Google

ſapientiſſimi, non tantum ſummo in pretio Oratores habuere, ſed etiam magnis laudibus, atque honoribus eos decorare conſuevere; neque aliunde facilior, & certior tunc patebat aditus ad dignitates, & Magiſtratus adipiſcendos, quam dicendi arte, ſtudioque publicis privatiſque negotiis adjumento eſſe.

II. Antiquitus Romæ ſeparatum erat Oratoris, Advocatique munus; nam pro Advocatis generaliter intelligebantur quicumque ad cauſarum actiones vocati, ut nutu, geſtu, lacrymis, commiſeratione Populum, aut Judices commoverent. Livius *lib.* 3. de Virginio loquens, qui filiam defenſurus ad Tribunal Appii ſeſe conferebat, ſic ait; *Virginius ſordidatus filiam ſecum obſoleta veſte, comitantibus aliquot matronis, cum ingenti advocatione in forum adducit*. Hinc Advocati mutam operam præſtabant, Oratores voce cauſam agebant, & Judicibus coram univerſum negotium dicendi arte narrabant, & argumenta ad perſuadendum proponebant. Seneca *de tranquill. anim. cap* 3. *Militare non licet? honores ſpectes. Privato vivendum eſt? ſit Orator. Silentium indictum eſt? tacita advocatione cives juvet.* Hinc in uſu latini ſermonis adeſſe alicui, pro defendere, & patrocinium præſtare. Solebant & Advocati jus ſuggerere, ſive formulas & methodum agendi proponere, ut videre eſt *Aſcon. in Divinat.* Quod munus proprium eorum erat, qui Pragmatici, & Formularii dicebantur. Quo pertinet monitum Quintiliani *lib.* 12. *c.* 3., ut Orator in juris ſcientia ſit peritus, ne ſemper Advocatis, & Pragmaticis opus habeat. Sed cum paulatim ſub Imperatorum dominatu libertas dicendi corrumperetur, & juris interpretandi ſcientia, quæ propria erat Juriſconſultorum, procedente tempore perficeret, Advocatorum munus ampliatum fuit; & propterea ipſi tantummodo in cauſis agendis, tum eloquenti arte, tum legum interpretandarum ſtudio, negotia proponebant, & perficiebant. Quo factum fuit, ut cauſarum Patroni, Oratores, Advocati, Juriſperiti, idem ferme denotarent; neque ab iis Formularii & Pragmatici diſtinguebantur, ſiquidem eorum peritia in formulis, actibuſque forenſibus etiam verſabantur. Et generali nomine appellabantur Cauſidici; unde apud Ammianum Marcellinum *lib.* 30. & in *l. ult. C. T. de cohortalibus*, *Cauſidicina* pro ipſo Cauſidicorum, ſeu Advocatorum munere, quod etiam *Advocatia* paſſim dicitur, & *Advocatio* in *l.* 46. *&* 98. *C. T. de Decur.* Sed quoniam, ut ſolent homines proni eſſe ad honores appetendos, & ad lucra captanda, ceterum a laboribus, & vigiliis pro ſcientia adipiſcenda abſtinere; muneri Advocatorum paſſim ſeſe immiſcebant & imperiti, & honeſtate morum deſtituti, unde eorum opera in litium diſceptationibus jus bonumque impediebatur potius, quam expediebatur: ideo neceſſarium fuit, legum auctoritate, liberam facultatem pro aliis poſtulandi coercere. Olim & ipſi Prætores hac de re ſuis edictis caverunt, *habendæ rationis cauſa, ſuæque dignitatis & decoris*, ut loquitur Ulp. *in l.* 1. *D. de poſtul. ne ſine delectu paſſim apud ſe poſtularetur*; videbatur namque alienum a dignitate Judiciorum, & Tribunalium, verſari illic quandam colluviem hominum; & Juſtitiæ, ac

juris

juris ſanctiſſimam officinam quorumlibet rabularum vocibus perſtrepere, & quaſi contagione pollui; unde in *cit. tit. Pandectarum* plures legimus prohibitionis cauſas. At ſub Impp. Orientalibus gliſcente, & magis, magiſque abuſu vires accipiente, ſpecialius, & convenientius remedium adhibitum fuit. Primum omnium in certum corpus Advocati redacti fuere, ſcilicet, ut in unoquoque foro certum eſſet eorum collegium, conſortium, ait Cujac. *in parat. Cod. de Advocat. diverſ. Judiciorum*, ſub Primiceriis, qui priores, & Primates dicebantur; & propterea, ut eorum minima ſcirentur, in matricula ſcribebantur; vid. *l. 46. & 152. C. T. de Decurion. & Novel. 16. & 34. Theod. & Valentin.*; & certus erat eorum numerus; quique eo continebantur, adpellari ſolebant *ſtatuti privilegiarii*; qui ultra, *ſupranumerarii*. Et diſcrimen erat, quod illi privilegia habebant, & annonas, & præbendas de publico, non autem poterant foro ſuo excedere: hi contra aberrabant circa fora omnia, privilegiis deſtituebantur; & tantum in locum demortuorum pro temporis antiquitate ſufficiebantur, vid. Cujac. *loc. cit.* Dein conſtitutum fuit, ut conſortio Advocatorum admitteretur ſolummodo, qui per ſtatuta tempora legum eruditioni noſceretur inhæſiſſe, ait *l. 3 §. nec de cetero C de Advocat. diverſ Judicum*. Statuta tempora juris ſtudioſis quæ ſint, docemur in *Proœm. Pandect. & Inſtit.* nempe quinquennium, intra quod, toto legitimo opere perfecto, videbantur idonei rebus publicis adminiſtrandis. Ne autem intra tale tempus eluſoriam operam navaſſe crederentur, eo tranſacto, examini Juriſperitorum, ſive Doctorum, Anteceſſorumque ſubjiciebantur, cujus diſciplinæ vacaverant. Inquirendum quoque erat apud Rectorem Provinciæ, vel eo abſente apud Defenſorem Civitatis, utrum cohortali vitæ fuiſſent antea addicti *l. nemini 11. C. cit. tit. de Advocat. diverſ. Judiciorum*. Cohortales, de quibus eſt *tit. lib. 12. Cod.* dicebantur, qui in cohorte, hoc eſt comitatu Magiſtratuum Provincialium erant, & apud eos munere Apparitorum fungebantur, vid. *Budæ. in annot. poſter. ad Pand.*; videbatur enim indignum, dignitati, atque ordini Advocatorum adſcribi eos, qui paulo ante vili in officio verſati eſſent.

III. Dum Regiones noſtræ Imperio Orientali paruere, ſuperiores leges ſervatas fuiſſe credendum eſt. At ſub barbarorum dominatu, præſertim Longobardorum, cum vis publica magis obtineret in jure, judicioque, quam civilis methodus agendi; arti, & eloquentiæ Advocatorum aut parum, aut nihil tribuebatur. In eorum legibus Advocatorum mentio fit; ſed aliquando Advocatus accipitur pro eo, qui pugnam alieno nomine ſuſciperet. Unde *lib. 2. tit. qualiter quiſque ſe defendere debeat de guadiis* (fronſoribus, fidejuſſoribus, campionibus) *in quibus cauſis pugna prohibeatur, vel fieri debeat*, hæc habentur in *l. 36. De prædiis ſi contentio emerſerit, & utraque pars &c. . . . . . Si ille qui falſam chartam appellaverit, per pugnam declarare voluerit, ut veritas ita decernetur* &c. & in *l. ſeq. De Eccleſiarum rebus, ut per Advocatos fiat, ſimiliter jubemus*. Hæ quidem conſtitutiones licet ab Imperatore Ottone latæ fuerint, nihilominus id ab eo factum eſt, tanquam Italiæ, & Longobardorum Rege, ac proinde ſecundum eorum mores, atque inſti-

inſtituta, unde in collectione juris Longobardici poſitæ ſunt. Eadem ætate, qua in Italia Regnum Longobardorum ſtabat, in uſu erant apud Francos ejuſdem generis Advocati, qui raro in Judiciis adhibebantur: huc faciunt verba Hicmari Lugdunenſis ad Hicmarum Remenſem, relata a Cangio v. *Advocati Eccleſiarum: Et ideo legaliter, & regulariter eas res . . . . . . per ſex menſes poſſedi, donec Arſgarius Regia poteſtate ipſas obtinuit, non Advocato meo ad Mallum* (dicebatur tunc Mallus, Judicantium conventus, in quo majoris momenti cauſæ diſceptabantur) *ut publice ſe habent leges* (intellige Romanas) *pro rebus ipſis mannito* (in jus vocato). Sed frequentius munus Advocatorum, ut notat idem Cangius non viris ſcholaſticis, ſed militaribus, ac potentioribus tribuebatur, ut eſſent qui non lingua dumtaxat, ſed & armis jura tuerentur Eccleſiarum, quarum protectionem in ſe recipiebant. Aliquando ipſimet Advocati Judicantium munus exercebant, & jus dicebant Eccleſiarum ſuarum vaſſallis; idque manifeſtum eſt ex *eod. lib. 2. leg. Longobard. tit. de Advocatis, & Vicedominis*, & nominatim ex *l. 5.*, quæ ſic ſe habet: *Omnibus Epiſcopis, Abbatibus, cunctoque Clero omnino præcipientes Vicedominos, Præpoſitos, Advocatos, ſive Defenſores bonos habere, non crudeles, nec cupidos, perjuros non falſitatem amantes; ſed Deum timentes, & in omnibus juſtitiam facientes &c.* Aſſignari ſolebant Advocatis prædia quædam ſub nexu feudali; unde legimus *feudum Advocatiæ*; & ab iis Advocatis alii ſubſtituebantur, qui erant Subadvocati, quaſi Subfeudatarii. Aliquando Advocatus accipiebatur pro viro prudenti, atque idoneo ad negotium aliquod approbandum. Hoc ſenſu in *conſuet. Neap. tit. De in integr. reſtit. minor.* accipitur, ubi ex præſcripto juris Romani in *l. 5. §. imprimis igitur D. de reb. eor. qui ſub tut.* decernitur, in alienatione rerum minoris, ut perſpici poſſit quid ei expediat, eligendum eſſe *Abocatorem*, hoc eſt virum integræ famæ, judiciique recti, ac probi. Hinc conjicii poteſt, conſuetudines Neapolitanas originem duxiſſe partim ex Romanis legibus, quæ dum Imperio Orientali hæc Civitas ſuberat, ſervabantur, unde longo uſu, & moribus populi illæ obtinebant, licet publicum dominium ad alios Principes translatum eſt; partim ex Græcorum inſtitutis, non ex antiquis illis, qui celeberrimi extiterunt tum ſapientia, tum prudentia, civili, ſed qui ſequiori ætate diu apud nos imperarunt, & *Ducatus* nomine publicas res adminiſtrarunt. Unde mirum non eſt, ſi in collectione earum conſuetudinum veſtigia adpareant barbaræ potius cujuſdam, & inconcinnæ Juriſprudentiæ, quam ſolidæ, & perſpicuæ, ut ferebant veterum Græcorum prudentiſſimæ leges, & ſapientiſſima inſtituta.

IV. Cum autem ſub regibus Normannis, & deinceps, Romanum jus majores vires apud nos accepiſſet, deficientibus paulatim Longobardorum legibus; unde non ſemel in conſtitutionibus Regni reſtituitur potius illud jus, quam novum ſtatuitur: ideo in litibus, negotiiſque civilibus Advocatorum uſus magis inolevit. Et propterea, ne indiſtincte omnes ad tale munus admitterentur, prudentiſſime Imperator Frideri-

dericus II. conſtitutionem edidit, quæ extat ſub *tit. de Advocatis ordinandis*, cujus hæc ſunt verba: *Advocatorum officium, qui dubia dirimunt facta cauſarum* (legendum rectius *fata*, ut eſt in *l.* 14. *C. de advocat. diverſ. judiciorum*, unde ea verba deſumta ſunt) *non tam utile, quam neceſſarium reputantes, noſtris conſtitutionibus duximus inſerendum: quos ſub tali forma volumus ordinari, ut non niſi examinati per Judices Curiæ noſtræ* (ex his verbis patet: magno in errore verſari Tapiam, qui hanc conſtitutionem tribuit Rogerio Regi, cujus ætate nulli erant Judices Magnæ Curiæ,) *& per noſtram celſitudinem approbati, in eadem Curia noſtra audeant poſtulare*. Hactenus loquitur Fridericus de iis Advocatis, qui coram Magno Juſtitiario, & in Magna Curia muneri ſuo incumbunt; de iis autem, qui in provinciis ſunt, ſic jubet: *Coram Juſtitiario ſimiliter regionum per Judices, qui eis pro tempore aſſidebunt examinari, & per eoſdem Juſtitiarios poſtea approbari debebunt*. Hæc ſane lex conſona eſt juri Romano, ex iis, quæ ſupra propoſuimus. Verum paulatim ejus uſus defecit, fortaſſis poſtquam Andreæ de Iſernia primum, & deinde Matthæo de Afflictis *in com. n.* 3. docere placuit, approbatum in Collegio Doctorum, vulgo *Doctoratum*, poſſe Advocati munere fungi, abſque alio examine. Quæ opinio poſterioribus legibus rejecta potius, quam approbata fuit; ſiquidem a Ferdinando I. in *prag.* 22. *de offic. S. R. C.*, eos tantum Patronos cauſarum in Sacro Conſilio patrocinari poſſe ſtatuitur, qui prius ab eodem Conſilio, rigoroſo præcedenti examine, idonei reperti fuerint, *ita eorum vita, moribus, & virtute ſuadentibus*. Quod jus abrogatum legitur per Ducem Alcalenſem Proregem *in fin. ejuſd. prag.*, ſtatutumque, ſolum ſufficere examen *Doctoratus*. Sed quoniam tale examen, veluti dicis cauſa; & exterioris tantum pompæ adparatu fieri cœpit; ideo ſub Regno Philippi IV. Hiſp. Regis, a Duce Alcalenſi juniore, lata fuit *prag.* 80. *eod. tit.*, ubi in §. 1. decernitur, ad officium Advocati admittendos non eſſe, niſi qui antea per quinquennium publice juri operam dediſſent, ad Doctoratus gradum aſcendiſſent, & demum per triennium praxi, ſive actibus judiciariis in foro verſati, a Præſide examinati eſſent. In §. 2. confirmatur, quod jam antea ſapientiſſime ſtatutum fuerat ab eod. Frider. II. in *conſt. Advocatos*; nempe ut Advocati ante receptum officium, tactis ſacroſanctis Evangeliis (idem habetur in *l.* 12. §. *patroni C. de judic.*, tantum ex *hac l.* juramentum præſtandum eſt in quolibet judicio, poſt litem conteſtatam) juramentum præſtent; *quod partes, quarum patrocinium ſuſceperint, cum omni fide, & veritate, ſine tergiverſatione aliqua, adjuvare curabant; ipſas de facto non inſtruant; contra veram conſcientiam nullatenus allegabunt; & quod cauſas non recipiant diſperatas &c. . . . . Quod juramentum non tantum ſemel præſtitiſſe ſufficiat, ſed coram Magiſtro Juſtitiario Regionum anno quolibet renovabunt.* In *d.* §. 2. *prag.* juramentum renovandum jubetur in manu Præſidis, aut *Decani*, ſi ille impedimento detineatur. In § 4. ab Advocatis Audientiarum in Tribunali præſtandum juramentum mandatur, quemadmodum

dum & habendum examen præcedens, & *informationem de vita & moribus*.

V. Ex his patet, leges pro bono publico apud nos non deeſſe, ſed uſus, ne dicam, abuſus eas omnino abrogavit; unde Interpretes, & nominatim Tapia docent, *quemlibet Doctorum a Collegio approbatum poſſe advocare*. Sed hoc etiam ad arbitrium uniuſcujuſque jamdiu revocatum eſt; unde cernere licet apud nos, cuicunque, & quomodocunque conceſſum eſſe, ad patrocinia cauſarum ſuſcipienda accedere; & propterea legum addiſcendarum intra ſtatuta tempora onus, examen, approbatio vitæ, morumque honeſtas, quæ leges in Advocatis requirunt, obſoleta, & ignota vocabula facta ſunt. Unde non mirum, ſi jus, bonumque obruatur ſæpiſſime inter colluviem ignorantiæ, petulantiæ, malitiæ, avaritiæque. Tantum in Procuratoribus ex præſcripto *cit. prag.* 80. §. 3. & 4. umbra quædam examinis ſervatur; idque fieri conſuevit a Præſide Sacri Conſilii, & ab uno ex Primariis Conſiliariorum.

VI. De proprio, & decenti Advocatorum veſtitu cautum quoque fuit in *prag.* Cardinalis de Granvela, quæ refertur a Tapia *ſub tit. de veſtit. Doctor.* ſcilicet, ut cum toga incederent; idque ſecundum Romanorum conſuetudinem, quæ & ſub Impp. Orientalibus permanſit, unde non ſemel in *Cod. Theod.* Togati ſimpliciter, intelliguntur cauſarum Patroni, vid. *l. ult. de Senator. l.* 10. *de Metatis*, & *l.* 152. *de Decurionib.* Sed ea non ſervatur amplius, quemadmodum quæ proponuntur in *ritu* 100. *M. C.* circa actus judiciales, qui fieri mandantur per ſolos Procuratores; nam ipſa perſonarum confuſio aliquando vix diſtinguit Advocatos a Procuratoribus. Ut autem Advocati decenter ſe gerant, ſic ſtatutum legimus a Rege Ferdinando I. in *prag.* 20. *de offic. S. R. C. Advocatos, Procuratoreſque, ſive publica, ſive ſecreta in Audientia poſtulent, durante poſtulatione, non ſedere, ſed ſtare jubemus; & ea patientia dicentes alios audire, ut ex adverſo agentium verba non perturbent* (hæc male ſervantur, nam multoties verborum concertationes, altercationeſque, tumultum, & incompoſitam vociferationem parere ſolent) *Et ſi plures unius partis Advocati, Procuratoreſque extiterint, uni tantum nomine omnium diſputare, noſtra ex ordinatione permiſſum eſſe intelligant*. Sequitur conſtitutio: *Advocatorum diſputationes in publica ſemper Audientia fieri volumus; niſi quando Sacro ex juſta cauſa aliter Conſilio videatur*. Hoc uſus confirmat. *Si ſemel in cauſa diſputatum fuerit, Advocatos eodem ſuper articulo audiri iterum nolumus; niſi aliter ex cauſa in Conſilio Præſes cenſuerit. In incidentibus replicari non annuimus, in quibus uni proponere ſolum, alteri reſpondere licebit. Super definitivis vero unicam tantum cuique parti replicationem concedimus; niſi ex cauſa Præſes aliud ordinaverit*. Hæc optime cauta ſunt a prudentiſſimo Rege, ne inutili loquacitati, & petulantiæ aperiatur via. Verum cum parum, aut nihil ſerventur, ideo ſæpiſſime ob inanes, & immodicas quorundam Advocatorum garrulitates, pluribus horis, & aliquando diebus, cauſæ, etſi leves, & perſpicuæ, protrahuntur. Nec malo adhuc ſatis occurri potuit, licet in *prag. an.* 1738. *menſ. Mart.* §. 1. *num.* 30. mandetur una tantum die Advocatum acto-

ris,

Digitized by Google

ris, altera Advocatum Rei eloqui poſſe in Tribunali; excepto tantum caſu, ubi aliter viſum fuerit ejus Præfecto, ob gravitatem, difficultatemque negotii, de quo agitur. Notanda denique hic eſt & alia ejuſdem Regis Ferdinandi conſtitutio, relata in *prag. 21. eod. tit.*, in qua præcipitur quid Advocato, Procuratorique conveniat: *Præſente Advocato, Procuratori in cauſa quidquam dicere, ſive in Conſilio, ſive coram Commiſſariis fuerint, licere non permittimus; eidem tamen, ſi in facto quidquam Advocatos errare animadverterit, modeſte admonendi poteſtatem non ſubducimus. Coram Commiſſariis, Advocati, Procuratoreſque, & Litigantes coercendam ſibi linguam eſſe meminerint, nec immodeſte, ac ſine reverentia verba temere effundant, neve inter ſe, aut cum adverſariis importunius rixentur, aut incontinenter odioſa jurgia prorumpant &c.*

VII. Ne nimium avaritiæ Advocatorum indulgeatur, jure etiam proviſum fuit. In *cit. conſtit. Advocatos* jubet Fridericus, inter cetera in juramento comprehenſa, promittere debere Advocatum, augumentum ſalarii in proceſſu judicii ſe non requirere, nec de parte litis paciſci. Verum ad diſſenſiones amovendas, quæ utplurimum oriri ſolent inter Advocatos, & Clientes, dum illi plus juſto, hi minus perſolvendum contendunt; placuit eidem Imp. in *conſt. hanc edictali* modum ſalarii præfinire his verbis: *Hac edictali lege jubemus, Advocatos omnes pro eorum ſalariis, non amplius exigere, quam ſexageſimam partem cauſæ, pro qua ſuffragium ſpoponderunt, ſi res, quæ petitur, æſtimationem recipiat. Ceterum ſemper his, quæ non poterunt æſtimari, volumus Advocatorum ſalaria Judicis arbitrio definiri, quemadmodum cauſæ ſtatus, & etiam rei ſacræ, necnon & hominum, dum contra ipſos accuſatio inſtituitur de tali crimine, de quo convicti capitaliter puniantur &c.* Ex hac lege finis utique imponeretur omnibus ejus generis controverſiis, ſi ea uſu ſervaretur. Sed quoniam Doctoribus noſtris familiare eſt, leges, eaſque maxime, quæ ad bonum publicum reſpiciunt, arbitrarias facere; unde ſic ſcribit Tapia in notis: *Sed quando Cliens renuit ſolvere ſalarium, tunc arbitrio Judicantium, pro qualitate perſonæ, & cauſæ ſolvitur*: ideo utplurimum finis ſuſceptæ litis ab Advocato, eſt initium alterius. Fieri equidem poteſt aliquando, ut pro ſalario ſtatuendo, Advocati eminens doctrina, & ipſius cauſæ extra ordinem ſuſceptus labor majus ſalarium requirant; ſed nihilominus aliquis de jure modus præfiniendus eſt. Quod docere nos voluit Ulp. in *l. 1. §. in honorariis D. de var. & extraord. cognit. In honorariis Advocatorum ita verſari Judex debet, ut pro modo litis, proque Advocati facundia, & fori conſuetudine, & judicii, in quo erat acturus, æſtimationem adhibeat; dummodo licitum honorarium quantitas non egrediatur: ita enim reſcripto Imperatoris noſtri, & Patris ejus continetur &c.* Sequitur deinde JC. de pactis tractare inter Advocatos, Clienteſque initis de quantitate honorarii; aitque illicita ea eſſe, quoties fiunt ante finem litis (quod & legibus noſtris prohibetur, vid. *cit. conſtit. Advocatos, & prag. 1. de poſtul.*) poſtea vero ſecus. Et ratio illa videtur eſſe, quia in primo caſu adigeretur Advocatus ad calumnias, cavillationeſque ſtruendas, ut in ſui commodum cederet litis eventus; quod time-

Digitized by Google

timeri non poterit in altero. Verum poſterioris hujus generis pacta nec omnino debent eſſe arbitraria; unde ſic ait eleganter: *Si vero poſt cauſam a-ctam cauta eſt honorarii ſumma, pe-ti poterit uſque ad probabilem quan-titatem; etſi nomine palmarii cautum ſit; ſic tamen, ut computetur id, quod datum eſt, cum eo, quod debetur, ne utrumque compoſitum licitam quantita-tem excedat. Licita autem quantitas in-telligitur pro ſingulis cauſis uſque ad centum aureos*. Hæc poſtrema verba eruditi Interpp. referunt ad Senatus-conſultum ſub Imp. Claudio: nam ob ſummam Advocatorum avaritiam ageretur de reſtituenda lege Cincia, qua anno ab U. C. DXLIX. prohibitum fuit, ne ob cauſam orandam aliquid acciperetur; Senatus cenſuit, modum muneribus Advocatorum præfiniendum uſque ad dena ſeſtertia in ſingulas cauſas, vid. *Tacit. an.* 13. Dena ſeſtertia ex Budæo, & Alciato, Cujac. *lib. 6. obſerv. c.* 18. interpretatur centum aureos. Quoniam autem Ulp. utitur *palmarii* vocabulo, inde occaſionem arripuere Pragmatici diſtinctionis inter ſalarium, ſive mercedem, aut honorarium, ob honorem civilis ſapientiæ, quæ pretio nummario æſtimanda non eſt, ut loquitur idem Ulp. *in ead. l.* 1. §. *proinde*; & palmarium: unde aſſerunt, illud ſemper præſtari debere Advocato, hoc vero tantum dum victor exiſtit in cauſa, quaſi quod debetur ob palmam victoriæ. Sed hæc diſtinctio non minus Romanis, quam noſtris legibus incognita eſt, quæ tantum loquuntur de honeſto ſalario Advocatis perſolvendo, nullo diſcrimine adhibito, utrum vincant, an ſecus; ſiquidem induſtria tantum & labor inſciendus eſt, non eventus victoriæ, quem aliena voluntas, & aliquando caſus producere ſolet, non Advocati peritia, & diligentia. Adhæc ſuperior diſtinctio eſt contra mentem ipſarum legum; nam cur pactum *de quota litis*, ut vulgo dicitur, ſit prohibitum jure communi, & municipali, ea redditur ratio, quia ob ſpem conſequendi, quod in conventionem deductum eſt, adigitur Advocatus etiam ad inhoneſta, ut victoriam conſequatur: quod utique eodem modo timeri poteſt, dum diſtinctio adhibetur inter ſimplex honorarium, & palmarium, ſiquidem dum hoc præſtatur tantum in caſu victoriæ, curabit utique omnibus modis Advocatus, ſive juſte, ſive injuſte ad eam pervenire, pro conſequendo palmario. Quod & experientia ipſa ſatis demonſtrat, dum vulgaris diſtinctio inter honorarium, & palmarium jamdiu recepta, uſu confirmata eſt. Nec dixerit quis opinioni noſtræ manifeſte adverſa ſuperiora Ulpiani verba, in quibus palmarii mentio fit; etenim dum eo vocabulo utitur Juriſconſultus, non aſſerit, majorem quantitatem Advocato deberi ob palmam adeptæ victoriæ, quod ipſis Imperatorum Reſcriptis, quæ ibi proponit, & explicat, adverſaretur; ſed tantum, poſt cauſam actam valere pactionem de honorarii ſumma; verum non obſtante pacto, petitionem inſtituendam uſque ad probabilem quantitatem; ſcilicet, pactum continens immodicam ſummam ſemper redigendum ad formam juris, adhibito boni viri arbitrio; *etſi nomine palmarii cautum ſit*; hoc eſt pactum ſemper accipiendum intra legitimum modum, etiamſi initum fuerit, finita lite, de victoria jam adepta; qua in ſpecie fortaſſis major eſſe poterat dubitandi occaſio, quaſi valeret pactum immodicæ ſummæ pro honorario, quoties victoriæ palmam adeptus ſit Advoca-

vocatus; & nihilominus Juriſconſultus ait, adhuc in hac ſpecie pactum jure temperandum.

VIII. Ex his patet, Ulpiani auctoritatem, qua nituntur Doctores, vulgarem diſtinctionem rejicere potius, quam adſtruere. Sed innumera ſunt exempla, unde Romanæ leges male intellectæ, errores, eoſque non levis momenti pepererunt in foro, qui paulatim jus certum conſtituerunt; prout eſt ſpecies, qua de agimus. Hinc novis controverſiis via patefacta eſt; veluti an palmarium promiſſum debeatur integrum, victoria non ſequuta, ſed tantum finita lite per tranſactionem, vid. de Franchis *deciſ.* 265. quænam ſit quantitas palmarii; de qua placuit Forenſibus novam regulam ſic ſtatuere: *Palmarium Advocatorum non debet eſſe minus quinque pro quolibet centenario, non amplius decem*, vid. Auctorem Juriſprudentiæ forenſis *tom.* 1. *cap.* 10. *n.* 54. *ubi* ex more in unum conſarcinat quidquid alii ſcripſerunt, ſive æqui, ſive iniqui circa ſalarium, mercedem, honorarium, palmarium Advocatorum; & magna confidentia eam regulam, tanquam juris certiſſimi ſtatuit, teſtimoniis Advocatorum propoſitis, nullam autem ſive de Romanis, ſive de noſtris legibus ratione habita; quæ longa aliter eam quantitatem præfiniunt. Quod ſi volumus ad arbitrium rem revocare; æquitas ſuadet, ut ad qualitatem cauſæ reſpiciamus; etenim quis unquam ſanæ mentis dixerit, pro centenis aureis dena ſolvenda eſſe ob palmarium, in cauſis ut vulgo dicitur, exequutivis in quibus utplurimum in ſola formatione libelli conſiſtit induſtria Advocatorum? Verum creſcentibus quotidie immodicis petitionibus palmariorum, nomine Civitatis & Regni modus impetratus fuit a Principe.

IX. Et ſane cum extra ordinem tercenta ducatorum millia collata eſſent in Ærarium publicum, ſupplici libello petitum fuit tum de ſtatuendo modo palmariorum, tum de reformatione Tribunalis Commercii, idque effectum eſt nova conſtitutione edita *Calend. Auguſt. an. MDCCXLVI.* Quoad primum ſic decernitur: *Debentur palmaria, habita ratione dumtaxat ejus, quod ad illum perveniat, aut perventurum ſit ſecundum quem ſententia lata fuerit; detracto ære alieno, omnique onere, quod adhæreat rei in judicium deductæ. . . Placet vero ita metienda eſſe palmaria, ut cum cauſæ ſumma decem millia ducatorum non excesserit, tres ducati ſingulis cauſæ ducatis centum, palmarii nomine imponatur. Cum vero cauſæ ſumma major fuerit decem millibus ducatorum, minor viginti millibus, ſingulis cauſæ ducatis centum, duo ducati cum dimidio imponatur; ita tamen, ut hujus ſecundæ claſſis palmarium minus non ſit ducatis trecentis. Cum autem cauſæ ſumma viginti millia ducatorum excesserit, minor vero fuerit quadraginta millibus, ſinguli ducati centum pariant palmarium duorum ducatorum; ita tamen ut hoc tertiæ claſſis palmarium, minus non ſit ducatis quingentis. Cum denique cauſæ ſumma major fuerit ducatis quadraginta millibus, ad quamcumque ſummam maximam pertigerit, nec minus octingentis, nec majus millenis ducatis palmarium ſit. Placet etiam pacta quælibet contra hanc conſtitutionem inita pro turpibus haberi; accepta tanquam indebita, reſtitui; & conventionis iniquæ, & acceptionis reos Advocatos infames eſſe; ac præterea pœnis aliis, arbitrio Judicantium infligendis, obnoxios.*

X. Quod vero attinet ad Tribunal

Digitized by Google

Commercii, & ad Conſulatus, de quibus legimus *l.* 3. *c. ult.* hæc habentur in eadem conſtitutione: *Placet, Conſulatus omnes maris, & terræ aboleri: ſervatis dumtaxat duobus Conſulibus, per biennia eligendis in Civitatibus Baruli, Siponti, Crotonis, Gallipolis, Rhegii; & Conſulatu vetere Neapolitano, qui ſolas mercaturæ exterioris cauſas judicent, quæ inter peregrinos, aut inter civem, & peregrinum locis illis, eorumque diſtrictibus incidant; adhibito, cum quæſtio juris exoriatur, Aſſeſſore, Neapoli quidem proprio, alibi vero Judice ordinario; cujus tamen ſententiam ſequantur Conſules, cum voluerint: ab eorum vero ſententiis adpellari Supremum Magiſtratum Commercii, qui Neapoli eſt, cujuſque juriſdictionem ad illas unas meræ mercaturæ exterioris cauſas pariter reſtringi placet, quæ inter peregrinos, aut inter civem, & peregrinum agitandæ ſint relictis aliis & reſtitutis, quæ novis legibus huic Magiſtratui, & Conſulibus tributæ fuerunt, Judicibus, & Tribunalibus ordinariis; ne idem Supremus Magiſtratus tractandis illis, quæ ad commercium exterius directe non pertinent, impediatur quominus officio ſuo fungi poſſit proponendi nobis, quæ pertinent ad commercium exterius propagandum; artificia perficienda, ſodalitia mercatorum concilianda, fructus uberrimæ terræ diſtrahendos, in quam curam volumus Magiſtratum illum principaliter incumbere. Denique ob eandem cauſam placet, cauſas omnes Collegiorum artificum Judicibus ordinariis reſtitui.*

XI. Statuitur propterea in *dict. conſtit.* adpellationes, ubi Univerſitas Neapolitanorum aut agit, aut convenitur, proponendas in Regali Camera, & nominatim a decretis Præfecti Annonæ, Superintendentium Fortificationis, Reviſionis, Salutis. At ſi de jure fiſcali diſceptandum contigerit, adhibetur Præſidens Cameræ Summariæ; niſi ubi directe agendum fuerit de jure Fiſci, quo caſu lis in Camera Summariæ erit judicanda.

C A P U T IX.

Exponitur quanam ratione in Regno ad Juriſconſulti munus perveniatur, vulgo ad gradum Doctoratus. Et primo de legibus Academicis.

QUoniam ſuperiori capite de gradu Doctorum, eorumque Collegio mentio facta eſt: ideo breviter ea de re nunc differamus. Inutilis equidem ſuſciperetur labor, ſi diſputare vellemus de utilitate ſcientiarum, & quam maxime, præſertim ſolidæ Juriſprudentiæ ſtudium ſtatui publico conducat; tum quod omni ferme ætate a viris doctiſſimis id monſtratum eſt, optimis certiſſimiſque argumentis; tum quod barbaries, & cultura non aliter plus minuſve inter diverſi generis nationes prævaluit, quam ex ſcientiarum neglectu, ſtudiove. Hinc conjicere eſt, quam male cum ſuis civibus, rebuſque publicis agant ii, qui litterarum ſectatores abjiciunt, & damnant, tanquam inertes, & negotiis publicis minus aptos;

aptos; unde odio proſequuntur, quæ non intelligunt, quibuſque aſſequendis impares omnino ſunt. Verendum ſane eſt, ne paulatim, gliſcente ignorantia, multitudini documento ſit (dum cernitur, litterarum amantes deſpectui & pauperiei obnoxios eſſe, contra ignavos, & nulla liberalis artis diſciplina imbutos, honoribus, magiſtratibus, divitiis extolli) cane pejus, & angue a ſcientiis auſugiendum. Nec deſunt exempla, ſi vel leviter ſuperiorum ætatum hiſtorias percurramus; etenim non aliunde ſæcula, quæ dicuntur barbara, extiterunt in Europa, quam ex neglectu, atque odio ſcientiarum. Quod cum optimi, ſapientiſſimique Principes, quibus publicæ utilitatis cura erat, perſpexiſſent, publicas ſtatuerunt Academias, in quibus vacaretur ſtudiis liberalibus, & haberent adoleſcentes, unde ſcientiis imbuerentur ad publica, privataque officia recte, & convenienter obeunda. Inter Romanos Imperatores primo id præſtitit Adrianus, de quo ſic ſcribit Aurelius Victor *hiſtor. abbrev. p.* 2. *Romam regreditur; ibi Græcorum more, ſeu Numæ Pompilii, cærimonias, leges, gymnaſia, Doctoreſque curare cœpit; adeo quidem, ut etiam ludum ingenuarum artium, quod Athenæum vocant, conſtitueret*. Dictum fuit Athenæum ἀπό τῆς ἀθηνᾶς hoc eſt a Minerva ſtudiorum Antiſtite. Fuerunt quidem antea Romæ qui ingenuis artibus adoleſcentes inſtituerent: ſed id privatim tantum præſtabant, ſalarium nullum habebant de publico. Pomponius enim ſcribit in *l.* 2. §. *ult. D. de orig. jur.*, Maſurium Sabinum ab Auditoribus ſuſtentatum, qui illi honorarium ſolvebant. Tantum Veſpaſianus, qui ingenia & artes maxime ſovit, ut ait Suet. *c.* 18., e Fiſco latinis, græciſque Rhetoribus annua ſalaria conſtituit. At Alexander Severus, inſtaurato Athenæo in ampliorem formam, Profeſſoribus certa ſalaria aſſignavit, imo & ingenuis adoleſcentibus alimenta præſtare ſolebat, qui patrimonio deſtituti, commode non poterant litteris vacare, vid. Lampr. *in Alex. Sever.*

II. Tranſlato Byzanthium Imperio, tres celebres extiterunt Academiæ, Romana, Berytenſis, Conſtantinopolitana. In Romanam ex variis Orbis Provinciis conveniebant adoleſcentes, nominatim pro jure addiſcendo, vid. Pancirol. *de clar. leg. Interpr. lib.* 1. *c.* 86. ex *l.* 17. *D. de reb. cred.* & *l.* 36. *D. ad Municip.* Berytenſis, antiquior Conſtantinopolitana, creditur inſtituta imperante Diocletiano; ſaltem ejus Imperatoris ætate extabat; nam in *l.* 1. *C. qui ætat. vel profeſ. ſe excuſ. lib.* 10. ſic ille reſcribit Severino, & ceteris Scholaribus Arabiæ: *Cum vos adfirmetis, liberalibus ſtudiis operam dare, maxime circa juris profeſſionem, conſiſtendo in Civitate Berytiorum Provinciæ Phœniciæ; providendo utilitati publicæ, & ſpei veſtræ, decernimus, ut ſinguli uſque vigeſimum quintum annum ætatis ſuæ ſtudiis non avocentur*. Notat Cujacius in *comm.* adeo Beryti Juriſprudentiam floruiſſe, ut eam civitatem Juſtinianus adpellaret *nutricem legum*. Erant & in Provinciis Imperii ſcholæ liberalium artium, præſertim in Gallia, vid. Gothofr. *in l.* 11. *C. T. de Medic. & Profeſ.* Sed duabus iis Academiis promovendis ſumma ope optimi Imperatores ſtuduerunt, ac proinde ſapientiſſimas ediderunt leges, præſertim Conſtantinus Magnus, de quo Aurelius Victor ſcribit *in epit. Commodiſſimus*

tamen

tamen rebus multis fuit; *calumnias ſedare legibus ſeveriſſimis*; *nutrire artes bonas*, *præcipue ſtudia litterarum*. Contra idem Auctor de Licinio tyranno hæc habet: *Aſper admodum*, *haud mediocriter impatiens*: *infeſtus literis*, *quas per inſcitiam immodicam*, *virus*, *ac peſtem publicam nominabat*, *præcipue forenſem induſtriam*. Hinc Conſtantinus multa conceſſit Profeſſoribus privilegia, veluti ex *l. 6. C. de Profeſſor. & Med.* ne ſimul cum uxoribus, filiis, & rebus, quas in Civitatibus ſuis poſſidebant, publicis functionibus, & muneribus eſſent obnoxii; & ne in Provinciis hoſpites recipere tenerentur; nec ad judicium deduci, vel eximi, aut exhiberi (quod Gothofr. *in l. 1. cit. tit. C. T.* intelligit, ne per injuriam, & contumeliam in judicium ducerentur: quod ea ætate fieri ſolebat, quaſi in contemtum litterarum, unde ſacroſanctas, ait vir doctus, quodammodo eorum perſonas fecit Imperator, ne quis impune eos injuriis vexaret. Communiter tamen creditur, privilegium ibi intelligi advocatione ad forum proprium; ſcilicet ut Profeſſores ſive agant, ſive conveniantur, cauſa diſceptanda ſit coram eorum Judice competenti). Jubet poſtremo Imperator, mercedes & ſalaria iis ſolvenda; addita ratione: *quo facilius liberalibus ſtudiis*, *& artibus multos inſtituant*. In electione Profeſſorum non levis diligentia adhibenda erat; etenim Julianus in *l. 7. C. cit. tit.* (quam legem retulit & Baronius in ſuos *Annales an. 362.*) juſſit, Magiſtros ſtudiorum, Doctoreſque excellere oportere moribus primum, deinde facundia; nec repente, nec tempore proſilire ad hoc munus, ſed judicio, & decreto Ordinis, & Curialium, optimorum conſpirante conſenſu; decretumque ad ſe referri. Loquitur quidem hic Julianus de iis Profeſſoribus, qui in variis Civitatibus Imperii eligebantur ab Ordine uniuſcujuſque. Sed eadem, & fortaſſis major inerat cura in Profeſſoribus eligendis tum in Romana, tum in Berytenſi Academia.

III. Præ ceteris autem Imperatoribus, eminens fuit ſtudium Valentiniani ſenioris, ad optimas leges Academicas formandas, ut qui adoleſcentes Romam ſe conferrent, nominatim juris addiſcendi gratia, utilem navarent operam & ſibi & publico. Eas leges diligentiſſime explicat Gothofr. *in l. 1. C. T. de ſtud. liber. Urb. Rom.*, nec pigeat huc referre, tum ut cognoſci poſſit optimi Principis induſtria circa litteras, earumque Profeſſores; tum ut inde exempla aſſumantur, ſive ad inſtitutionem, ſive ad inſtaurationem Academiæ; & denique ut inſpiciatur, quibus in rebus Regni noſtri leges, quas infra explicabimus, cum iis conſonæ ſunt, aut ſecus. Prima lex hæc eſt: Venturi ad urbem Romam Studioſi literas commentatitias, ſive dimiſſorias accipiant a Rectoribus Provinciarum, in quibus contineantur hæc tria: *Patria*: *Natale*, quibus ſcilicet Parentibus editi ſint: *Merita*, hoc eſt dignitas parentum, & merita. II. Ubi Romam venerint, eas litteras deferant ad Magiſtrum cenſus. Notat Gothofr. ex *l. 1. C. T. de hab. quo uti oport. intr. Urb.*, Cenſualium Romæ muneris inter alia erat, ut honeſtatis publicæ coſtodes eſſent; quare & peregrinorum, qui ad urbem Romam accedebant, ſollicitudinem habuere, uti honeſte ibi ſe gererent. III. Statim profiteri debeant coram eodem Magiſtro cenſus, quibuſnam ſtudiis operam navaturi vene-

venerint, num eloquentiæ, philoſophiæ, juri &c. IV. V. VI. VII. VIII. verſantur circa mores adoleſcentum in Urbe: Cenſualibus nota ſint hoſpitia ſtudioſorum; & curent, ne ibi degant, unde a propoſito, vel ab honeſtate abducantur. Addit Imperator: *iiſdem immineant Cenſuales, ne ſinguli eorum tales ſe in conventibus præbeant, quales eſſe debent, qui turpem inhoneſtamque famam, & conſociationes, quas proximas putamus eſſe criminibus, æſtimant fugiendas: neve ſpectacula frequentius adeant; aut adpetent vulgo intempeſtiva convivia. Quin etiam tribuimus poteſtatem, ut ſi quis de his non ita in Urbe ſe geſſerit, quemadmodum liberalium rerum dignitas poſcat, publice verberibus adfectus, ſtatimque navigio ſuperpoſitus, abjiciatur Urbe, domumque redeat*. Hæ ſane leges, quam maxime adoleſcentum moribus conducant, & Parentum votis, qui filios ad hanc Civitatem mittunt ſtudiorum gratia, omnibus in comperto eſt; etenim frequentiſſimæ ſunt querelæ de ſtudioſorum petulantia, deque incompoſita, & libera nimis vivendi forma: ut nihil dicam de ſtudiorum contemtu: contra de nimia pro ludicris, & ſpectaculis, & omnis generis luxu, cupidine. IX. Scholaribus poteſtas ſit Romæ commorandi ſtudiorum cauſa ad annum uſque vigeſimum; ea ſcilicet ratione notat Gothofredus, ne ſtudiorum obtentu diutius patriæ munera defugerent. Quod idem placuit Diocletiano ſtatuere in *l. 1. & 2. C. qui ætate vel profeſ. ſe excuſ. lib.* 10. Verum hujus Imperatoris ævo tempora ſtudiorum protrahebantur uſque ad annum vigeſimum quintum. Valentiniano autem viſum eſt vigeſimum definire, nam olim pueri a duodecim ferme anno ad decimum quartum ſtudiis liberalibus imbuebantur, ideſt Grammaticos, & Geometras adibant, inde ad Academias mittebantur, majoribus ſcientiis imbuendi, puta eloquentia, philoſophia, juriſprudentia. Neque mirum, ait idem Gothofredus, Valentiniani lege ſtudiorum curſui abſolvendo vigeſimum ætatis annum poni; quia juventus Romana ancillaribus jam artibus domi ab ineunte ætate affatim inſtructa, majoribus diſciplinis addiſcendis ad Academias mittebatur; cum ad primores artes illas probe aſſequendas multo tempore, magnoque hodie labore, & moroſitate opus eſt. Ut proinde hodie non ſtatim vigeſimus annus ſtudiis abſolvendis poni debeat, hujus legis argumento. X. Jubetur a Præfecto Urbis Romæ commoneri Cenſuales, ut *brevibus* ſuis, ſive in *matricula*, ſtudioſorum nomina adnotent per ſingulos menſes, quinam ſtudioſi, vel unde venerint, quinam pro ratione temporis exacti domum remittendi ſint: *exceptis his, qui Corporatorum ſunt oneribus adjuncti*; ideſt (explicat Gothofredus) exceptis iis juvenibus ſcholaribus, qui cum ſtudiorum cauſa Romæ agerent, corpori alicui Urbis ſociati fuerint. XI. poſtrema, ac veluti omnium legum Academicarum clauſula ponitur a Valentiniano, ut *Breves*, ſeu *Matricula* ſtudioſorum ad ſcrinia Imperatoris mittatur ſingulis annis; ea de cauſa, ut *meritis ſingulorum, inſtitutionibuſque compertis, utrum quandoque futuri ſint Principi neceſſarii, judicare ipſe poſſit*. Quæ ſane ſpes potiſſima eſt, ut alacri animo adoleſcentes labores ſubeant, & mentis aciem intendant pro liberalibus diſciplinis, nominatim pro Juriſprudentia aſſequenda; idque oſtendunt & Juſtiniani

ni verba in calce epiſtolæ Inſtitutionibus præfixæ. Concludamus igitur hanc legum Academicarum interpretationem prudentiſſimis Gothofredi verbis: *Et vero non ultima hæc Principis laus, & virtus eſt, non modo ut juvenum indoli conſultum velit, idque agere ut ingenuis artibus erudiantur, verum & eorum merita noſſe: unde poſtea ſuo tempore eos in partem curarum aſciſcere, Reique publicæ admovere poſſit. Certe Julianus Imperator de Magiſtris ſtudiorum Doctoribuſque, qui judicio Ordinis, ideſt Curiæ probati fuiſſent; ad ſe referri voluit, hac equidem ratione prælata, ut altiore quodam honore, ſuo judicio ad ſtudia Civitatum accederent l. 5. ſupra de Med. & Profeſ.* . . . . *Ad hoc exemplum, vos, penes quos Imperium eſt, ſaluſque publica curæ eſſe debet, hodie provocamus. Eja qui juventutis veſtræ indoli conſultum cupitis, qui adoleſcentum ſpei, quique adeo Rempublicam ſalvam vultis, ſimilem curam capeſſite, annuariamque hodie ſtudiis, ac nominatim Juriſprudentiæ, legem figite, a qua juvenes in forum, vel ad rerum actum, aut Tribunalia mitti recte poſſint.*

IV. Conſtantinopolitana Academia auctorem habuit Theodoſium juniorem, nam qui antea regnarunt Imperatores, ſive bellis diſtracti, ſive litterarum parum ſolliciti, nihil ea de re ſtatuerunt; unde credendum eſt, ibi aut privatis Profeſſoribus audiendis vacaſſe adoleſcentes, aut Romam, Berytumve profectos, ſtudiorum cauſa. Theodoſius igitur, ut nullum inſigne Urbi omnium in toto Imperio Principi deeſſet ornamentum, nobilem Academiam erexit; & de ejus cura etiamnum veſtigia extant in *Cod. Theod. l. un. de Profeſſoribus qui in Urbe Conſtantinopolitana docentes ex lege comitivam meruerint* (eadem lex in *Cod. Juſtin.* legitur *eod. tit. lib.* 12. ſed interpolata a Triboniano, ut monet Gothofredus) *l. ult. de ſtud. liberal. Urb. Rom. & l. ult. de oper. publicis*. Quæ tres leges, eodem Gothofredo adnotante, ſimul jungendæ ſunt; unaquæque enim pars eſt conſtitutionis Theodoſianæ de nova in Urbe Conſtantinopolis Academia. In *l. ult. de oper. publ.* apparet cura Imperatoris pro ædificio, & nominatim pro conſtruendis *exedris*, hoc eſt locis ad docendum, diſputandumque aptis. In *l. ult. de ſtud. liberal. &c.* primo vetat Imperator, Magiſtros alios, extra Profeſſorum publicorum numerum, Conſtantinopoli publice docere. Romæ equidem, etiam poſtquam inſtitutum fuit Athenæum licuit privatim docere, prout ex Vopiſco Gothofredus probat. Tales quidem ſcholæ privatæ erant, ſed dicebantur etiam publicæ eo ſenſu, quod eo undique conveniretur. At Theodoſio placuit, eas, quas vocat *magiſtrationes, & cellulas*, prohibere; ea ratione, ne cuicumque, etiam imperitiſſimo, liceret docendi munus ſibi aſſumere, non ſine publico detrimento. Permiſit tantum Imperator, privatim ſeu intra domeſticos parietes, unius familiæ liberos poſſe inſtitui. Vetat præterea, publicos, & ſtatutos Profeſſores alibi quam in Auditorio publico docere; fortaſſis ea ratione, tum quod melius convenientiuſque ibi liberales diſciplinæ apprehenduntur; tum quod Profeſſoribus de congruo, convenientique ſalario proviſum erat de Ærario publico; unde ſuperfluum videbatur, & privatim ſtudioſos domi habere.

In

In eadem conſtitutione Imperator genera numerumque Profeſſorum determinat: numerum unius ſcilicet ſupra triginta. Denique loca quoque ſeu Auditoria ſingulis Profeſſoribus aſſignari jubet, in quibus ipſi profiteri poſſint; ne videlicet ſibi mutuo obſtrepant vel Magiſtri, vel ſcholares. In *l. un. de Profeſſoribus qui in Urbe &c.* privilegia, & dignitates Profeſſoribus ſtatuuntur. Et quidem iis, qui tunc erant Conſtantinopoli, & nominantur in conſtitutione, tribuitur *Comitiva primi Ordinis*, hoc eadem dignitate, & privilegiis fruantur, ac Comites primarii, prout erant præ ceteris, qui munere Vicariorum (fuerunt hi ſummi in Imperio Orientali Magiſtratus, qui in Provinciis vicem gerebant Præfectorum Prætorio) defungebantur; unde ait conſtitutio: *ita ut eorum, qui ſunt, ex Vicariis dignitate potiantur*. Eadem prærogativa conceditur in poſterum omnibus Profeſſoribus poſt viginti annorum ſtipendia. Fuerat jam antea Romæ conſuetudo, ut Profeſſoribus perinde ac veteranis poſt tale temporis ſpatium emerita darentur ſtipendia. De ſe ipſo Quintilianus ſic ait *princ. Inſtit.*: *Poſt impetratam ſtudiis meis quietem, quam per viginti annos erudiendis juvenibus impenderam &c.* Non ſolum autem id videtur confirmaſſe Theodoſius, ſed & honorem Comitivæ primi ordinis addidit; idque voluit Juriſperitis nominatim concedere, ut Juriſprudentiam ſua ætate jam languentem excitaret. A Leone Iſaurico creditur Conſtantinopolitana Academia ſuppreſſa, vid. Paulum Diaconum *miſcel. lib.* 21. & Zonaram *annal. tom* 3. qui ſic ſcribit: *Erat domus Regia prope forum oratorium, in quo multi codices humanæ, & divinæ ſcientiæ aſſervabantur ab antiquis temporibus, illi ad habitandum tributa, qui eruditione excelleret, quem Œcumenicum Doctorem adpellabant. Is duodecim contubernales excellenter eruditos habebat, quibus ex publico victus præbebatur. Ad eos diſcendi cupidi accedebant, eoſque Imperator ad rerum gerendarum conſilia adhibebat. Leo illos noctu cum Regia, & libris comburi juſſit, quia ſuæ impietati abolendarum ſacrarum imaginum noluerant aſſentiri*. Sed hæc narratio, ut pleraque ejus Græcorum monumenta, ſtudio partium tribuenda eſt; ſiquidem & poſterioribus ſæculis, licet barbarie involutis, ſemper tamen Conſtantinopoli bonarum artium ſtudia floruerunt, ad interitum uſque Imperii Orientalis; inde enim; ut Turcarum vitarent tyrannidem, in Italiam tranſmigrarunt viri doctiſſimi, quorum opera liberales diſciplinæ inſtauratæ fuerunt ſæculo decimoquinto.

V. Sub Gothorum Regno & aliqua de Romana Academia habita fuit cura, regnante Theodorico, & Atalarico, cujus legitur Caſſiodorum *lib.* 9. *c.* 21. epiſtola Senatui Urbis Romæ ſcripta, in qua Romani increpantur, quod ex quorundam nundinatione Profeſſoribus deputata ſtipendia imminuuntur. Fortaſſis & ſtatuto tempore non ſolvebantur. Hinc non leve documentum exoritur miræ rerum humanarum converſionis: apparet enim favore litterarum cura Principis ejus gentis, quæ a Romanis ſcriptoribus barbariei nota paſſim deſignatur: e diverſo ipſorum Romanorum avaritia & contemtus ſcientiarum. Et animadverſione digna ſunt illa Regis verba: *Nam ſi opes noſtras ſcænicis pro populi oblectatione largimur, & eas ſtudioſiſſi-*

ſiſſime conſequuntur, qui adeo neceſſarii non habentur: quanto magis illis ſine dilatione præbenda ſunt, per quos & honeſti mores proveniunt, & Palatio noſtro facunda nutriuntur ingenia. Ex his duo inferuntur, primo, tantam ea ætate fuiſſe Regiorum Officialium vecordiam, ut ſcænicis faverent ſtipendiorum promta ſolutione: contra Profeſſores averſarentur, honorarii imminutione, & detractatione. Secundo, optimarum diſciplinarum ſtudium non rei tantum publicæ prodeſſe, ſed & Regiæ, ipſiuſque Principis domeſticis negotiis. Cum autem deinde Gothorum Regnum aſſiduis bellis involutum, & demum extinctum eſſet, paulatim ea Academia defecit. Unde poſtmodum univerſa Europa, & nominatim Italia, Regioneſque noſtræ ſub Longobardis, & Normannis ſtupenda ſcientiarum omnium ignorantia oppreſſæ ſunt. Tantum de arte medica aliquatenus proviſum fuit; nam inter Saracenos, qui ineunte ſæculo octavo, & deinceps aſſiduis deprædationibus ſoliti erant Provincias, & Regna invadere, haud contemnendi extiterunt Philoſophiæ, & Medicinæ Magiſtri, quorum auctoritate, ductuque cœpit in Urbe Salerni ars medica doceri; unde apud nos celeberrima fuit *Schola Salernitana*; quæ ex privata Magiſtrorum diligentia, & doctrina auctoritatem adepta fuit, non jure publico. Et propterea qui iis Magiſtris operam dabat pro medicina addiſcenda, non poterat publice ad medendum prodire, niſi a Rege eam facultatem impetraſſet; idque a Rogerio primo ſtatutum adparet ex illis verbis *conſtitutionis quiſquis tit. de probabili experientia Medicorum*, ſive *de mederi volentibus: Quiſquis amodo mederi voluerit, Officialibus noſtris, & Judicibus* (fortaſſis nomine Judicum intelligebantur rei medicæ periti, qui a Rege deſtinabantur pro examine) *ſe præſentet; eorum diſcutiendum judicio. Quod ſi ſua temeritate præſumſerit, carceri conſtringatur, bonis ſuis omnibus publicatis. Hoc enim proſpectum eſt, ne in Regno noſtro ſubjecti periclitentur ex imperitia Medicorum*. Fridericus autem ſecundus, ut habetur in *conſt. tit. ſeq. Ut nullus audeat praticare* (hoc eſt ſcientiam medicam ad uſum revocare) *niſi in conventu publice Magiſtrorum Salerni ſit comprobatus*, approbationem Medicorum alia ratione decrevit: Primo ut id fieret a Magiſtris medicinæ exiſtentibus in Collegio Civitatis Salerni (veriſimile eſt, Fridericum auctorem fuiſſe, ut Schola Salernitana publicæ Academiæ jus nanciſceretur, cum talem facultatem ei tribuiſſet, quibus litteræ atteſtationis conficerentur). Secundo ut tales litteræ exhiberentur Regiis Officialibus ad hoc deputatis, a quibus & aliæ conficerentur litteræ teſtimoniales (ait Matthæus Afflictis) Medicus eſt ſufficienter approbatus. Tertio cum his duabus litteris, ut teneretur Regem, vel, eo abſente, Vicarium Regni adire, & ab eo licentiam medendi accipere. Quod ſi ſecus factum fuiſſet, publicationis bonorum, & carceris ſpatio unius anni pœna plecteretur.

VI. Sed operi longe utiliori animum indidit Fridericus, dum in hac Civitate publicam Academiam inſtituendam cenſuit. Non defuerunt quidem in ea omni ferme ætate bonorum artium ſtudia; ſed iis privatim tantum a civibus Neapolitanis

nis dabatur opera:& paulatim ob temporum barbariem liberales diſciplinæ defecerant, utpote ad Monachorum tantum diligentiam translatæ. Fridericus autem voluit primo loco Præfectum Academiæ creare Magiſtrum Petrum de Hybernia, eique ſalarium annuum aſſignare, vid. *in epiſt. Petri de Vineis epiſt.* 10. *lib.* 3. ubi & ſic reddit rationem,cur hanc Civitatem præ ceteris totius Regni ſelegit: *Cumque Civitatem Neapolitanam, antiquam utique matrem, & domum ſtudii tam marinæ vicinitatis nobilitas, quam terrenæ fertilitatis fœcunditas reddant utiliter tanto negotio congruentem, generale Studium in Civitate ipſa mandavimus reformari; ut quam localis amœnitas, plenitudine rerum gratificat docentibus, & addiſcentibus; undique collecta commoditas efficiat gratioſam*. Quibus ex verbis colligitur, fuiſſe antea hic ſcientiarum ſcholas, ſed quæ langueſcere cœperant, unde reformatione indigebant: Dein, eas Scholas Academiæ jure deſtitutas, nam nullis publicis conſiſtebant legibus, & generales non erant pro quibuſcumque facultatibus; nec ab omnibus Regni Provinciis adigebantur adoleſcentes illuc ſe conferre ſtudiorum cauſa. At Friderico placuit tum commodo ipſorum adoleſcentum providere, tum publicæ utilitati; quoniam illos a neceſſitate ſubtraxit, qua antea tenebantur, extra Regnum ſe conferre pro ſcientiis aſſequendis; & privatas Scholas in toto Regno prohibuit, in quibus fortaſſis omnium rerum imperitiſſimi Magiſtri debebant; & propterea *in epiſt.* 11. *loc. cit.* hæc leguntur: *Diſponimus autem apud Neapolim, amœniſſimam Civitatem, doceri artes cujuſcumque profeſſionis, vigere ſtudia, ut jejuni, & famelici doctrinarum in ipſo Regno inveniant, unde ipſorum aviditati ſatisfiat: neque compellantur, ad inveſtigandas ſcientias, peregrinas Nationes expetere, nec in alienis regionibus mendicare .... Volumus igitur, & mandamus vobis omnibus, qui Provincias agitis, quique adminiſtrationibus præſidetis, ut hec omnia paſſim, & publice proponatis, & injungatis ſub pœna perſonarum & rerum, ut nullus ſcholaris legendi cauſa exire audeat extra Regnum; nec infra Regnum aliquis addiſcere audeat alibi, vel docere: & qui de Regno ſunt, extra Regnum ſub pœna prædicta eorum parentibus injungatis, ut uſque ad feſtum S. Michaelis revertantur*. Excepit tantum Fridericus, ut habetur in *epiſt.* 13. a generale prohibitione, artis grammaticæ rudimenta, quæ permiſit privatim, & ubicumque pueros doceri. In cit. *epiſt.* 11. ſpecialis Scholarium cura habita ab Imperatore, & eorundem prærogativæ leguntur: *Scholares autem undecumque venerint, ſecure veniant, morando, ſtando & redeundo, tam in perſonis, quam in rebus nullam ſentientes in aliquo læſionem. Hoſpitium, quod melius in Civitate fuerit, ſcholaribus locabitur, pro duarum unciarum auri annua penſione, nec ultra æſtimatio ejus aſcendet .... Mutuum fiet ſcholaribus ab illis, qui ad hæc fuerint ordinati, ſecundum quod eis neceſſe fuerit, datis libris in pignore, & precario reſtitutis, receptis a ſcholaribus fidejuſſoribus pro eiſdem. Scholaris vero, qui mutuum recipiet, jurabit quod de terra aliquatenus non recedat, donec precaria reſtituet, vel mutuum ab eo fuerit exolutum, vel alias ſatisfa-*

Digitized by Google

ctum creditori. Prædicta autem precaria a creditoribus non revocabuntur, quandiu ſcholares voluerint in ſtudio permanere. Item omnes ſcholares in civilibus ſub eiſdem Doctoribus, & Magiſtris debeant conveniri. Quæ poſtrema verba denotant, voluiſſe Fridericum, aliquam Academiæ concedere juriſdictionem in ſcholares, ne illi litibus implicati, a ſtudio averterentur; ceterum in cauſis criminalibus ſuberant Judicibus ordinariis.

VII. Translato Regno in familiam Regum Andegavenſium, non deſtitit publica ſollicitudo pro Academia, & nominatim ſub Carolo primo. Extat inter *Capitula Regni nu* 269. celeberrimum hujus Principis Edictum, *circa reformationem*, & *incrementum*, ut ipſe ait, *Studii Generalis*, in quo voluit primo loco peculiarem Magiſtratum creare, ſub nomine Juſtitiarii, (ea ætate uſus loquendi ferebat, ut qui jus redderet, vulgo juſtitiam adminiſtrabat, adpellaretur Juſtitiarius), eique ſpecialem facultatem concedere cognoſcendi in omnibus quæſtionibus, tam civilibus, quam criminalibus ad Scholares pertinentibus, ſive illi actores eſſent, ſive rei; niſi ubi ſcholaribus placuerit, ante incœptum judicium, vel Archiepiſcopum hujus Civitatis eligere tanquam arbitrum. vel ſuum Doctorem, ſive Magiſtrum. Electionem Juſtitiarii ipſis ſcholaribus dedit, eique, ſi Neapolitanus fuiſſet, ſalarium annuum viginti unciarum auri aſſignavit, ſi extraneus, triginta. Et quo rectius in diſcrepationibus judicialibus procederetur, ſtatuit Rex, tres Aſſeſſores juriſperitos eligendos hoc modo: *uno ultramontano, videlicet quem Scholares illarum partium elegerint; altero Italico, eligendo per Scholares Italiæ; & tertio Regnicola, per ſcholares eligendo Regnicolas; qui de tribus in tribus menſibus jugiter mutabuntur.* Dedit deinde eidem Juſtitiario cum conſilio Aſſeſſorum, & Doctorum, ſive Magiſtrorum ſcholarium facultatem imponendi juſtum pretium (*aſſiſam* ait conſtitutio) rebus vænalibus, addiditque pœnam his verbis: *certa, & competenti pœna tranſgreſſoribus imponenda, quæ exacta, ut convenit ab eis, qui in eandem inciderint, noſtri Fiſci commodis applicetur; deducto tamen ex his, aliiſque proventibus officii prædicti ſalario, ipſi Juſtitiario conſtituto.* Hic uſus diu permanſit ſub Regibus Andegavenſibus, non ſine aliqua tamen immutatione; ſiquidem in commentariis noſtrorum Regum, qui adhuc extant in publico Archivio, & vulgo nominantur *Regiſtra*, legitur, *an.* 1305. Gulielmum Marramaldum Militem (hoc adjuncto ea ætate denotabatur nobilis, & aliquando feudatarius) fuiſſe Perceptorem proventuum ex impoſitione *aſſiſarum*, qui ad ſtudium Neapolitanum pertinebant. Verum *in regiſtr. an.* 1372. legitur prohibitum fuiſſe a Rege, ne Balius imponeret *aſſiſam* abſque Scholarium interventu. Et in *regiſtr. an.* 1384. aſſiſam ſolitam fuiſſe inponi a Sexviris, qui eligebantur e Collegiis Nobilium hujus Civitatis, & a Juſtitiario ſcholarium. Sub Regno Reginæ Joannæ II. pro rebus vænalibus novus Officialis erat ſtatutus, qui dicebatur *Graſſerius*, ſubjiciebatur tamen Juſtitiario ſcholarium, vid. *regiſtr. an.* 1423.: unde paulatim & Juſtitiarius defecit, & auctoritas aſſiſæ tranſlata fuit in Adminiſtratores Univerſitatis Neapolitanæ, & vulgo dicitur *officium Catapaniæ*. Extat tamen adhuc noſtris temporibus aliquod antiquum conſuetudinis veſtigium, nam quarta pars proventuum, qui exiguntur

Digitized by Google

tur ſingulis annis ab officio prædicto, cedit lucro ejus, qui primum locum obtinuit in Academia inter Profeſſores juris civilis. In eadem *conſtit.* idem Carolus primus privilegium ſcholaribus dedit eligendi habitationes huc modo: *Conſtituantur etiam per eundem Juſtitiarium, & Doctores, cum aſſenſu ſcholarium, probi viri ad taxandum hoſpitiorum loeria* (habitationes) *a ſcholaribus conducenda: ad quam taxationem faciendam tres ſcolares, tres cives ad id idonei ordinentur, qui taxent hoſpitia qualibet, quæ ſcholares voluerint, manſione ipſarum congrua dominis reſervata; ita quod nullum hoſpitium ultra duas uncias taxetur per annum: circa quantitatem ipſam, prout uniuſcujuſque qualitati, & conditioni convenit, æſtimetur.* Hæc uſus nedum obliteravit, ſed etiam, ſive ob ſcholarium immodeſtiam, ſive ob quorundam Magiſtratuum a literis abhorrentium iniquas ſententias, induxit, ut publica in parietibus Civitatis quamplurima legerentur edicta, quibus a locis honeſtis ſcholares,& meretrices ſimul repelluntur;unde ſequitur, non tantum electionem habitationis ablatam eſſe, verum & eos cogi poſſe ad loca proſtituta, vel remota ab hominum commercio ſe conferre. Eodem uſu, ſive potius abuſu abrogata quoque immunitas in *eod. conſt.* ſcholaribus conceſſa ab oneribus perſonalibus, & realibus, ſcilicet ut non trahantur ad ſervitium perſonale ſive pro Univerſitate; *nec de rebus, aut mercibus, quæ iis remittuntur, & pro eorum neceſſitatibus aliquod jus pedagii ſundiri, & dohanæ ſolvere teneantur: Bajulis, & Officialibus nullam juriſdictionem habentibus ſuper ſcholaribus, nec de eis, & earum cauſis ſe intromittentibus ullo modo*. Verum omnia hujus generis privilegia ſtudioſis tum a Carolo, tum ab aliis Regibus conceſſa, facta ſunt inutilia noſtrarum legum additamenta, utplurimum ignota iis, penes quos legum exequutio eſt; quorum nonnulli, cum ſe videant abſque ulla bonarum artium cognitione ad honores, divitias, dignitateſque ſummas perveniſſe, riſu excipere ſolent colloquia, ubi de utilitate ſcientiarum, de privilegiis ſtudioſorum, de Profeſſorum dignitate diſſeritur. Hinc non mirum ſi in tanta morum corruptione, *ſtudentis* vocabulum vulgo ad opprobrium, & pene ad injuriam revocatur. Sed querelarum plus ſatis. Fuit & Caroli II. non levis diligentia pro Academia, præſertim circa electionem optimorum inter Profeſſores. Unde legimus in *regiſtro* ejus Regis an. 1307. Jacobum de Belviſo Aquenſem clari nominis ea ætate Juriſconſultum, qui in celebrioribus Italiæ Academiis jus civile explicaverat, a Rege accitum, in ea Academia docuiſſe, *vid. Parid. de Put. de Synd. poſt princ.* ut, omittamus aliorum nomina recenſere, qui diverſis temporibus pro eodem munere obeundo in hanc Civitatem commigrarunt. Caroli II. filius, & Regni heres Rex Robertus, ut erat Princeps cumprimis literarum, earumque ſectatorum amantiſſimus, conſtitutionem edidit *inter cap. Regni n. 269.* ſub titulo *de Reformatione ſtudii Neapolitani, & interdicendo particulares ſcholas in utroque jure ubilibet infra Regnum*; ut in hac Civitate ſtudium, *præſertim in utriuſque juris ſcientia vigeret, & continuis ſucceſſibus perſeveraret* (ſunt verba Regis), *in ceteris Regni locis, & partibus ſcholis particularibus, & ſtudio, in prædicti juris utriuſque dogmatibus interdictis; excepto ſtudio me-*

Digitized by Google

medicinæ Salerni. Sub Regno Principum Aragonenſium inſtauratione opus habuit Academia; nam cum diu armis eſſet diſceptatum poſtremis annis Regni Andegavenſium, facile fuit, ut publica cura, necnon Profeſſorum diligentia, ac doctrina ibi deſideraretur; unde adoleſcentes cogebantur exteras Regiones adire ſtudiorum cauſa. Quod conſtitutione edita an. 1486. prohibuit Rex Ferdinandus primus; idque ſumma ratione, tum ne Academia Neapolitana deſereretur, tum quia jam cœperant bonorum artium diſciplinæ vel ab ætate Alfonſi primi apud nos non tantum reviviſcere, ſed ad culmen perfectionis pervenire; unde poſteris & inſtructioni, & admirationi ſunt, eruntque monumenta ingenii ſapientiſſimorum Virorum, qui vixerunt regnante Aragonenſium familia. Et tanta fuit, præcipue pro juris facultate promovenda, Ferdinandi ſollicitudo, ut inter Juriſprudentiæ Profeſſores in Academiam acciverit Antonium de Alexandro præſtantiſſimum Juriſconſultum, cujus opera ſolitus erat uti in publicis magniſque momenti negotiis. Ferdinandus igitur ſua conſtitutione, quæ eſt *pragm.* I. *de ſcholar. doctor.* pœnam impoſuit publicationis omnium bonorum, atque exilii, adverſus eos, qui extra Regnum, ſive ſtudiorum gratia, ſive Doctoratus gradum adepturi ſe conferrent.

VIII. Cum autem Regnum in dominatum perveniſſet Hiſpanorum Regum, iiſdem legibus, atque inſtitutis Academia ſtetit uſque ad annum 1616. in quo Regis vices gerente Lemenſium Comite, qui magnos animos in pectore verſans, & nobili Ædificio eam adornavit, & principali favore protexit; novæ leges rogatæ fuere, quæ in plura capita diſtinctæ leguntur in *prag.* I. *de regimine ſtudiorum*; iiſque magna ex parte hodie utimur. *In primo capite* decernitur Academiæ Præfectus is, qui majorem locum occupat inter Regios Cappellanos, vulgo *Cappellanus major* (more Regum Francorum cœpere Reges in Palatio ædiculas ſacras habere, cappellas ſpecialiter nominatas, & Palatianas Cappellas; quique iis inſerviebant, appellabantur Cappellani, eorum Præfecti Archicappellani, aliquando Abbates, ſive primi in Regia Cappella, vid. Cangium *in gloſ.* Qui uſus in Regno perduravit etiam ſub Viceregibus Hiſpanis); eique datur facultas regendi, gubernandi Academiam ex legum præſcripto. Idem conſtituitur Judex delegatus, cum conſilio, & ſuffragio unius ex Regiis Miniſtris, quem Princeps elegerit, in omnibus delictis in ipſa Academia commiſſis, ſive a Profeſſoribus, ſive a ſcholaribus: obligatione injuncta Aſſeſſori, ut in Collaterale Conſilium (nunc Regalem Cameram) ſe conferre debeat, relationem facturus, quoties agitur de pœna mortis civilis, aut naturalis. Eidem Cappellano Majori in Academia datur honor præcedentiæ. In *II. capit.* ſtatuitur *Protector ſtudiorum* unus ex Regentibus Cancellariam; & mandatur Præfecto, ut ter quolibet anno Collaterale Conſilium adeat, referatque quæ Academiæ interſunt. Hoc tamen uſu non obſervatur. In *III. & IV.* injungitur, debere Cappellanum Majorem quolibet anno, die dicato S. Lucæ, quatuor ex ſtudioſis eligere, eorum nomina offerre Principi, a quo unus ſeligetur: eritque Rector ſtudiorum; cui onus incumbit ſilentium ſcholaribus indicendi, inobedientes carceribus detinendos mandandi, certioremque faciendi Præfectum, non tantum ea de re, ſed & de ipſis Profeſſo-

ſeſſo-

feſſoribus, quando ſolita non utuntur diligentia, & aſſiduitate ſcholis. Idem Rector aſſiſtit ſcholaribus doctorandis ipſique talis gradus confertur gratis. In *cap. V. VI. VII. VIII.* agitur de Apparitoribus; inter quos primo nominantur duo, tanquam Accenſi, vulgo *Bidelli*. Antiquitus erat tantum unus; & vel ætate Regum Andegavenſium tale officium conferebatur a Rege: *in regiſt. an.* 1382. *&* 1383. refertur, *Bidellum* Studii Neapolitani privatione officii punitum fuiſſe, quod Antipapæ partibus ſe adjunxerat. Iis igitur Accenſis onus injungitur, ut præſto ſint in Academia ſive dum eo ſe confert Cappellanus Major, ſive iis, quæ ad diligentiam, & decorem Profeſſorum ſpectant. Agitur etiam de Magiſtro, qui dicitur *cerimoniarum*: Sed tale officium jam abolitum eſt, tanquam minus neceſſarium. Agitur & de *Capitaneo guardiæ*, cujus munus eſt in Academia aſſiſtere, ut modeſte ſe gerant ſtudioſi: aliter ducantur ad carceres, quos decernitur conſtruendos in eadem Academia; unde terror incutiatur. Agitur denique de Claviculario, vulgo *Porterio*, in cujus locum, & officium alius Accenſus (*Bidellus*) creatus eſt. In *cap. IX. X. & XI.* de Bibliotheca conſtruenda agitur, & de Cappella pro rerum divinarum, & feſtorum celebratione; quæ omnia deſiderantur in Academia. In ſecunda parte *conſtitutionis* proponuntur uniuſcujuſque facultatis diverſa genera, *vulgo Cathedræ*, & ſalarium Profeſſorum; quique ex iis perpetui ſunt, aut ſecus. Verum hac in re diverſimode uſus ſe habuit, præſertim quod attinet ad tempus, nam omnes Profeſſores perpetui ſunt, dum ſemel electi fuerunt. Indicuntur quinam ſint feriales dies, & quodnam principium, & finis dierum ad docendum. Statuitur methodus circa officium Profeſſorum, circa viſitationem Præfecti, circa *Subſtitutos*, quando Profeſſores juſto impedimento detinentur. Prohibentur Scholæ privatæ, eo tempore, quo in Academia docetur. Sed hæc male ſervantur, unde Civitas referta eſt Magiſtrorum, utplurimum mediocrium, aliquando imperitorum; dum unicuique datur, ſua tantum circa peritiam ſcientiarum, perſuaſione, nullo publico experimento, ad docendum prodire. Et malum uſque adeo proceſſit, ut qui nobilitatis qualiquali umbra ſunt imbuti, aut divitiarum commodo ornati, minus decorum cenſeant Academiam adire; nullius famæ, & certæ doctrinæ Magiſtris privatim contenti. Præſcribitur deinde modus adhibendus in electione Profeſſorum, vulgo *in concurſu cathedræ*; & quibus ſuffragii jus competit in eligendo. Qua in re uſus quoque quædam immutavit. Poſtremo de certa quantitate pecuniæ agitur, præſtanda ab *electo* ad cathedram in beneficium Cappellani Majoris, & Officialium. In tertia parte quæ ſtatuuntur, utplurimum ſpectant ad ipſos ſtudioſos, præcipue circa annotationem nominis uniuſcujuſque in libro deſignato, vulgo *matricula*. Qua de re opportunius agemus *in cap. ſeq.*

CA-

C A P U T X.

De Collegio Doctorum; eorumque gradum adipiſcendo.

POſtquam ſtatuto tempore ſcientiis addiſcendis vacaverint adoleſcentes in Academia, idonei evadunt ad Doctoratus gradum nanciſcendum; idque primum moribus, deinde jure publico inductum fuit. Videndum igitur undenam tale inſtitutum originem duxerit, quid juris ex eo transferatur. Qui inter Græcos olim Romanoſque, & alias nationes literis excultos, doctrina, ſcientiaque eminentiores erant, non aliter in publicum prodibant, propriæque facultatis induſtria cives juvabant, quam ubi ſummo ſtudio, vigiliis, & laboribus, prout ſeſe occaſio dabat, oſtendiſſent ſe doctos, eruditoſque: unde experimentis nanciſcebantur illi doctrinæ, peritiæque famam. Hunc morem, ut ceteras facultates omittamus cernere licet in veteribus Romanis Juriſconſultis, qui primum ex ſola ſtudiorum ſuorum fiducia leges interpretabantur, & de jure reſpondebant; nec aliam publice eorum reſponſa auctoritatem ſortiebantur, quam quæ oriebatur ex uniuſcujuſque fama, & doctrina; neque ulla Judicibus, aut Magiſtratibus inerat neceſſitas ſecundum eorum reſponſa judicandi, niſi ubi evidens ratio id expoſtulabat. Hinc legimus apud Ciceronem *orat. pro Muren.* Juriſconſultorum reſponſa, & decreta ſæpe ab Oratoribus dicendo everſa. Et in *orat. pro Cæcinna* idem Cicero exemplum adducit Craſſi, qui in Judicio Centumvirali obtinuerat, ut Scævolæ reſponſum minime attenderetur, vid. Heinec. *lib.* 1. *antiq. Rom. tit.* 2. §. 37. Sed poſtmodum ſub Imperatoribus hæc aliter ſeſe habuerunt, prout his verbis Pomponius refert *in l.* 2. §. 47. *de orig. jur. Et ut obiter ſciamus, ante tempora Auguſti publice reſpondendi jus non a Principibus dabatur, ſed qui fiduciam ſtudiorum ſuorum habebant, conſulentibus reſpondebant. . . . . . . Primus Divus Auguſtus, ut major juris auctoritas haberetur, conſtituit, ut ex auctoritate ejus reſponderent: Et ex illo tempore peti hoc pro beneficio cœpit: & ideo optimus Princeps Adrianus cum ab eo viri prætorii peterent, ut ſibi liceret reſpondere, reſcripſit eis, hoc non peti, ſed præſtari ſolere.* Idem ferme Juſtinianus confirmat *Inſtit. de jur. nat. gent. & civil.* additque, amplius non licuiſſe Judicibus recedere a reſponſis Juriſconſultorum, poſtquam a Cæſare iis datum fuit jus publice reſpondendi, Non ignoro quam maxime eruditorum ingenia exercuerint & Pomponii verba, & Juſtiniani; ſed inſtituti noſtri ratio non patitur diligentiſſimam adhibere inquiſitionem in diverſas illorum ſententias. Conatur Jacobus Gothofredus *in com. ad l. un. C. T. de reſponſ. Prud.*, quem magno verborum apparatu ſequitur Auctor *hiſt. civ. lib.* 1. *c.* 7. ad Valentiniani III. conſtitutionem in *d. l. un.* trahere, quod Juſtinianus ait de neceſſitate impoſita Judicibus non recedendi a reſponſis Juriſconſultorum. Sed eum refellit Thomaſius, relatus ab

Hei-

Heineccio *loc. cit.* §. 38., qui tamen poſt Huberum nimio indulget mentis acumini, dum inter arcanas regnandi artes, quibus uſus eſt Auguſtus, ad ſe trahendo paulatim munia Senatus, Magiſtratuum, legum, ut ait Tacitus *an.* 1., numerat, quod ſcribit de eo Pomponius; quaſi quod ex tanta auctoritate reſponſis Juriſconſultorum conceſſa vetus edictum, & judiciale Prætoris regnum everteretur, plebs innumeris implicita litibus abſtineret ab excutiendo jugo noviter impoſito per unius dominatum; denique legislatoriam poteſtatem, evertendo leges antiquas, per Juriſconſultorum interpretationes ſibi vindicaret: etenim, immutatis antiquis moribus, quid opus erat Auguſto, cum publica nulla amplius exiſterent arma, totis Imperii viribus partium ſtudio ei addictis, Juriſconſultorum auctoritate Regnum firmare? verius igitur videtur, non aliam fuiſſe mentem Auguſti, ceterorumque, qui eum ſequuti ſunt, Imperatorum, quam ſeligere inter Juriſperitos, qui prudentiores, ſapientioreſque viderentur, iiſque publicam facultatem dare jura interpretandi, legeſque ſcriptas caſibus incidentibus aptandi; idque duplici ratione, tum ne unicuique paſſim liceret rei tanti momenti ſola ſtudiorum ſuorum fiducia, ſe immiſcere, unde verendum erat ne deficiente paulatim gloriæ cupiditate, & erga patriam amore, quibus ſub Republica cives tenebantur, juris diſciplina unicuique vel imperitiſſimo pateret, & tantum ad vilem quæſtum redigeretur: tum ut veluti vinculo quodam adſtringeretur Judices, ne pro arbitrio leges immutarent, & ſubverterent. Verum optimis inſtitutis ſenſim deficientibus in Imperio, generali ruina etiam Juriſprudentia collapſa eſt; ſiquidem Juriſconſulti non amplius optimi eligebantur, ſed qui acriori adulationi aulæ inſerviebant, & potentioribus vilius obſequium præſtabant; quo factum fuit, ut altioris indolis qui eſſent, & ſapientia, morumque honeſtate præditi negligerentur, & a dignitatibus atque honoribus arcerentur. Et propterea non mirum, ſi facultas omnium digniſſima paulatim facta ſit abjectorum, & vilium hominum profeſſio. Huc faciunt verba Mamertini *in grat. act. pro conſulatu* de collapſa ante Julianum Imp. Juriſprudentiæ dignitate: *Juris civilis ſcientia, quæ Manlios, Scævolas, Servios in ampliſſimum gradum dignitatis extulerat, libertorum artificium dicebatur*, vid. Goth. *C. T. de reſp. prud.*

II. Attulit in Europa collapſis jamdiu diſciplinis aliquod adjumentum Carolus Magnus, varias in regionibus Imperii Academias inſtituendo; ſed utplurimum pro Philoſophiæ ſtudio, in iiſque conſuetudo cœpit, ut qui Magiſtri deſtinandi erant, ſolemnibus quibuſdam antea adhibitis veluti inaugurarentur. Unde paulatim ſtudioſi ipſi, qui idonei eſſent ad tale munus nanciſcendum, tanquam per gradus quoſdam diſciplinis profeciſſe deſignabantur. Hinc vocabula *Baccalaurei*, *Licentiati*, *Doctores*. Primi ſic dicebantur. Hinc vocabula *Baccalaurei*, *Licentiati*, *Doctores*. Primi ſic dicebantur, ut ait Pancirolus *de clar. leg. Interp. l.* 2. *c.* 1., quia erant baccalaurea digni; vel potius *Bacillarii* ex veteri Academiæ Pariſienſis uſu dicti, a bacillo ipſis exhibito, quod ſignum erat auctoritatis docendi, quam conſequebantur, exemti jam ab onere & munere ſcholarium. Fortaſſis hic uſus ino-

Digitized by Google

inolevit ad ſimilitudinem *rudis*, qua apud Romanos donabantur gladiatores. Quod ſic explicat Torrentius *in not. ad Horat. epiſt.* 1. *lib.* 1. *Et rudis virga dicitur impolita ad quoſcumque uſus: ſed præcipue ſcipio, ſeu baculus ille, quem laniſta liberandis gladiatoribus gerit; ſic enim Criſius: & poſt finitam gladiaturam donari rudem ſolere ſcribit; ſignum quippe exauctorationis, ne ultra ad ferrum ea donati cogerentur; unde & rudiarii dicti*. Licentiati vero nominabantur qui ad gradum Doctoris conſequendum jam erant idonei; unde ſolis inſignibus diſtinguebantur a Doctoribus. Morem capiendorum inſignium Philoſophis, Oratoribus, & Sacerdotibus vetuſtum fuiſſe animadvertit idem Pancirolus *ex orat. funebri Nazianzeni in laud. Baſilii.* Nomen Doctoris, & Magiſtri olim promiſcue uſurpabatur ad ſignificandum Juriſperitum; quemadmodum in Theologia, & Philoſophia adhuc hodie iiſdem vocabulis utimur. Judices vero generaliter adpellabantur in Italia præſertim quicumque in juris ſcientia verſati & ad docendum, & ad interpretandum, & ad judicandum adhibebantur; & propterea apud Italicos ſcriptores non ſemel Judices legimus pro iis, quos nunc adpellamus legum Doctores. Ab Irnerio creditur primum in Academia Bononienſi inſtitutum, ut publice legum Doctores deſignarentur, hoc eſt per quaſdam publicas ſolemnitates gradum, facultates, & prærogativas Doctorum adipiſcerentur; adeo ut ex publica veluti atteſtatione declararentur apti, tum ad docendum, tum ad interpretandum jus, necnon ad judicandum. Eandem methodum & reliquæ poſtmodum imitatæ ſunt Academiæ, ſive ex auctoritate eorum, penes quos ſummum erat imperium. At quoniam ſolertes, ingenioſoſque oſtentare ſe credebant primi Romanarum legum Interpretes, ſi ex eiſdem deducere poſſent quidquid ad rem præſentem facere opinabantur: ideo & in Doctoribus creandis morem Romanorum in coronatione Athletarum imitandum ſtatuerunt; ea ratione, quia tanquam Athletæ legum ſtudioſi certare videntur. Hinc Bartolus *in l. un. Cod. de Athletis lib.* 10., & poſt eum Archidiaconus *in c. de quibuſdam* 12. *qu.* 37. & Panormitanus in *c.* 4. *de probat.* referunt, ter examinari conſueviſſe eum, qui ad Doctoratus gradum perventurus eſſet, primo a *Promotoribus*: ſecundo a Doctoribus, nulla adhibita pompa: tertio publice quando inſignia accipiebant; ea ratione, quia in *cit. l. un.* ſtatuitur, Athletis non aliter civilium munerum vacationem tribuendam, quam ſi coronis tribus probetur eos ornatos fuiſſe; uſus enim erat Romæ, ut Athletæ pro præmio coronarentur *l.* 5. *C. quæ res pign. oblig. poſ. l. commodis* 40. *D. de re jud.* Hæc exempla licet perquam aliena ſint, tamen occaſionem dederunt iis ſolemnitatibus, quæ ex parte adhuc hodie uſitantur, & vulgo habentur pro rebus magni momenti; quibus contenti homines ſolida ratione deſtituti, parum, aut nihil de doctrina ſolliciti ſunt. Hinc noſtra ætate ad externum quendam apparatum, & veluti ludicram pompam *Doctoratus* redactus eſt; & paſſim proferentur *Promotores*, *Promotoriæ*, *Licentiatura* &c. vocabula inania, & ignota iis, qui in tali verſantur negotio. Eodem referuntur & aliæ ſolemnitates jam receptæ, quas accurate ex Bartolinis Interpretibus idem collegit Pancirolus, ad hunc modum:

Unus

Unus ex Promotoribus, habita prius oratione, qua laurea cingendum laudat, illi Doctoris inſignia tradit, quæ ſunt quinque: Primo aperiuntur libri, ut oſtendatur, promoto apertam eſſe juris interpretandi facultatem: ſecundo pileus ejus capiti imponitur, quod biretum adpellant; id nihil aliud eſt, quam ſacerdotale capitis tegumentum, quod olim tradebatur, ut illud tanquam juſtitiæ ſacerdotes gererent (hic ſane uſus deſumtus fuit ex Ulpiani verbis *in l.* 1. *D. de juſt. & jur.* Sed nihil minus cogitavit ibi vir conſultiſſimus, quam habitum, ornamentumque ſacerdotale deſignare) *: erat autem quadratum in crucis formam complicatum, quo hodie uti deſiere; & ideo nunc pro laurea dari dicitur. Tertio imponitur aureus anulus digito, tanquam juſtitiæ ſponſo; vel ut credidit Alciatus* (*lib.* 8. *parerg. c.*10.) *ut reſponſa ſignare poſſit; ſed eum ſignatorium eſſe oporteret. Quarto Promotor promotum oſculatur, ob partam dignitatem gratulans. Alii putant oſculum tanquam pacis, quam colere Doctores debent, ſymbolum eſſe. Quinto benedicitur. Sed hæc duo non ſunt Doctoris inſignia. Poſtremo in cathedra a Collegii Promotore collocatur &c.*

III. Neapolitanæ Academiæ non videtur conceſſum jus conferendi *gradum Doctoratus*; ſed tantum examinandi, atteſtationiſque litteras conficiendi; unde auctoritate Regia olim adquirebatur ea dignitas. Quod non obſcure colligitur ex conſtit. *utilitati*, & conſt. *in terra qualibet*, quæ licet de ſolis Medicis loquantur, tamen veriſimile eſt, idem & in legum Doctoribus obtinuiſſe. In iis quidem Imp. Fridericus II. prohibet, quemquam exercere artem medicam, niſi in ſchola Salernitana, aut Neapolitana antea adprobatus fuerit, & poſtmodum acceperit licentiam a Rege. Sed quoniam in uſu tunc erat, ut Regium diploma conficeretur per Cancellarium; ideo temporis progreſſu defecit auctoritas Academiæ, etiam in ſimplici adprobatione ſcholarium *doctorandorum*; eaque tranſlata fuit ad ſeniores, & prudentiores peritos hujus civitatis, qui vel a Rege eligebantur, vel ab ipſo magno Cancellario, qui erat unus e ſupremis Regni officialibus. Paulatim conſtituerunt illi peculiare Collegium pro Doctoribus examinandis; & quo publica accederet auctoritas, placuit Reginæ Joannæ II. novo edicto, ſive privilegio illud confirmare. Extat tale edictum in calce *Rituum M. C.*, ubi ſtatuto Cancellario, tanquam Collegii Præfecto, Ottino Caracciolo (cujus commodo videtur Regina magis proſpexiſſe, quam publicæ utilitati) & uno ex Doctoribus *Priore* electo, qui ſingulis annis mutari debeat, certa methodus præfinitur in examine *Doctorandi*, & approbatione ejuſdem, & receptione inter Doctores. Eadem ferme decernuntur circa Medicos. Facultas autem examinandi, adprobandi, & ſuffragia ferendi datur ſenioribus, qui jus habent civitatis Neapolitanæ. Eodem edicto juriſdictio conceditur Collegio ſuper negotiis ad ipſum pertinentibus; idque confirmatum adparet decreto lato an. 1524. ut refert Tapia *in tit. jur. Regn. de offic. M. Cancellarii*, ſuper numero eorum, qui ſuffragii jus habent; iique ſtatuuntur quatuordecim; & eiſdem certæ leges injunguntur. Decernitur etiam a Regina Joanna honorarium præſtandum Cancellario, Doctoribuſque de Collegio; necnon Notario (nunc dici-

L 2 tur

Digitized by Google

tur Secretarius) & Apparitoribus. Quod honorarium, *ex prag. Philippi II.* apud eundem Tapiam, non amittunt abſentes pro *ſervitio Regio*, utpote ex iuſta, & legitima cauſa impediti. Et ob eandem cauſam idem Rex conſtituit alia ſanctione, quam *eod. loc.* refert Tapia, ut *Regii Miniſtri* diebus ad jus dicendum deſignatis, proprium munus non deſerant, ſed habeantur in Collegio tanquam præſentes. Verum non omnia, quæ in prænarrato Reginæ edicto decernuntur, omni ex parte nunc ſervantur; unde noſtris temporibus ad quandam veluti nundinationem tale negotium redactum eſt; ſiquidem examinatores, bene, an male ſeſe gerant ſcholares in examine, nihil curant; & tantum ſolliciti ſunt de honorario; quod redactum eſt ad formam certi vectigalis in pecunia numerata, eaque non modicæ ſummæ; licet in edicto ſic ſtatuatur: *Dentur Cancellario, & Doctoribus munuſcula ſolita, videlicet: Cancellario cartellaria una finita, & guarnita de argento valoris ducatorum quinque ad tabulam, cum marſupio uno ſolemni, & pectine de ebore: cuilibet ex Doctoribus marſupium unum pulchrum cum pectine de ebore, valotis ad minus ducati unius, vel detur ducatus unus. In die vero conventus publici ſimiliter dentur munuſcula, videlicet: ipſi Cancellario anulus valoris ad minus ducatorum trium, vel dicti ducati tres; & biretum unum cum pari chirothecarum. Singulis vero Doctoribus de Collegio anulus valoris ad minus ducati unius; vel detur ducatus unus, biretum, & par unum chirothecarum. Promoventes debent habere veſtem, vel ſex ducatos pro quolibet; computatis tamen munuſculis, videlicet anulo, marſupio, & pectine. Notarius pro omnibus actis tam in privato examine, quam in publico, quam etiam pro literis Doctoratus expedita debeat habere ducatum unum, & par unum chirothecarum. Bidelli vero pro privato, & publico examine medium ducatum pro uno, & non plus &c.*

IV. Non mirum igitur ſi temporibus noſtris (ut pleraque ad ſtatum publicum ſpectantia) ſolemnitas Doctoratus ludicra quædam pompa facta ſit, quæ non videtur deſignare, in juris, alteriuſve ſcientiæ diſciplina profeciſſe eum, qui inſignia accepit; ſed tantum, potuiſſe præfinitam pecuniæ ſummam expendere. At quoniam homines doctrina poſthabita, ſolent utplurimum externis adquieſcere, ideo multi adpetunt Doctores nominari, & Doctoratus ſtemmata familiis inſerere, licet imperitiſſimi atque indoctiſſimi ſint ipſi, eorumque majores fuerint. Nobilitas inter homines cœpit olim adquiri ex claritudine rerum geſtarum; unde pro nobilibus habebantur, qui præclaris facinoribus ſe, remque publicam, conſilio, prudentia, aut fortitudine tutati eſſent. Inde poſteri, eorum facta imitando, nobilitatem familiæ confirmarunt. Sed paulatim immutatis moribus, qui inertem vitam agebant, imaginariam nobilitatem invenerunt, quæ non amplius in re, ſed in opinione conſiſtebat; ſcilicet vel in majorum longa ſerie enumeranda, vel in cultu luxuque oſtentando. Hoc ipſum cernere eſt in dignitate, nobilitateque ſcientiarum: cupit unuſquiſque inter ceteros eminere ob meritum doctrinæ, & inde nobilis dici; ſed quoniam in tenui labor non eſt, ſeriam literis operam navare, propterea, re derelicta, ad ſimulacrum recurritur, hoc eſt ad exter-

Digitized by Google

externum apparatum, cujus aſſequendi facilis methodus. Sed mittamus ulterius cenſoriam aſſumere auctoritatem, & ceteras Doctoratus leges explicemus.

V. Statuerat jam olim Juſtinianus quinquennii tempus ad univerſum juris ſtudium perficiendum. Leges Regni eodem referuntur, dum jubent in *matricula* ſcholares deſcribendos; idque ſingulis annis per quinquennium. *Matricula* in conſtitutionibus Imperialibus ſignificat catalogum, deſcriptionem, indicem, ubi nomina certarum perſonarum deſcribuntur; unde legimus *matriculam militum*, *matriculam notariorum &c.* Eodem ſenſu noſtris dicitur *matricula ſcholarium*. Veriſimile eſt ex ipſius Academiæ primordio inductum fuiſſe, ut omnium ſcholarium nomina in peculiari libro deſcriberentur; idque ſive ad privilegia obtinenda, ſive ad honores, dignitateſque adipiſcendas. Verum eveniebat facillime, ut ſcholares deſcripti in *matricula* nihil minus cogitarent, quam diſciplinis in Academia operam dare; unde in fraudem legis privilegiis gaudebant, & ad dignitates promovebantur. Et propterea a Magiſtris requirebantur veluti atteſtationes ſingulis annis, quibus oſtenderetur, unumquemque ſtudio operam dediſſe; & ea ratione annotatio fiebat in *matricula*. Hoc ſane licet expreſſe ſtatutum non adpareat, tamen ex conjecturis, & ex legum mente, præſertim pragmaticarum ſanctionum, quæ extant in *tit. de Scholaribus doctorandis*, in quibus de *matricula* agitur, haud difficile deduci poteſt; nam cui bono nuda, & ſimplex annotatio ſine re in *matricula?* At uſus contrarium, ſive quod deterius eſt, approbavit; nam talis annotatio ad vectigal redacta eſt ſiquidem certa penſio ſolvitur; & ad merum incommodum perſonale, ſcilicet ut quis ſeſe conferat ad locum deſtinatum, in quo liber *matriculæ* conſervatur. Imo & ſæpiſſime tale incommodum evitatur; nam qui in propria patria degunt, etſi a ſtudio ſcientiarum alieni, ceterum doctoratus laureæ inhiantes, ſolent aliis tale negotium committere. Potuiſſent ſane conſtitutiones in *cit. tit.* collocatæ majori perſpicuitate eam rem definite; unde approbatio ſcholarium non ad ſolos Doctores e Collegio, qui utplurimum ſenio confecti, & mentis, & corporis vi deſtituuntur, pertineret, ſed & ad Profeſſores, quorum præcipuum debet eſſe munus examinandi, & probandi, quinam idonei cenſeantur, quinam ſecus, ad juriſconſulti aut medici munus obeundum. Et neſcio cur placuerit compoſitoribus pragmaticarum, in ſola approbatione linguæ latinæ atteſtationem in ſcriptis Profeſſoris rethoricæ (vid. *prag.* 7. §. 1. *cit. tit.*) potius requiri, quam Profeſſorum aliarum facultatum. In *ead. prag.* §. 4. tempus ad diſcendum ſcholaribus neceſſarium ſic definitur: In juris facultate quinquennium, in medicina ſeptennium, in theologia duodecim anni. In §. 5. prohibetur, ad Doctoratus gradum aſcendere minorem anno vigeſimo primo.

PAR-

PARTIS PRIMÆ COMMENTARIORUM DE JURE REGNI NEAPOLITANI

LIBER V.

CAPUT I.

De Tabellionibus, ſive Notariis.

BONA fides , quæ præcipuum debet eſſe humanæ ſocietatis vinculum , ubi cœpit paulatim deficere , a ſcripturis remedium quæſitum eſt , in quibus tum publica , tum privata negotia expreſſis verbis comprehenderentur, unde eorum ſervaretur memoria , & obſtringerentur promiſſores iis , quæ aliquando placuerunt. Hinc ſi volumus in hiſtoriarum monumenta inſpicere, pro comperto habebimus , de inſtrumentis rerum geſtarum ,& de publicis, privatiſque ſcripturis majorem extitiſſe diligentiam , ubi , corruptis moribus, calliditas, alteriuſque decipiendi libido , necnon a promiſſis recedendi conſuetudo ferme quotidiana invaluit. Quapropter ſequiori ætate plures latæ fuere leges ad eorum munus ſpectantes , qui Notarii vulgo adpellati, & pro ſcripturis conficiendis ſtatuti ſunt, ut bona fides aliqua ratione in tuto eſſet . Verum paulatim uſque adeo eorum numerus crevit, præſertim in hoc Regno, ut libere poſſis dicere , a civili ſocietate longe abeſſe recte, probeque vivendi conſuetudinem, in eaque bonam fidem deſiderari, dum tot, tantiſque opus eſt vinculis ,eorumque ſtructoribus , & magiſtris , ad illam conſervandam: quemadmodum in humano corpore, ubi medicorum multitudinis , & aſſidui operis neceſſitas incumbit , non errat profecto qui affirmat, bonam ibi valetudinem deeſſe . Optandum ſane eſſet , ut ſaltem his remediis aliquo modo proficeretur ; nam experientia docemur , ab ipſis ſcripturis ſæpiſſime uberiorem meſſem enaſci ad lites , & jurgia inter cives. Dum moribus antiquis , viriſque res Romana ſtabat , honeſtatis magis vinculis ,quam ſcripturis fides ſervabatur ; unde privatis tabulis, ſive ſcripturis ab ipſiſmet contrahentibus confectis cives contenti externa non quærebant documenta , ut unuſquiſque quod ſibi deberetur , ſuumve eſſet , valeret conſequi : habebat enim quilibet paterfamilias tabulas domi , in quibus quidquid per ſingulos dies aut acciperet, aut expenderet , ordine perſcribebat (vulgo nunc dicimus *libros debiti*, & *crediti*). Hæ autem tabulæ fidem faciebant in judicio : tantum ſolebant Cenſores quinto quoque anno jusjurandum exigere, ut ab iis

Digitized by Google

iis omnis ſuſpicio fraudis removeretur, vid. *Dionyſ. Halicarn. lib.* 4. Qui magis ſibi cavere volebant, adhibebant ſtipulationem, idque coram teſtibus, Cicero *pro Q. Roſcio Comœdo: Hæc pecunia neceſſe eſt, aut data, aut expenſa lata, aut ſtipulata ſit. Datam non eſſe Fannius confitetur. Expenſam latam non eſſe codices Fannii confirmant. Stipulatam non eſſe taciturnitas teſtium concedit.* Legimus & exempla ſtipulationis redactæ in ſcripturam, vid. *l.* 7. §. *quod vero D. de pactis*, *l.* 18. *D. de acceptilat.* Plautus *in milit. glor.* Miles: *Habes tabellas?* Paraſit. *Vis rogare? habeo & ſtylum.* Aliquando deponebatur pecunia apud Menſarios, ut inde majori cautione fieret ſolutio, prout diximus *lib.* 3. *cap.* 10. Aliquando contenti erant contrahentes chyrographis, hoc eſt ſcripturis propria manu confectis, & creditori traditis. Aliquando ſcripturæ obſignabantur, & in publico loco deponebantur. Hæc omnia complexus eſt Gellius *lib.* 14. *cap.* 2. illis verbis: *Is tamen cum ſuis multis Patronis clamitabat, probari apud me debere pecuniam datam conſuetis modis, expenſilatione, menſæ rationibus, chirographi exhibitione, tabularum obſignatione, teſtium interceſſione.*

II. Labente autem paulatim ſub Imperatoribus morum honeſtate, & diſciplina, frequentius agi cœptum eſt mala fide; & propterea expedire viſum fuit, publicis perſonis committere ſcripturarum confectionem, & conſervationem, ut inde probationes legitimæ, atque idoneæ exiſterent, ſive in judicio, ſive extra. Huc faciunt verba Caji in *l.* 4. *D. de fid. inſtr. Fiunt ſcripturæ, ut quod actum eſt per eas facilius probari poſſit: & ſine his autem valet quod actum eſt, ſi habeat probationem &c.* Et quamvis hoc ſenſu cujuſcumque generis ſcriptura inſtrumentum adpellari poſſit, imo & teſtes, vid. *l.* 1. *eod.* tamen uſus loquendi obtinuit, ut inſtrumentorum nomine intelligerentur publicæ ſcripturæ, ſive a perſonis publicis confectæ, prout paſſim videre eſt tum in *Codice*, tum in *Novellis*. Notat quidem Cujacius *in comment. ad Novell.* 44. publica inſtrumenta Romanis legibus proprie intelligi, quæ inſinuata ſunt apud Magiſtrum cenſus, vel Duumviros, vel Defenſores Civitatum; hoc eſt comprehenſa actis publicis, quæ coram iis fiebant; quemadmodum & in Regno noſtro olim conſuetudo erat, ut coram Judicibus conficerentur inſtrumenta, & conſervarentur a Magiſtris actorum, prout alibi nonuimus; quod & adhuc ſervatur aliquo modo *in obligationibus*, quæ vulgo dicuntur *penes acta*. Hinc in donationibus, quæ ultra certam ſummam ſtatutum fuerat ut inſinuarentur, inſinuatio nihil aliud erat, quam conſignatio literis publicis, hoc eſt inſtrumenti confectio per acta publica coram Judice, vid. Hotom. §. 2. *Inſtit de donat.* At poſtmodum ea conſuetudine ſublata, publicorum inſtrumentorum nomine intelligebantur ea, quæ fiebant a publicis Tabellionibus. Tabellio, & Tabularius, ſi ſpectemus originem vocabuli, idem prorſus denotat, nempe qui tabulas conficit rei geſtæ, memoriæ gratia; ſed *poſterior ætas multa mutavit vocabula*, ait Cujacius *in not. ad l.* 15. *C. de Decurion. lib.* 10. *Tabularii in libris noſtris ſunt, qui civitatum, aut provinciarum chartas, & rationes tractant, atque ſupputant, qui præſunt tabulario civitatum; in quo ple-*

pleraque publica, & privatorum reconduntur . . . . In rebus tamen privatorum plerumque adhibebantur, vel ut pro imperitis literarum ſcriberent, aut ſubſcriberent; vel ut pro ſtipulari nequeuntibus ſtipularentur, quaſi perſonæ publicæ &c. Tabularii dicebantur etiam Numerarii, de quibus eſt *tit. in Cod. Juſt. & Theod.* a numeratione, penes eos publicarum rationum notitia conſiſtebat, debitorum, ac reliquorum modum Judicibus ingerebant. Unus omnibus præerat, & dicebatur primus ſive Magiſter officii, vid. Gothofr. *in parat.* In ſumma ſimiles erant iis, quos Rationales nunc dicimus. Tabelliones vero, ait idem Gothofr. *in l. 3. Cod. Theod. de Decurion.* erant qui contractuum, & teſtamentorum inſtrumenta ſcribebant, vid. *l. 1. Cod. ad leg. Cornel. de falſ. l. 1. Cod. ut nemo ad ſuum patroc. &c. l. 2. Cod. de Eunuch. &c.* Hinc ex *Novel. 66. cap.* 1. in iis aliqua requirebatur legum peritia; & propterea juris Studioſis, Advocatis, Pragmaticis, ideſt iis, qui forenſia tractant negotia, junguntur in *l. 9. §. nonnunquam D. de pœnis*. Sic igitur concludit Gothofredus: *Male Tabularii cum Tabellionibus a multis confunduntur; deque illis conſtituta perperam ad Tabelliones trahunt*.

III. Erant apud Romanos & Notarii. Quod vocabulum originem duxit a notis, ſive ſignis; nam dum orationes recitabantur vel in Senatu vel coram populo, ſolebant quidam pronunciata excipere, & in ſcripturam redigere: verum ut velocitatem dicentis ſequeretur manus ſcribentis, inductum fuit, ut ſingula verba non litteris, ſed brevibus quibuſdam ſignis notarentur; unde qui ejus artis periti erant, dicebantur Notarii, hoc eſt ſcribentes per notas. Prudentius de Caſſiano martyre ſic ait:

Verba notis brevibus comprehendere cuncta peritus;
Raptimque punctis dicta præpetibus ſequi;
Fictis notare verba ſignis imbuens.

Hujus artis primum inventorem fuiſſe Tironem Ciceronis libertum, ſcribit Euſebius *in Chron.* etſi quibuſdam ea videatur antiquior ex Plutarcho *in Cat. minor.* Diſtinguebantur igitur notæ a litteris; idque confirmat nobile Pauli reſponſum *in l. Lucius 40. D. de milit. teſtam.* ubi definitur, valere militis teſtamentum, etſi notis, non litteris ſcriptum, dummodo conſtet de voluntate teſtatoris. Quod ſecus ſe habet in teſtamento pagani, illud enim litteris conſcribi oportet, ſive ὁλογράμματον eſſe, ut ait Cujacius, etiamſi ſcriptum inter liberos ex *Novel.* 107. nec Prætor dat bonorum poſſeſſionem ſecundum tabulas, niſi litteris præſcriptas, nam tabulæ notis ſcriptæ non continentur edicto, ait idem Paulus *in l. 6. in fin. D. de bonor. poſſeſſ.* Uſus ſcribendi per notas invaluit etiam in legibus, & reſponſis Juriſconſultorum. Quod cum innumeris occaſionem præberet erroribus, & cavillationibus, prohibuit Juſtinianus amplius fieri ſub pœna falſitatis in *l. 2. §. eadem C. de vet. jur. enucl.* Hujus generis Notarii diſtinguebantur a Librariis, hi enim libros ſcribebant per litteras; & ſolebat utrumque munus ſervis committi. Hinc legimus ſervos librarios, ideſt amanuenſes, & ſervos notarios, ſcilicet quorum opera utebantur domini ad ſcribendum per notas; quod oſtendunt verba *cit. l. Lucius: Lucius Titius miles notario ſuo teſtamentum ſcribendum notis dictavit,*

Digitized by Google

ſtavit ; hoc eſt ſervo ſuo notario. Aliquando promiſcue utrumque vocabulum accipiebatur, ut in *l. penult. C. qui pot. in pign.* notarii intelliguntur qui juſſu dominorum inſtrumenta ſcribunt, eaque privata ſunt, habentur enim tanquam ipſorum dominorum manu conſcripta; quod ſic nos docet Cujac. : *Et ſcribuntur manu contrahentium, ut ait lex, vel manu notarii, ideſt ſervi notarii: ne quis intelligat quem vulgo vocamus notarium, qui latine vocatur tabellio. Notarii eſt ſervile nomen, eſt munus ſervi privati hominis. Nihil ergo refert, privatum inſtrumentum ſcribatur manu unius contrahentium, an manu ſervi notarii, ſeu librarii, & amanuenſis, an manu alterius cujuſdam*. Ex eadem *l. penult.* animadvertit quoque Cujacius, fuiſſe olim ſervos publicos addictos tabulario, ideſt archivio civitatis, qui propterea ibi adpellantur *conditionales*, ſcilicet huic conditioni addicti, & mancipati, ut tabulario ſerviant, quemadmodum agricolæ, cenſiti, ſive aſcriptitii; dicebantur *conditionales*, etiam piſtores; illi nempe addicti glebæ ſive agro, hi vero piſtrino civitatis, hoc eſt panificio. Tabularii igitur qui dicebantur conditionales, tanquam ſervi publici, multoties adhibebantur teſtes in inſtrumentis, quæ non propterea deſinebant eſſe privata; nam publica ea tantum ſunt, quæ per publicas conficiuntur perſonas, ut dicemus infra. Ex quo adparet Accurſianorum Interpretum error, in foro jamdiu receptus pro jure certo, nempe Notarios eſſe ſervos publicos, ac proinde poſſe pro abſentibus ſtipulari. Et ſane cum jure Romano generalis regula ſic ſe habebat, neminem poſſe alteri ſtipulari; niſi ei, cujus juri ſubjectus eſt §. 4. *Inſtit. de inutil. ſtipulat. l. ſtipulatio* 38. §. *alteri D. de verb. oblig.* Pragmatici exceptionem adducunt de publicis Notariis, eos ſcilicet pro omnibus ſtipulari poſſe, unde iis promittendo, concludunt valere ſtipulationem, tanquam ſi coram ipſis principalibus facta eſſet. Et rationem eam adducunt, quia ſervus utiliter ſtipulatur pro domino : at Notarii habentur pro ſervis publicis : igitur pro omnibus civibus recte ſtipulantur. Sed hæc argumentatio quam falſa ſit, ſuperiora oſtendunt; nam ſi Notarii eſſent ſervi publici, non poſſent utique publica conficere inſtrumenta, & tantum teſtes adhiberi in privatis. Adhæc, poſterioribus legibus prohibitum fuit, tabularios, ſive tabelliones creari, niſi homines liberos, vid. *l.* 3. *Cod. de tabular. lib.* 10. Reſpondetur vulgo a Doctoribus, Notarios non eſſe revera ſervos publicos, ſed ita dici, quia inſerviunt publico, & eorum munus publicum eſt. Sed hæc reſponſio nihil concludit, quia nimis probat; etenim ex ea ſequeretur, etiam Apparitores Magiſtratuum, imo & Magiſtratus ipſos, & generaliter quoſcumque officium publicum exercentes dici poſſe ſervos publicos, & proinde recte pro aliis ſtipulari. Confirmat hoc ipſum Donellus *in com. ad tit. l.* 38. §. *alteri*, & vulgarem ſententiam his verbis refellit : *Demus tamen, tabularios eſſe ſervos publicos, ideone verum eſt, poſſe eos civibus ſtipulando adquirere? At vide quot modis id falſum deprehendatur. Primum ne ſervi quidem illi, qui vere ſervi ſunt & publici, quorum argumento iſti utuntur, nulli alii ſtipulari poſſunt, quam pupillo, idque in ſatiſdatione tantum, rem pupilli*

pilli ſalvam fore, & quidem ita urgente commodo pupilli, & Magiſtratu jubente eam ſtipulationem a ſervo publico interponi. Poſſunt & ſtipulari pupilli heredibus: ſed in arrogatione dumtaxat; idque etiam jubente Magiſtratu. Hoc vero quid ad alias perſonas, & alias cauſas, omninoque ad voluntarias ſervi ſtipulationes eſſe volumus &c. Verum uſu, ut diximus, contrarium ſervatur; & tantum Pragmaticorum nonnulli cenſent ſtipulationem Notarii pro abſente non valere ante ratihabitionem, vid. *Vin. in cit.* §. 4. *Inſtit.*

IV. Imperatorum Orientalium ætate, quemadmodum & ſub Regibus Gothis, longe præſtantius Notariorum munus erat, ſcilicet non diſſimile ab eo, quod temporibus noſtris iis committitur, qui dicuntur *Secretarii Principis*; unde ex Libanio, & Zoſimo apud Gothofredum *in C. T. de Primicerio & Notariis* dicebantur a Græcis βασιλικοὶ ὑπογραφεῖς; ſiquidem in conſiſtorio Principis acta excipiebant, notabant, & in publicum proferebant, ſive Imperialia reſponſa foras efferebant. Primus inter eos dicebatur Primicerius, cujus opera utebantur aliquando Imperatores pro orationibus recitandis in Senatu, ejuſque dignitas major erat Vicariis; & Proconſulibus æquabatur, vid. *l. 2. cit. tit.* De auctoritate, & dignitate Notariorum, eorumque Primicerio ſub Gothis, vid. Caſſiodorum *var. 6. c. 16. in formula Notariorum.* Verum ceſſante paulatim vocabulorum diſtinctione inter Notarios & Tabelliones, factum eſt, ut poſteriorum Principum leges, quæ de Tabellionibus latæ ſunt, ad Notarios protraherentur; & proinde paſſim Doctores noſtri Tabelliones, & Notarios confundunt, imo, & Tabularios; eaque nomina indiſtincte adhibere ſolent ad ſignificandos publicarum ſcripturarum compoſitores; quod & in legibus Regni obſervare licet, in quibus Notarii nominantur qui in publicis inſtrumentis conficiendis adhibentur.

V. Ante Friderici Secundi ætatem fortaſſis in Regno non levi incommodo publice laborabatur ob multitudinem eorum, qui ſcripturis conficiendis præſto erant; nam ex iis utplurimum aderant imperiti, & bona fide, auctoritateque publica deſtituti, ad tale munus obeundum. Unde cavit Imperator *conſt. in locis demanii noſtri tit. de Judicibus, Notariis, & eorum numero*, ut deinceps non cujuſcumque conditionis homines ad illud officium aſſumerentur, ſed tantum qui immediate Regi eſſent ſubjecti, ſive *homines demanii, & de demanio Regis*, ut loquitur conſtitutio. Ratio hujus juris non aliunde petenda eſt, quam ex conditione & ſtatu earum perſonarum, quæ in locis baronalibus degentes, imminuta quodammodo libertate vivebant; nam ex eo quod Baronibus ſubjiciebantur, verendum erat, ne eorum favore publica fides ſcripturarum ſubverteretur. Hinc adparet, male Friderici mentem percepiſſe Andream de Iſernia, dum quærit, an conſtitutio intelligenda ſit de Notario creando a Barone in ſuo feudo; & an hæc facultas conceſſa cenſeatur Baroni; & inepta eſt ratio dubitandi, quam adducit, ſcilicet plus eſt creare Judicem, quam Notarium: at Baro, dum habet juriſdictionem, poteſt Judicem ſtatuere in ſuo feudo: igitur multo magis Notarium. Inepta eſt, inquam, hæc ratio dubitandi; etenim, ut pluribus dicemus ſuo loco, circa

Digitized by Google

ea ea, quæ competunt Baronibus in feudo, generali regula videndum quid a Rege fuit conceſſum, nec facienda ampliatio de una ad aliam ſpeciem; aliter ſequeretur, & cudendæ monetæ jus Baroni datum, quoties conceſſa eſt juriſdictio; nam in iis, quæ ſummi imperii ſunt, nulla major cenſetur auctoritas, quam quæ verſatur in bonis, vitaque civium; quæ ſunt præcipua juriſdictionis.

VI. Superiorem interpretationem confirmat, quod ante Fridericum ſtatuerat Rex Rogerius in *conſt. conſtitutione præſenti in fin.* nempe Judicem, aut Notarium publicum creari non debere eum, qui vilis conditionis ſit, *villanus, aut angarius forſitan*. His poſtremis verbis denotantur ii, qui in villis degebant, non in oppidis, quæ erant immediate ſub Regis dominio; & quoniam ſpeciali quodam modo addicti erant ſervitio Baronum, dicebantur etiam angarii. Hic uſus jamdiu inoleverat in Regno ut ſive jure belli, ſive alia de cauſa villani, & ruſtici, tamquam ſervili conditione obſtricti homines, ſimul cum feudo transferrentur; qui mos inſtitutis Normannorum conſonus erat; apud Francos enim innumeri erant homines, quorum ſtatus non longe recedebat a ſervitute; idque accurate oſtendit Cangius *in gloſ. v. manumiſſio*, ubi etiam refert, paulatim Reges Francorum, præcipue Philippum Quartum, cognomento *pulchrum*, partim pecunia accepta, ob neceſſitates bellorum, partim ob pietatem ac miſericordiam erga ſubditos, ab ejuſmodi ſervitutis vinculo eos liberaſſe. Et hinc fortaſſis *angariorum & perangariorum* vocabula in hoc Regno originem habuerunt, de quibus opportunius dicemus, ubi de juribus Baronum erga vaſſallos diſſerendum erit. Rogerius igitur, ne homines conditionis id genus viliſſimæ & Baronibus addicti eligerentur in Notarios, prohibuit. At angarii, & perangarii cum paulatim deſiiſſent apud nos, unde omnimoda libertate frui cœperunt non minus *demaniales* ſubditi, quam *baronales*, ſuperiores leges ceſſarunt. Semper tamen jus permanſit, neminem debere Notarii munus obire abſque auctoritate publica; ſcilicet abſque licentia Regis, quæ in ſcripturam redigebatur; eaque per Protonotarium confici ſolebat. Erat quidem ille unus e primariis Regni Officialibus inſtitutis ſub Regno Normannorum, ut diximus *lib. 3. c. 2* & ad ejus curam pertinebat Regium diploma conficere circa approbationem Notarii. Sed quoniam illud officium jamdiu cœpit conferri honoris tantum titulo; quæ ejus muneris erant, tranſlata ſunt in Viceprotonotarium; eaque dignitas ut plurimum annexa eſt officio Præſidis Sacri Conſilii, a quo approbantur Notarii, & rediguntur in *matriculam*; hoc eſt catalogum approbatorum: eiſque Regium diploma, vulgo *privilegium* expeditur. Et ſane cum nihil magis publicæ fidei ſcripturarum ſtatuendæ, firmandæque conveniat, quam delectum eorum habere, qui iis præficiuntur; ideo prudenter leges, & conſuetudines noſtræ ſuperiora induxerunt. Sed optandum eſt, ut tale negotium non in ſola exactione pecuniæ pro privilegio conſiſtat; ſed ut acriori inquiſitione de moribus & doctrina approbandorum conſtare debeat; eoque modo imperitorum, & viliſſimorum hominum turba haud cerneretur rei tanti momenti immixta; unde quotidie jurgia & querelæ adverſus dubiæ fidei Notarios; ſemperque recurrendum ad le-

Digitized by Google

legem Corneliam teſtamentariam, ſive de falſis. Jure Romano & in eligendis Tabellionibus, qui noſtris Notariis comparantur, ut dictum eſt, diligens cura adhibeatur, eaque peculiaris erat Primicerii. Accurate Cujacius rem omnem ſic exponit *in cit. l.* 15. *C. de Decurion.: De eis* (Tabellionibus) *ſpecialis eſt novel.* 44. *ex qua intelligitur, habere eos ſtationes ſuas, quas & gradus, & ſcamna Græci vocant, & miniſtros, ſive diſcipulos; itemque adjutorem, ſive ſubſtitutum confirmatum apud acta Magiſtri cenſus. Et Leonis novel.* περὶ πολιτικῶν *&c. ex qua intelligitur, fuiſſe certum Tabellionum corpus ſub Primicerio, a quo ex Collegii ſententia Tabelliones quique creabantur, non niſi homines fidei probæ, & ſcribendi, loquendique peritiſſimi, necnon & juriſperiti, qui tenerent libros LX.* βασιλικῶν *& haberent* ἐπὶ στόματος, *ut ait, XL. titulos enchiridii, de quibus Harmenopulus in præfat. Adjicitur, creationem eorum inſinuandam eſſe Præfecto Urbi, creatoribus jurantibus, ſe nec ambitione, nec gratia ulla, ſed ſola virtutis conſcientia ad novi Tabellionis electionem adductos; atque ita in Secretario Præfecti Urbi anuli ſignatorii oblatione, ejus promotionem fieri. Duci autem eum ad Præfectum Urbi indutum epheſtride, ac deinde promotione facta ad Templum, ceteris Tabellionibus eadem indumenta gerentibus, ibique, pro epheſtride ei a Sacerdote dari album* φελώνιον *ſuperdicta prece . . . . Quæ omnia in Doctoribus creandis plerique nunc obſervant diligenter &c.*

C A P U T II.

Exponitur quid jure noſtro de Notariis, eorumque officio ſtatuatur.

PRimum omnium generalis hæc regula tenenda eſt: ad munus Notarii in Regno ii tantum eligendi ſunt, qui Regiæ auctoritati ordinario jure ſubſunt; ac proinde excluduntur clerici, omneſque ii, qui divino miniſterio ſpecialiter ſunt addicti. Hoc quidem cavere voluit Fridericus II. in *conſt. inſtrumentorum robur in fin. Illo tenaciter obſervando, ut in aliquo locorum noſtri demanii* (Regni) *Clerici cujuſcunque ſint ordinis in Judices, & Notarios nullatenus ſtatuantur*. Cur ita placuerit Imperatori decernere, non una ratio aſſignari poteſt. Primo quia ſecundum canones ab officiis ſæcularibus abſtinere debent eccleſiaſtici, vid. *c.* 2. *ne clerici, vel monachi ſæcularibus negotiis ſe immiſceant*. Dein cum civilibus legibus ſtatutum ſit, quanam ratione publicæ ſcripturæ confici debeant, & cum ab iis exemti ſint eccleſiaſtici, videretur abſurdum, ad munus Notarii eligi eos, qui non tenentur eas leges ſervare. Eadem ratio efficit, prout diximus *lib.* 1. *c.* 8. ut a ceteris muneribus laicorum propriis excludantur clerici; ubi etiam annotavimus, nec Protonotarios Apoſtolicos ſcripturas publicas apud nos conficere poſſe, ſcilicet quæ in foro laico, & in negotiis laicalibus publicam auctoritatem obtineant; nam generaliter prohibentur in *prag.* 2. *de contractib.* inſtrumenta cujuſcum-

Digitized by Google

cumque generis, quo nomine & teſtamenta, & codicilli comprehenduntur, ab aliis confici, quam a perſonis Regia auctoritate ad tale munus conſtitutis. Scio olim diſceptatum fuiſſe in Sacro Conſilio, ut refert Antonius Capycius *deciſ.* 201. an teſtamentum a clerico confectum, qui uſus fuit in eo ſcribendo Protonotarii Apoſtolici opera, valeret. Et quamvis more ſuo Capycius pro utraque parte dubitandi, & decidendi rationes afferat non ſine confuſione atque obſcuritate; tamen hac una, & ſimplici ratione contentus eſſe poterat: licet clericus exemtus ſit a legibus laicorum, nihilominus tenetur eas ſervare quoties agitur de negotiis inter laicos: in ſpecie, quam proponit Capycius, erat quidem clericus teſtator, ſed de rebus ſuis diſponere volebat poſt mortem, heredemque declarare: unde tenebatur ſervare publicas leges teſtamentorum, aliter quoties heres voluiſſet ex teſtamento hereditatem adire, a debitoribus hereditariis pecunias exigere, fundos locare; & in ſumma ea omnia peragere, quæ heredum ſunt propria, in quos univerſum jus defuncti transfertur; ei fuiſſent impedimento teſtamentum abſque ſolemnibus confectum, inter quæ præcipuum illud eſt jure noſtro, ut ad vim obtinendam publicæ ſcripturæ, Notarius requiratur a Rege conſtitutus, qui non erat in ea ſpecie. Hæc ratio ſatis perſpicua efficit, ut etſi alter clericus fuiſſet heres ſcriptus, nihilominus teſtamentum illud nec etiam conſtitiſſet, quia heres non potuiſſet nomine hereditario ea peragere, quæ legibus publicis requiruntur ad titulum nomenque heredis nanciſcendum. Hinc rectiſſime uſus fert in Regno, ut notat de Roſa *prax. civil. c.* 3. *n.* 9. ut quando agitur de *expeditione præambuli*, ſcilicet quando ex decreto judicis ſtatuendum eſt quiſnam ſit heres, clerici comparere debeant in curiis ſæcularibus, etiamſi tractetur de aliorum clericorum ſucceſſione tum ab inteſtato, tum ex teſtamento. Et ratio eadem eſt, quam modo adduximus, non generalis illa, qua utitur de Roſa ex hac vulgari pragmaticorum ſententia: quia mortuo clerico bona non remanent eccleſiaſtica, ſed temporalia. Nam primo falſum eſt, bona eccleſiaſtica dici, quæ proprio, privatoque jure poſſident clerici, cum eccleſiaſtica tantum ſint, quæ pertinent ad eccleſias, quæque poſſidentur ab eccleſiaſticis ratione miniſterii, atque beneficii; quod ſi aliter ſe haberet, ſequeretur, non poſſe clericum propria, privataque bona abſque aſſenſu Pontificio alienare, ſiquidem canonibus rerum eccleſiaſticarum interdicta eſt alienatio. Deinde, ſi, ut ajunt Pragmatici, eccleſiaſtica dicuntur bona, quæ poſſidentur ab eccleſiaſticis, quoties Clericus eſt ſuus heres, non opus habet expeditione præambuli coram Judice ſæculari, cum jus *ſuitatis*, ut noſtri dicunt, efficiat, ut abſque aditione filius e.g. nepoſve, qui primum gradum obtinet in familia, ipſo jure ſit heres, ſiquidem, dominium rerum hereditariarum continuatur quodammodo in ipſis, adeout nulla videatur hereditas fuiſſe, quaſi olim illi domini extitiſſent, ait *l. in ſuis* 11. *D. de lib. & poſth.* ac proinde ubi ſuus eſt heres, nunquam jacere hereditas dicatur, nimirum quia nullum inter defuncti mortem, & exiſtentiam ſui heredis intervallum eſt *l.* 1. §. *qui ſunt*

Digitized by Google

ſunt 7. D. ſi quis omiſſ. cauſ. teſt. Igitur, ſi vera eſt ratio, quam proponit de Roſa, quia poſt mortem Clerici bona non ſunt amplius eccleſiaſtica, ſed temporalia; ubi caſus evenit, in quo clericus eſt ſuus heres parentis clerici, cum nullo momento temporis bona deſtituantur domino, nunquam erunt temporalia, & propterea præamboli decretum petendum erit ab eccleſiaſtico judice, cui ſubeſt clericus ſuus heres, ejuſque bona eccleſiaſtica. Error Pragmaticorum ex eo eſt, quia credunt illi, expeditionem præamboli tribuere dominium rerum hereditariarum, ſive heredem facere; quod utique falſum eſt; nam heredem facit, dominiumque tribuit, aut teſtatoris voluntas, aut diſpoſitio juris: Judex autem quoties decretum profert præamboli, voluntatem teſtatoris, aut juris diſpoſitionem patefacit, ſcilicet ſua auctoritate notum facit omnibus, Titium ex. gr. Caji heredem eſſe, aut ex teſtamento, aut ab inteſtato; præſumitur enim ſatis ſuperque in judicio proſpectum fuiſſe ſive de validitate teſtamenti, ſive de perſonis, quibus a lege delata eſt hereditas. Hoc utique abſolute neceſſarium non eſt, nam ſuus heres ipſo jure adquirit hereditatem, ut diximus: extraneus adeundo, aut pro herede ſe gerendo: nempe aut ſola voluntate, declarando ſe velle heredem eſſe; aut rebus ipſis, & factis, veluti manumittendo ſervum hereditarium, ſolvendo quod conditionis implendæ cauſa ſcriptum eſt in teſtamento &c. vid. §. *item extraneus 6. Inſtit. de hered. qual. & diff.* Ceterum uſus præamboli inductus fuit, ut tuto cum creditoribus, aut debitoribus hereditariis, ceteriſque, quorum intereſt, agere poſſit heres; nam unuſquiſque, dum videt eum hereditario titulo declaratum a Judice, ſecurus eſt; neque aliis indiget atteſtationibus utrum illud revera, & legitimo jure ſit heres.

II. Hæc omnia, ſi iiſdem regulis ac principiis explicata fuiſſent a forenſibus Doctoribus, qui aliquando dum verum proponunt, a ratione aberrant, occaſionem querelarum non dediſſent eccleſiaſticis, quaſi eorum turbaretur immunitas, & juriſdictio, dum adiguntur clerici ad præambula petenda in Curiis ſæcularibus; etenim ſi nollent eccleſiaſtici negotiis laicalibus ſe implicare, ut eſt debitores convenire, pecunias exigere apud publicos menſarios depoſitas &c. non indigerent judiciariis atteſtationibus; at cum volunt ea peragere, neceſſe eſt, ut publicis legibus ſe ſubjiciant, quibus cavetur, quanam ratione eæ atteſtationes peragendæ ſunt, ne qua fraus interveniat. Quemadmodum dum volunt contractus inire, eoſque in publicas ſcripturas redigere, quæ vim ſuam obtineant in judicio, aut extra, debent eaſdem leges ſervare, quibus ceteri cives utuntur in ſolemnibus inſtrumentis conficiendis; aliter pro privatis negotiis habentur. Hinc fit, ut non prohibentur illi, ſicuti nec laici, teſtamenta conficere per Protonotarios Apoſtolicos, aut per quaſcumque alias perſonas: verum privata erunt teſtamenta, non publica; & propterea, ut loquuntur in foro, non habebunt viam exequutivam, ideſt in judicio, aut extra, non obtinebunt vim, niſi antea legitimæ fiant probationes; ſiquidem ut valeat teſtamentum, numerus tantum, & qualitas teſtium, eorumque ſpecialis roga-

Digitized by Google

rogatio requiritur, non ut ſcribatur ab uno magis, quam ab alio *l. hac conſultiſſima* 31. *C. de teſtamentis*. Ceterum uſus induxit, ut adhibitis publicis Notariis ſemper fiant teſtamenta; non quia aliter non valerent, ſed quia non haberent vim ſcripturæ publicæ. Quod dum non obſervatur, maxima ſuperveniunt incommoda; nam dum heres in privato teſtamento ſcriptus vult hereditatem adire, a debitoribus hereditariis exigere &c. quilibet poterit ei negotium facere, negando eum heredem eſſe, unde ſemper opus erit coram Judice diſputare de viribus teſtamenti, teſtes examinare, deque eorum qualitate inquirere: quæ omnia non ſolent abſque temporis jactura, & maximo detrimento peragi; imo non ſemel infelici exitu, præſertim ſi aliquis ex teſtibus jam fato ceſſit. Iiſdem, aut majoribus incommodis laborabunt legatarii, & fideicommiſſarii, præcipue ubi quærendum eſt de fideicommiſſo conſtituto pro conſervatione familiæ, & agnationis; quod moribus noſtris frequenter accidit. Hæc eadem in reliquis ſcripturis conſideranda ſunt, in quibus agitur de contractibus, aut negotiis quibuſcumque. Concludamus igitur, jure noſtro ad conficiendas ſcripturas publicas omnino requiri Notarios auctoritate Regia electos; ſecus ſi ab aliis conficiantur, eas pro privatis haberi; idque ſive agatur de negotiis inter clericos, ſive inter laicos.

III. Circa perſonas Notariorum illud quoque animadverſione dignum eſt; legibus noſtris ſtatutum, quamvis uſu abrogatæ eſſent, ut dictum eſt ſuperiori capite, conſtitutiones Rogerii, & Friderici, quibus prohibebantur pro Notariis eligi Baronum ſubditi; nihilominus cum adhuc ſuſpicioni locus ſupereſſet, ne quid favore Baronum in publicis ſcripturis ſtrueretur in præjudicium ceterorum, a Rege Ladiſlao in *cap. non ſine prudentis* 289. decretum fuiſſe, debere eſſe homines de demanio, hoc eſt immediate Regi ſubjectos Notarios, quoties ab eis inſtrumenta conficienda ſunt, in quibus de negotio tractatur ad Barones pertinente. Occaſionem huic legi dedit Baronum quorundam mala fides, & nimia, quam ſibi arrogaverant in Vaſſallos, auctoritas, unde illis pro arbitrio quodlibet imperare ſolebant ſive licitum, ſive illicitum; idque non obſcure ſignificant illa verba conſtitutionis: *Et voluit* (Rogerius, & Fridericus) *quod nullus ex eis, niſi eſſet de demanio, Notarius publicus crearetur . . . . Verum ſicut ad noſtræ celſitudinis devenit auditum, nonnulli ex noſtris progenitoribus, & nos etiam ipſarum conſtitutionum ſanctioni providere ſive multis curis impliciti, & ipſarum effectus minime recordati, plerumque contravenientes, creaverunt, & nos etiam creavimus multos Notarios publicos, non quidem demaniales, ſed de terris Comitum, Procerum, & Baronum Regni oriundos, quorum aliqui, ut accepimus, coacti forſitan eorum utiliter dominorum moleſtia, multa fecerunt inſtrumenta, & ſcripturas alias a veritatis eſſentia multipliciter deviantes, per quos, ſeu quæ multorum jura fuerunt deperdita; & ſignanter dominorum terrarum prædictarum inique cauſæ penitus relevatæ, ob quæ multorum coram nobis perſæpe invaleſcente clamore, aures verberantur. Nos nolentes geſta*

per

Digitized by Google

per dictos genitores noſtros, & nos omnino ſuccidi; ſed volentes talium notariorum, & utilium dominorum eorum ineffrænatam licentiam cohibere; ut inſtrumenta illa fiant per illos ex dictis Notariis publicis, quibus nulla poſſit eſſe cauſa timoris: de certa noſtra ſcientia præſenti ordinatione noſtra firmiter valitura præſcribimus, volumus, edicimus, & jubemus, ac ex nunc in antea omnia inſtrumenta, ſcripturæ, & contractus publici, qui ſunt in formam publicam redigendi, tangentia, & tangentes quoſcumque dicti Regni Magnates, Proceres, Comites, Barones, & terrarum dominos fiant, & fieri debeant per notarios publicos, homines utique demaniales, & de dicto noſtro demanio, & non per notarios publicos de terris dictorum Magnatum &c. ordinandos, vel in eis, aut ipſorum altera terra, ſive aliis commorantes &c. Hæc verba, quamvis tantologiæ vitio notabilia (ut ſolent ferme omnes leges eſſe, & ſcripturæ tum publicæ, tum privatæ, quarum formulæ barbaris temporibus adinventæ fuerunt; idque & noſtra ætate cernere licet tum in legibus, tum in actis judicialibus, tum in inſtrumentis, quæ quotidie conficiuntur; unde imperitum vulgus quando uſitatas formulas nec legis, nec audit, nihil perfectum credit; & propterea qui eadem apposite, breviter, & ſignificanter dicit, habetur pro ignaro, & ab iis rebus alieno): nihilominus luce clarius argumentum præbent, quod & ſæpe annotavimus, pragmaticos legibus ſolere uti ad citationem tantum, ne videantur loqui ſine auctoritate juris: ceterum ne momento quidem eos occupari in legum verbis examinandis, imo ne in legendis quidem; prout videre eſt in *com. Antonii de Nigris, annot.* Tapiæ; & noviſſime *apud Auctor. Juriſpr. forenſ. tom. 8. cap.* 25. qui dum frivolas, vanaſque difficultates cumulat, iiſque, congerie Doctorum adhibita, dum reſpondere ſatagit, nihil omnino de genuino legis ſenſu curat. Hinc ad uſum forenſem erroneæ opiniones duæ introductæ ſunt, tum contra expreſſa legis verba, tum contra mentem Legiſlatoris, ac proinde bono publico adverſantes. Prima communiter recepta, & fortaſſis nunquam in dubium revocata, ſic ſe habet: ex lege Ladiſlai prohiberi tantum notarium vaſſallum inſtrumentum conficere pro Barone, cui ipſe ſubditus eſt; at non prohiberi pro alio Barone. Verum hæc ſententia directe pugnat cum verbis conſtitutionis modo allatis; nam mens Regis fuit, ut licet ex uſu contra leges Rogerii, & Friderici cœpiſſent creari notarii vaſſalli Baronum; tamen non debeat iis facultas concedi ſcripturas publicas conficiendi, niſi pro civibus privatis, non autem pro Baronibus. Neque dixeris, ceſſare metum fraudis, quoties notarius vaſſallus ſcripturam conficit pro Barone non ſuo; etenim primo hæc ratio corruit, ubi expreſſa ſunt legis verba, quo caſu nullæ ſunt partes interpretis; ait ſiquidem Rex Ladislaus: *omnia inſtrumenta, ſcripturæ, & contractus publici tangentes quoſcumque Barones fiant per notarios publicos, homines demaniales, & non per notarios publicos de terris dictorum Baronum; vel in eis, aut ipſorum altera terra commorantes.* Dein fraudis ſuſpicio ſemper adeſſe poteſt, cum notarius vaſſallus alterius Baronis adhibetur;

nam,

nam, præterquamquod qui in terris baronalibus degunt, utpote ad ſerviendum, atque obediendum proniores, facile compelli poſſunt ad falſitates ſtruendas; ipſimet Barones ſive ſanguinis, ſive nobilitatis vinculo inter ſe ſe obſtricti, verendum eſt ne mutuum auxilium ſibi præſtent cum aliorum damno, atque incommodo.

IV. Altera opinio, quæ & legis verbis, & rationi magis adverſatur, non ſolum nititur Doctorum auctoritati, ſed deciſioni Sacri Conſilii, relatæ a de Franchis *deciſ.* 118. unde apud Pragmaticos, cum nullus ſuperſit amplius dubitandi locus, allegatur tanquam jus certum. Præter inſtrumenta, quæ conficiuntur per Notarios uſitata eſt in foro alia forma ſcripturæ publicæ, quæ fit per Magiſtros actorum in unaquaque Curia, eaque exequutionem paratam habet in judicio, ut alibi pluribus explicabimus, & vulgo dicitur *obligatio penes acta.* Quæſitum olim fuit, an ejus generis ſcripturæ comprehenderentur conſtitutione Ladislai, ſcilicet an nullæ eſſent *obligationes penes acta*, quoties Magiſter actorum, qui iis conficiendis præeſt, vaſſallus eſt Baronis, & de Baronis negotio agitur. Tales ſcripturæ cum ſint publicæ, utpote confectæ ab actorum Magiſtro, qui utique publico muneri incumbit, clare comprehenduntur illis verbis: *omnia inſtrumenta, ſcripturæ, & contractus publici*. Et quamvis potuiſſet Rex ſola inſtrumenta nominare, quibus denotantur cujuſcumque generis ſcripturæ ad inſtruendum judicem comparatæ, nihilominus, nec quid dubii ſupereſſet, voluit & aliis vocabulis uti majoris explicationis gratia. Verum de Franchis, dum contrarium adſtruere conatur ſecundum deciſionem Sacri Conſilii, ſic ait: *capitulum prædictum loquitur in inſtrumentis, & aliis ſcripturis in publicam formam redigendis, inter quas non ſunt obligationes, quæ fiunt apud acta Curiæ, ergo ad eas non extenditur capitulum.* At vide quam male leges interpretantur ii, qui ſolida juriſprudentia deſtituuntur, verba illa, quæ extant in lege Ladislai: *ſcripturæ, & contractus publici, qui ſunt in formam publicam redigendi*; proculdubio denotant, eas tantum notarios vaſſallos prohiberi pro Barone ſcripturas conficere, quæ in formam publicam redigendæ ſunt, ideſt, quæ iis ſolemnibus ſunt conficiendæ, quæ jus decernit, adhoc ut fidem publicam illæ poſſint habere; ceterum non prohibetur verbis conſtitutionis Notarius, aut quivis alius vaſſallus privatas ſcripturas conficere pro Barone. Et ratio diſcriminis in promtu eſt, quia in publicis ſcripturis tota fides conſiſtit in perſona Notarii ſcribentis; quod ſecus ſe habet in privatis; & propterea de quocumque genere publicæ ſcripturæ agatur ſive de obligatione penes acta, ſive de *apocha bancali*, ut vulgo dicimus, ſemper ſuſpicio ineſt de fraude ſcribentis favore Baronis. Verum de Franchis verba *in formam publicam redigendi* intelligit de inſtrumentis, quia hæc tranſcribuntur a Notariis in librum originalem, vulgo *protocollum*; idque eſt in formam publicam redigere. Sed hæc interpretatio non unum in errorem impingit. Primo quia credit de Franchis, tranſcriptionem inſtrumenti in *protocollum* uſitatam fuiſſe temporibus Ladislai, cum ejus rei primus fuerit auctor Ferdinandus Aragonenſis, ut fuſius dicemus in *cap. ſeq.* Sed hoc novum non eſt in forenſibus ſcriptoribus, ut ex ignorantia hiſtoriæ confuſiſſime leges Regni explicent, inde peſſime deducant ad uſum fori.

Digitized by Google

Secundo, quia etſi concedamus, tranſcriptionem in *protocollum* fieri ſolitam ſub Regno Ladislai, non propterea ſequitur, & ad alias ſcripturas publicas noluiſſe Regem ſuam conſtitutionem pertinere: imo multo magis, quia minor ineſſe poterat ſuſpicio, ubi in *protocollum* redigebatur inſtrumentum, quam ubi fides publica in ſola charta ab actorum Magiſtro exarata conſiſtebat. Adde quod exequutio ſecundum forenſem uſum paratior, promtiorque ex *obligatione penes acta*, quam ex inſtrumento; unde major adhibenda erat cautio, ne ad gratificandum Baronibus, opprimerentur reliqui. At de Franchis illa generali regula contentus: *quia ſumus in correctoriis, non eſt facienda extenſio*; ob eandem rationem negat, obligationes penes acta conſtitutione comprehendi. Ejus verba notabilia ſunt: *Magna eſt enim differentia inter inſtrumenta, & obligationes; quæ fiunt apud acta; inſtrumenta enim de jure communi non habent exequutionem paratam* (hic eſt alius compitalitius error Pragmaticorum, quem infra examinabimus) *& quamvis per ritum M. C. certis ſolemnitatibus ſervatis, pro quantitate contenta in inſtrumento liquido fiat exequutio contra debitorem realiter, & perſonaliter; nihilominus neceſſe eſt, quod principalis citetur: Obligationes vero penes acta ex juris communis diſpoſitione, & ritus M. C. 128. habent exequutionem paratam . . . . Nec pro ejus obligationis accuſatione aliqua citatio eſt neceſſaria, quoniam pro ipſius obligationis exequutione inſtatur apud acta ejuſdem Curiæ, in qua confecta eſt, ut eſt hodie communis obſervantia &c.* Demum errat de Franchis, quia ſi conſtitutio Ladislai ad inſtrumenta pertinet, utpote quæ ad formam publicam rediguntur; idem prorſus dicendum erit de obligationibus penes acta, quæ ex pragmaticis ſanctionibus, editis jam ejus ætate, quaſque ſuo loco explicabimus, etiam debent in publicam formam, ſive publicum librum redigi. Neque officit quod major eſt ſolemnitas, & plures adhibentur formulæ in *protocollo*; nam ad evitandam fraudem major, vel minor ſolemnitas haud gravis momenti eſt.

V. Dubitatur etiam inter noſtros, an ſuperior conſtitutio ad teſtamenta omneſque ultimas voluntates ſit porrigenda. Communior ſententia affirmat, vid. de Marin. *reſ. lib.* 1. *c.* 180. & Tapiam *jur. Regn. lib.* 2. *tit. de offic. Notar. in not. ad cap. non ſine*: nam verba conſtitutionis expreſſa ſunt, ſiquidem inſtrumentorum nomine quæcumque ſcripturæ pro inſtruendis nobis de eo, quod geſtum eſt, continentur; & ratio legis non ſolum eadem eſt, ſed major; nam facilior eſt aditus ad fraudes, falſitateſque ſtruendas in teſtamentis, quæ vim habent cum jam amplius in vivis non eſt is, cujus de voluntate quæritur, & propterea jure Romano, moribus confirmato, nullibi majores ſolemnitates requiruntur, quam in teſtamentis, aut quæcumque vel minima ſuſpicionis occaſio removeatur. Hæc ſane pro certis habenda ſunt, quoties favore Baronis conditum eſt teſtamentum, ſeu in quo Baro vel eſt heres, vel legatarius rei non minimæ; nam ſi fuerit res minima legata, facile dixerim, teſtamentum non corruere *arg. ex* §. *legatariis Inſt. de teſtam.* ſiquidem in hac ſpecie non præſumitur & Notarium, & teſtes falſitatem ſtruxiſſe. At quoties Baro ipſe vult teſtamentum condere, non defuerunt ex

Do-

Doctoribus, qui recte affirmaverunt, poſſe eum id facere per Notarium vaſſallum; etenim nihil tunc eſt, cur dubitetur de fraude, cum Baronis teſtatoris non interſit, vel falſum teſtamentum confici, vel fraudes adhiberi; ſed heredis, cujus negotium geritur. Nec moveamur ex eo, quod jure Romano filiusfamilias licet exheredetur in teſtamento patris, unde in eo nullum ipſius commodum conſideratur: nihilominus prohibetur in eodem teſtamento teſtis eſſe; idque tantum ratione patriæ poteſtatis, & ſubjectionis erga teſtatorem, ut in §. *in teſtibus Inſtit. cit. tit.* igitur eodem modo, dicet aliquis, quamvis Baronis commodum nullum conſideretur in ejus teſtamento: tamen ratione auctoritatis removendus eſt Notarius vaſſallus. Non, inquam, ex eo movemur, nam ut in *d.* §. *in teſtibus* notat Viglius Zuichemus, ſuperioris prohibitionis ratio non eſt in auctoritate patris erga filium, ſed in fictione juris, qua pater, & filius cenſentur una eademque perſona; & propterea abſurdum videtur, filium dicere teſtimonium in teſtamento patris, cujus perſonam repræſentat; nam ſi eſſet in ſola auctoritate, prohiberetur & filius emancipatus, in quo paternum naturale jus ſalvum manet, etiam poſt emancipationem: prohiberetur etiam filius in teſtamento matris, vel avi materni, quoties exheredatur; quod aliter ſe habet; ſiquidem in ſuperiori prohibitione tantum ſermo eſt de filiisfamilias. Hinc doctiores Interpp. in §. *in teſtibus* notant, his contrariam non eſſe regulam *l. 9. de teſtib. &* l. *6. C. eod.* qua definitur, parentes, & liberos invicem idoneos teſtes non eſſe; ea enim intelligitur de teſtimonio judiciali, ex quo aliquid lucri accedere poteſt patri, vel filio; non de teſtamentario, ubi nullum teſtatoris lucrum, nullum commodum eſt. Quod & in caſu noſtro verum adparet, cum nulla adſit utilitas Baronis; ac proinde ceſſet quæcumque ſuſpicio fraudis.

VI. Præter conditionem perſonæ requiritur in Notario, ut deſcribatur in matricula ex *prag.* 1. *de notariis.* Cujus conſtitutionis auctor fuit Ferdinandus primus Aragonenſis, nam tunc temporis immenſus Notariorum numerus in Regno, unde paſſim unicuique pro voluntate aditus patebat ad illud munus, mirum quantum publice officiebat; quod verba ipſa præfationis pragmaticæ ſatis indicant. Proviſum olim fuerat a Friderico Secundo, ut certus eſſet in unaquaque civitate Notariorum numerus, vid. *conſtit. in locis demanii*. At, moribus ſemper in deterius labentibus, præfinitum numerum non ſufficere experientia monſtravit, nam creſcente mala fide nihil uſpiam publice privatimque peragebatur ſine Notario; & propterea alii veluti aſcriptitii, ſive ſupernumerarii creabantur; donec ad extremum malorum ventum eſt; ſiquidem inter Notarios *nullus ordo, nullaque vivendi forma adhibebatur, unde diverſas falſitates committebant, adeout ſæpiſſime non ſolum contrahentes in ſuis cautionibus fraudarentur, ſed etiam falſo obligarentur ad ea, quæ nunquam mente conceperunt* (ſunt verba Regis Ferdinandi in *cit. prag.* 1. quod utinam & noſtris temporibus non eveniret). Et propterea prudentiſſimus Rex matriculam Notariorum conficiendam ſtatuit, ſive potius novam formam ea de re adinvenit; nam matricula Notariorum uſitata erat in

Imperio Orientali, eorum enim erat certus ordo, ac ſchola; & primi dicebantur Primicerii (ſunt qui credunt ſic dictos, quia primi ſcribebantur in cera, hoc eſt in tabella cerata, prout olim uſus erat ſcribendi). Hos ſequebantur Tribuni Notarii, qui & Secundicerii dicebantur; dein ſimpliciter Notarii Domeſtici, vid. Gothofr. *in l. 2. C. T. de Primicer. & Notar.* Uniuſcujuſque igitur nomen in peculiari libro notabatur, qui dicebatur & matricula; prout *matricula militum*, cujus eſt mentio in *l. 16. eod. Cod. de deſert. & in l. 11. eod. de re milit.* ex qua adparet, non ſolum ordinarios milites in matricula ſcribi ſolitos, ſed & *accreſcentes*; quod vocabulum citatus Gothofredus interpretatur *ſupernumerarios*, ſcilicet qui actu non militabant, verum promti in ſubſidium habebantur, ut in locum legitimorum militum amiſſorum ſurrogarentur, atque ita numerus ordinarius, ſi quando imminutus, repararetur. Ferdinandus autem hoc modo matriculam Notariorum conficiendam juſſit: In unaquaque civitate, ubi quinque ſaltem adſunt Notarii, debeant hi librum conficere, & in Archivio publico reponere, in eoque annotetur nomen cujuſque Notarii approbati, & tempus mortis ejuſdem. Ubi talis numerus non adeſt, *matriculatio* fiet in loco viciniori. Sed hæc conſtitutio diu non ſtetit, nam inductum fuit, ut poſt examen, & adprobationem Viceprotonotarii, privilegium in formam publicam redactum ſibi haberet notarius; ex eoque legitimum documentum exiſteret ad munus adeptum auctoritate publica. Hunc uſum ſic expreſſit Rovitus *in com. ad d. prag. 1. Hodie matricula non eſt in uſu; ſed bene tenentur expediri facere privilegium ſigillatum, & regiſtratum in forma Regiæ Cancellariæ.* Ut autem omnibus innoteſceret conceſſio privilegii, jubetur in *prag. 5. eod. tit.* exemplar, ſive *fidem authenticam* inde extrahendam, reponendamque in valvis curiæ, ſcilicet loci, ubi ſui officii exercendi gratia reſidet notarius. Quam conſtitutionem nec uſu ſervari notat idem Rovitus: nam vix fieri poteſt, ut pro notario ſe jactet qui revera talis non eſt: unde familiaris Doctorum controverſia vix uſum habet, an valeat inſtrumentum confectum ab eo, qui communiter dicebatur Notarius, licet falſo. Vulgo affirmatur ex regula deſumta a *l. Barbarius 3. D. de offic. Præt.* communem errorem jus facere. Sed quam ea regula abutantur, & ſpeciem ejus legis male exponant Interpretes, acutiſſime oſtendit Jacobus Gothofredus *in com. ad d. l. 3.*

CAPUT III.

De Judicibus jure noſtro ſtatutis pro ſolemnitate inſtrumentorum, qui vulgo ad contractus, & chartularii nominantur.

CUm omnia ferme publica, & majoris momenti privata negotia jamdiu receptum eſſet in Regno, ut redigerentur in inſtrumenta, ſolemnibus quibuſdam confirmata, quo de eorum fide certum appareret do-

documentum, ſaltem, ut quoad fieri poſſet, ſuſpiciones fraudis, & falſitatis removerentur; ideo præ ceteris viſum fuit, coram Judicibus ea confici, ut contrahentes magis, magiſque adigerentur ad promiſſa ſervanda, quibus & ipſe judex adſuit. Hinc non videtur alienum a vero, quod & alibi annotavimus, *Judices ad Contractus* olim apud nos eoſdem fuiſſe, ac qui præerant juriſdictioni; poſtea diviſos, ut unuſquiſque commodius, & diligentius ſuo muneri incumberet. Hic autem conſuetas nugas agunt Pragmatici, interque eos Rovitus, qui in *com. ad prag.* 2. *de contract.* docet, peculiare non eſſe moribus, & legibus noſtris ſtatutum, ut Judices adhibeantur in confectione inſtrumentorum, cum jam olim idem obtinuerit jure Romano; & ne deſit auctoritas legem, quæ Forenſibus præſto ſunt ad quodlibet axioma, licet abſurdiſſimum, confirmandum, citatur a Rovito *l. jubemus* 14. §. *iis quoque C. de ſacroſ. Ecc.* ubi cum prohibeatur rerum Eccleſiæ Conſtantinopolitanæ alienatio, additur pœnæ exilii Tabellionibus, qui inſtrumenta alienationis conficiunt; & pœna amiſſionis officii, & ſpoliationis bonorum *iis Judicibus, vel jus geſtorum habentibus, qui hujuſmodi donationum vel contractuum geſta confecerint*. Sed videtur Rovitus ſenſum legis non percipiſſe. Quod ut rectius cognoſcatur, ſciendum eſt, ante Leonem, & Anthemium nullam imperialem extitiſſe legem, qua rerum eccleſiaſticarum interdiceretur alienatio; ut illi Impp. primum ſtatuerunt in *cit. l.* 14. bona immobilia, quæque immobilibus accenſentur, pertinentia ad majorem Eccleſiam Urbis Conſtantinopoleos, nullo modo alienanda eſſe; & quo majori vinculo talis prohibitio conſiſteret, non ſolum Æconomum Eccleſiæ alienationi conſentientem puniendum decreverunt privatione officii, & damni reparatione; verum etiam & tabellionem inſtrumenta conficientem. Quod attinet ad Judicem, quoniam ea ætate uſus erat, prout diximus in *ſup. cap.* ex Cujacio *in com. ad novel.* 44. ut ad firmanda inſtrumenta fieret inſinuatio, ideſt ut confectum jam inſtrumentum proponeretur coram Judice, & ab eo confirmaretur, interque acta publica redigeretur: qui ſoliti erant alienationi bonorum Eccleſiæ Conſtantinopolitanæ conſentire, requirebant ejuſmodi inſinuationem. Imperatores igitur, ut omnino alienationibus præcluderetur aditus, pœnas ſanxerunt etiam adverſus Judices, qui inſinuationes admittebant. Hæc interpretatio, præterquamquod ex ipſis verbis conſtitutionis perſpicua eſt, confirmatur ex conſtitutione græca Imperatoris Anaſtaſii, quæ tamen in Codice Juſtinianeo deſideratur, ut animadvertit idem Cujacius *in com. ad novel.* 7. *in princ.* eaque ſuperior prohibitio porrecta fuit ad omnes Eccleſias, quæ erant ſub Patriarchatu Conſtantinopolitano. At Juſtinianus in *cit. novel.* 7. generaliter in quacumque provincia voluit eandem prohibitionem ſervari; & præterea abrogavit conſtitutionem Anaſtaſii, qua, interveniente decreto, & actorum monumentis, alienationes permittebantur. Anaſtaſius igitur reformavit Leonis legem, qua nec tali inſinuatione interveniente valebat alienatio; & demum Juſtinianus reſtituit jus a Leone ſtatutum.

II. Quod autem hæc omnia ignota ſint Rovito, mirum utique non eſt: verum quis æquo animo feret ejus

Digitized by Google

ejus negligentiam, dum nec *ſummam*, quæ dicitur a noſtris, *d.* §. *iis quoque*, inſpexit? Salicetus e Bartoli ſchola interpres, non præſentiam Judicis, ſed ejus auctoritatem, confirmando quod antea geſtum erat, in inſtrumentis explicat; verba Saliceti ſic ſe habent: *Judices contractibus illicitis auctorantes, puniuntur bonorum publicatione, & dignitatis amiſſione*. Citat Rovitus & *Gloſſam v. judicibus*: ſed majoris negligentiæ reum ſe facit; nam ait Gloſſa: *Judicibus qui ſunt tantum Judices*; ſequitur deinde: *Jus geſtorum habentibus, ideſt ſcripturarum; nam iidem erant Judices, & Notarii; vel die de officialibus Curiæ, qui ſcribunt acta*. Hæc poſtrema verba Gloſſographi nihil faciunt pro Rovito, nam vel probant, Judices, & Tabelliones olim eoſdem fuiſſe (quod utique falſiſſimum eſt ex *ead. l.* & referendum inter hallucinationes Accurſianas) idque nec convenit legibus Regni, ex quibus manifeſtum eſt, diſtingui inter ſe Notarium, & Judicem ad contractus: vel oſtendunt: inſinuationem inſtrumenti, hoc eſt redactionem in actus judiciales.

III. Pro comperto igitur habendum eſt, legibus, moribuſque tantum noſtris, in ſolemnibus inſtrumenti Judicis præſentiam requiri. Nec ſatis erit, ſi confecto jam inſtrumento, ejus auctoritas interveniet. Id ſane non ſolum rationi conſentaneum eſt, nam præſentia judicis inducta fuit, ut omnia peragerentur rite, & legitime; dolus malus, vis, metus, & fraus quæcumque removerentur: verum etiam ſpeciali lege eſt conſtitutum a Carolo I. Andegavenſi in *cap. item caveant* 56. in quo dum mandatur Regis officialibus, ne compellant notarios ad conficiendas ſcripturas publicas, niſi eas tantum, quibus ipſi interfuerunt; demum ſic ſtatuitur: *Et quod Judex non det fidem notario, niſi ipſe fuerit præſens, nec notarius judici; & idem intelligatur de teſtibus; & qui contra fecerit teneantur pœna falſi*. Hæc autem male ſervantur, nam ſæpiſſime judex ad contractus aut abeſt, aut ignorat, ſive non intelligit quæ in conventionem adducuntur; & omnia ad ſolius notarii ingenium revocantur; & non ſemel poſt confectum negotium, ſummatim, & perfunctorie ipſi teſtes certiores redduntur. Hic autem abuſus inde manavit, quod creſcente ſupra modum notariorum auctoritate in ſcripturis conficiendis, adeout eorum mente videantur potius conventiones regi, quam voluntate contrahentium; contra judicum auctoritas nimium decrevit, quaſi eorum præſentia *pro forma*, ut vulgo dicitur, requireretur tantum, non pro modo inſpiciendo, & qualitate conventionum. Et in ſumma, ut pro mera ſolemnitate judex adhiberetur. Non diſſimilis fortaſſe ab eo, quem veteres Romani *Anteſtatum* adpellabant. Hic equidem olim ſtatutus fuit, ut in mancipationibus, emancipationibus, ſolemnibus hereditatum aditionibus, quæ cretiones dicebantur, adhiberetur ad teſtes monendos, tactis eorum auriculis, ut memoria tenerent quod gerebatur, vid. Merillium *obſerv. lib.* 8. *cap.* 37. Sed poſtmodum illius præſentia ut mera ſolemnitas requiſita fuit. Hinc homines viliſſimæ conditionis eligi ſolent pro judicibus ad contractus, & vulgo dici ſolent *chartularii*, quaſi quod eorum munus tantum ſit chartis, ſive ſcripturis publicis aſſiſtere: ceterum ex iis plerique ſunt, qui

quì vix literas noſcunt, & contractuum, conventionum, ſtipulationumque vim, & effectum omnino ignorant.

IV. Ad exercendum ejus generis Judicum munus non ſola approbatio, & electio Viceprotonotarii, quemadmodum fieri ſolet etiam in Notariis, ſufficit; ſed requiritur præterea *expeditio privilegii cum ſigillo in forma Cancellariæ*, vid. *prag.* 5. & 6. *de Notariis*. Immo & qui eorum exercent abſque tali privilegio, tenentur crimine falſi. Et pecuniaria pœna centum unciarum auri puniuntur ii Notarii, qui in ſuis curiis permittunt illud munus exerceri a perſonis eo privilegio deſtitutis *d. prag.* 6. Præcipuum onus, cui ſubſunt judices ad contractus, eſt illud, de quo rectiſſime cavetur in *prag. ult. eod. tit.* ne publicæ ſcripturarum fidei officiatur ob notariorum deſidiam, qui cum ſæpiſſime in *protocollum* redigere contractus conventioneſque prætermittant, ut ea de re ratio reddi poſſit, jubetur in ea *pragmatica* librum ab unoquoque ex Judicibus ad contractus conficiendum, ibique ſua manu ab iis annotandos ſingulos contractus, quibus interfuerunt, ſcilicet deſignando diem, menſem, & annum initæ conventionis; necnon notarii, ipſorumque contrahentium nomen. Qui liber exhibendus erit coram Viſitatore electo ad inquirendum, an recte in ſuo officio notarii verſati ſint. Viſitator enim conferet librum judicis ad contractus cum protocollo notarii; eaque ratione apparebit quid in eo deficiet. Statuitur præterea in *ead. prag.* aureorum centum pœna, quoties judices dictum librum conficere, ſibique habere neglexerint. Extant in pragmaticis ſanctionibus expreſſæ cauſæ nonnullæ, in quibus judices ad contractus prohibentur inſtrumenta, ſui præſentia confirmare, utpote contra formam juris celebrata: ſed quoniam hujuſmodi prohibitiones & ad notarios eodem tempore pertinent; ideo infra ea de re conjunctim agemus.

C A P U T IV.

Quid ſervare debeat Notarius in publicis inſtrumentis.

NOn alibi publica, privataque fides conventionum apud nos magis in tuto creditur, quam in iis ſcripturarum ſpeciebus, quas peculiari nomine inſtrumenta adpellamus; generis vocabulo ad ſpeciem translato, quaſi quod non poſſint potiori ratione & Judices, ſi quando controverſiæ naſcuntur judiciales, inſtrui; & poſteri, qui alioquin ignorarent quid olim a majoribus conventum, acquiſitum alienatumve ſit. Hinc non mirum ſi in Regno multæ diverſis temporibus rogatæ ſint leges ad vim, conſtitutionemque inſtrumentorum pertinentes; & præſertim circa munus Notariorum in illis conficiendis, ut ſcilicet, quantum fieri poſſet, a negotio tanti momenti fraudes, falſitateſque abeſſent; nam nihil uſquam foret incolume, ubi dolus malus in tanta morum corruptione facilem inveniret aditum ad ſcripturas publica auctoritate confirmatas. Adhæc, cum ordinaria judiciorum forma in inſtrumentis præſentatis in judicio non obti-

tineat, ſiquidem ratione publicæ fidei in iis comprehenſæ, ſtatim ad exequutionem judicialem pervenitur (quod noſtri dicunt viam exequutivam habere) quibuſnam vexationibus, quibuſnam periculis civium patrimonia non eſſent obnoxia, ſi ejus generis ſcripturæ facili negotio corrumpi, immutarive poſſent?

II. In inſtrumentis quamvis publica fides confirmetur ex perſona judicis, & notarii; tamen hic tenetur teſtes adhibere *bonæ, & probatæ opinionis*, ut ait *conſtit. inſtrumentorum robur*, ideſt ejuſmodi, ut contra eos exceptiones legitimæ nullæ opponi poſſint; prout jure præſcribitur in omnibus teſtibus, qui idoneam facere debent probationem rei geſtæ. De numero teſtium in *ead. conſtitut.* ſic ſtatuit Fridericus II. ut duo ſufficiant, *ſi quantitas, quæ in contractu deducitur, infra libram auri ſubſiſtat*; intellige aureos ſeptuaginta duos; nam, ut alibi annotavimus, ex communi Doctorum interpretatione uncia æſtimatur ſex aureos. Sin excedat, tres adhiberi debent. Voluit in hac lege Imperatoris Juſtiniani *novell.* 73. imitari, cujus ſententiam, obſcuram ſane, & verborum congerie involutam, ſic exponit Cujacius *in com. Firmiſſimum autem, id eſt* (inſtrumentum) *quod trium teſtium præſentia, vel ſubſcriptione confirmatur, licet comparatione litterarum non confirmetur; cum & ſine chirographo tres teſtes ſufficiant. Et ita firmiſſimum quoque eſt forenſe inſtrumentum, quod tabellionis mandato amanuenſis ejus ſcripſit, & complevit; vel ſcripſit tantum, tertia perſona, veluti argentario adnumerante pecuniam; nam hi tres, tabellio, amanuenſis, argentarius pro tribus teſtibus habentur; & ſi conſentiant horum teſtimonia, conſtat fides rei geſtæ ſatis, etiam ſine ſcriptura. Sed ſi nullus intervenerit amanuenſis, vel argentarius, præter tabellionem, duorum, vel trium teſtium præſentiam deſidero ex ſententia hujus novellæ. Quid igitur? tabellionis ſolius fides non ſufficit: forenſe inſtrumentum publicum teſtimonium non habet? Ita videtur; hoc jure cenſetur id ſolum, quod actis inſinuatum eſt apud Magiſtrum cenſus, vel Magiſtratus municipales, vel Defenſores plebis. Strinxi breviter ſententiam hujus novellæ. Id non eſt omittendum, hanc in iis tantum inſtrumentis diligentiam exigi, quæ in urbibus fiunt, & quæ ſuperant libram auri, non in iis, quæ ruri fiunt, nam & in teſtamentis, quæ ruri fiunt diligens obſervatio remittitur, l. ult. C. de teſtam. ſed & majorem exigit in chirographis, quæ excedunt quinquaginta libras auri, l. ult. C. ſi cert. pet. nam ſubſcriptionem exigit trium teſtium, nec contenta eſt præſentia, qua hæc novella tamen omni in ſumma videtur eſſe contenta*. Hæc poſtrema verba oſtendunt, in Regno noſtro circa ſubſcriptionem teſtium novellam Juſtiniani uſu confirmatam eſſe, & rejectam legem Friderici, hic etenim ſtatuit, teſtes *litteratos* eſſe debere, hoc eſt ſcientes litteras formare, ſive ſcribere. At ſi inſtrumentum fiat in locis, in quibus tales non inveniantur teſtes, tunc *alii etiam aſſumantur*, ait Imp. ſcilicet adhibeantur qui poterunt inveniri. Unde quærit Gloſſographus, quomodo ſe ſubſcribent qui litterati non erunt? & inanis ejus diligentia eſt, quoniam ſolent notarii teſtium nomina, & cognomina, ſua manu ſcribere; & quod ille ait de apponen-

nendo ſigno in modum crucis, ubi teſtis ſcribere neſcit; ſervatur apud nos in aliis ſcripturarum generibus ex *l. ult. §. ſubſcriptionem C. de jure deliber.* In re autem, qua de agimus, conſuetam cernere licet oſcitantiam & nimium ſtudium omnia colligendi, & conſarcinandi abſque delectu, & examine Auctoris *Juriſpr. for.* qui *tom.* 8. *tit. de inſtr. prob. & fid. n.* 13. ſic ſcribit: *Inſtrumentum non continens clauſulam,* præſentibus opportunis, *& deſcriptionem teſtium per nomina, & cognomina, & judicis, manu notarii factam, nullum eſt, l. donatio C. de donat. §. ſed etſi auth. de fide inſtrum. gloſſa in conſtit. &c.* Et ſane nimis confidenter audet privatus Doctor, nullum pronunciare, tanquam nomotheta quidam, inſtrumentum publicum, in quo deeſt formula *præſentibus opportunis &c.* quæ ex mero arbitrio tetrici alicujus, & verborum penſiculatoris notarii barbaris temporibus apud nos adinventa fuit. At dices, illa clauſula continentur requiſita in *cit. l. donatio* ad vim inſtrumenti. Hic Pragmatici, ut ſolent, abutuntur legibus Romanis, quas male explicant, & inde inutilia, & ſuperflua multa in uſum fori inducta ſunt, quæ nec ipſi intelligunt. Voluit in ea *l.* Conſtantinus Magnus profuſis, fraudolentibus, ac extortis donationibus occurrere, quæ nimium frequentes ea tempeſtate erant; & propterea quaſdam juſſit ſolemnitates obſervari, ut omnis removeretur fraudis ſuſpicio; interque eas nominatim confectionem inſtrumenti publici; illudque ſcribendum ab ipſo donatore; vel a tabellione, vel ab alio, ſubſcribente donatore, vel ab alio vice donatoris, ſi donator neſciat litteras, vid. *l.* 10. *&* 20. *C. eod. tit.* Requirit præterea Conſtantinus in conſcribendis donationibus exprimi *nomen* donatoris debere, & *jus*; ideſt ex qua cauſa rem, quam donat, adquiſivit, ne largiatur de alieno temere, ut ait Cujacius, & onus imponat donatario. Igitur quid commune habet hæc conſtitutio cum clauſula notariorum, *præſentibus opportunis &c.*? Mitto, legem Conſtantini poſtea abrogatam in *l.* 29. *&* 31. *cod. tit.* ubi decernitur & ſine ſcripto donationes valere: quam male ex ea ducitur argumentum ad ſolemnitates omnium inſtrumentorum, quæ ſpecialiter præſcribuntur in ſolis donationibus? Præterea, ubi ſolemnitates requiſitæ adſunt, ubi Notarius expreſſit nomina contrahentium, cauſas obligationis conſtitutæ, nomen ſuum ſignavit, Judicis, & teſtium perſcripſit &c. quomodo poſſumus dicere nullum eſſe inſtrumentum, licet verborum conſueta illa conceptio non inveniatur? Alter noſtrorum error eſt, quod dum agunt de ſubſcriptione teſtium manu Notarii apponenda, confundunt leges Romanas cum legibus Regni, eaſque vel non intelligunt, vel peſſime interpretantur; idque evidenter oſtendunt verba, quæ ſequuntur ejuſdem *Auctor. Juriſpr. forenſ.*: *Idem Freccia loco citato explicans requiſita dictæ conſtitutionis concludit; quod etiamſi teſtes ſe ſubſcripſerint, ſi tamen non fuerint per Notarium adnotati, non valet inſtrumentum, & ſic non poteſt præſentari. Et ad hoc moveor per textum in dict. conſtitut. inſtrumentorum robur &c.* Ubinam gentium in conſtit. Friderici de nomine & cognomine ſingulorum teſtium adnotando per Notarium agitur? Imo contrarium oſtendunt illa verba: *Tres te-*

ſtes probatæ fidei in eodem inſtrumento ſubſcribant : qui debent eſſe omni exceptione majores & ſcientes litteras in locis , in quibus litterati poterunt inveniri, alioquin alii etiam aſſumantur &c. De jure tantum Romano , ut diximus, præſentia teſtium ſufficiebat , unde uſus invaluit , ut eorum nomina perſcriberet Notarius: ceterum nulla conſtitutio , nulla lex mandat , non valere inſtrumentum etiamſi ſe ſubſcripſerint teſtes, quando adnotati non fuerunt manu Notarii ; niſi id ad conſuetudinem , uſumque receptum referatur.

III. Ex fide inſtrumentorum cum non tantum contrahentibus ipſis proſpiciendum ſit, ſed & poſteris ; propterea actis publicis ea ſolebant inſinuari jure Romano, ut diximus. In Regno noſtro cum talis uſus paulatim deficeret , placuit Friderico II. in *conſtit. conſuetudinem quam olim* decernere , ut omnia publica inſtrumenta in pergamenis conſcriberentur; ejuſque rei ſic rationem reddidit: *Cum enim eorum fides multis futuris temporibus duratura ſperetur , juſtum eſſe decernimus , ut ex vetuſtate forſitan , deſtructionis periculo non ſuccumbant* . Statuit præterea , nullam in judiciis , vel extra judicia probationem deſumendam ex inſtrumentis in chartis papyri , vel alio modo ſcriptis , niſi eſſent apochæ, vel antapochæ . Ex hac Friderici conſtitutione conſuetudo forenſis invaluit , ut in judicio liquidationis, de qua agemus ſuo loco , neceſſaria cenſeatur exhibitio inſtrumenti in charta pergamena deſcripti, vid. *Ricc. prax. civil. part. 2. de liquid. inſtr. c.* 1. Sed neſcio cur placuerit Forenſibus verba conſtitutionis , quæ generaliter loquuntur , interpretari de ſolo judicio liquidationis. Vulgo illi reſpondent ex *rit.* 166. *M. C.* unde praxis liquidationis provenit , originale inſtrumentum præſentandum eſſe , non exemplar ; & originale cenſeri quod in ea charta deſcriptum eſt . Hinc concludunt , ſubſcriptionem teſtium in eodem tantum requiri ; in ceteris vero annotationem tantum Notarii ſufficere;idque ſic proponit idem Riccius *loc. cit. num.* 11. *At in originali reaſſumto in pergameno neceſſaria eſt deſcriptio, & ſubſcriptio ; alias ſine ſubſcriptione non poteſt ad formam ritus præſentari. Quæ ſubſcriptio teſtium ultra deſcriptionem , ſignum Notarii , & Judicis, addita eſt per conſtit. Regni inſtrumentorum robur, & per conſtit. bajulos &c. . . . . . Alias ſi inſtrumentum non eſſet ſic in pergamena ſolemnizatum , & ſubſcriptione munitum cum ſigno Notarii non haberet exequutionem ad formam ritus* 166. *nec fidem faceret , ut ſancitum eſt per conſtit. conſuetudinem &c.* Hæc omnia , quæ procedunt ex prava legum interpretatione, litigantium incommoda & diſpendia augent ; & quod omnium peſſimum eſt , eadem jura ad faciliorem rationem ſtatuta , ejus quod noſtrum eſt conſequendi a debitoribus , translata ſunt ad cavillationes , dilationeſque ſtruendas ; unde publica fides inſtrumentorum labefactatur; prout videre eſt in judicio, quod diximus, liquidationis, cujus ſpecialis praxis compoſita eſt in foro; ejuſque diſceptationes & controverſiæ non leves occurrunt in libris Pragmaticorum ; cumque inventæ ſint quampiurimæ oppoſitiones adverſus illud judicium, & quampluri-ma,ut ipſi dicunt, *requiſita* , neceſſaria ſint ad illud perficiendum non eſt cur miremur , ſi multoties immenſa conficiantur acta judiciaria pro publico in-

Digitized by Google

inſtrumento, quod in Regno dicunt paratam exequutionem habere. Inter ea *requiſita* numeratur reaſſumtio inſtrumenti in charta pergamena; quod ſane hodie inutile eſt; nam ex conſtit. Friderici originale inſtrumentum in pergamena deſcribendum erat, ut ex materia firmiori facilius conſervaretur ejus memoria: ceterum ſi inde exemplar extrahebatur authenticum, ideſt manu ejuſdem Notarii confectum, aut ſubſcriptum, nihil erat impedimento, quominus ex eo fides probationis aſſumeretur in judicio; nam verba Imperatoris in *cit. conſtit. conſuetudinem*, manifeſte oſtendunt, ejus mentem fuiſſe, ut non valerent inſtrumenta deſcripta in chartis papyri, vel alio modo; ac proinde ab iis extracta exemplaria nullam probationem facere in judicio: at cum deſcribuntur in pergamena, dum validum eſt originale, validum quoque reputari debet exemplar authenticum. Verum cum poſtmodum ex conſtit. Ferdinandi I. Aragonenſis, de qua mox, originalia inſtrumenta in *protocollis* Notariorum deſcripta intelligantur, & inde fiant exemplaria authentica, hæc parum intereſt, utrum in papyro, aliave materia ſcribantur, an in pergamena. Quoties igitur noſtris temporibus inſtituendum eſt judicium liquidationis, nonne inutile eſt diſpendium creditoris, ut ex inſtrumento deſcripto in protocollo tanquam in libro originali, deſumatur exemplum in pergamena; cum non minus hoc pro exemplari habeatur, quam ſi deſcriptum extet in charta alterius generis. His adde, quod, ut jam diximus, nulla ratio aſſignari poteſt, cur magis in judicio liquidationis, quam in aliis quibuſcumque deſcriptio in pergamena requiratur omnino. In *ritu M. C.* ea de re nihil proponitur; in *conſtit.* Friderici generalis legitur ſanctio de quocumque judicio: quod aſſerunt Doctores, & uſu ſervatur, officit rectæ legum interpretationi, officit fidei publicæ inſtrumentorum; nam inde oppoſitiones, nullitates, quas dicunt, multiplicantur, dum petitur in judicio, quod conventum eſt ad exequutionem perduci: denique officit patrimonio noſtro, quoniam retardatæ debitorum ſolutioni additur diſpendium pro deſcriptione inſtrumenti in charta pergamena; quod non leve eſt.

IV. Sed age videamus quanam ratione originalia, ut dicunt, inſtrumenta apud nos perficienda ſint. Originale inſtrumentum uſus in Regno adpellat, quod eſt deſcriptum in *Protocollo* Notarii. Mitto hic pluribus diſſerere de vulgari Interpretum diviſione in inſtrumentum authenticum, exemplar, & exemplatum; contentus Cujacii ſententia, qui in *com. ad cap.* 1. *de fide inſtrum.* illud dividit in originale, & exemplare: originale idem dicit eſſe ac authenticum, ratione originis, cum in eo adpareat origo, initiumque conventionis; & auctoritatis, quam publice habet; ſcilicet ſi inſtrumentum in publico reperiatur tabulario, ſive archivio; aut ſi confectum ſit a publico Notario, legitimis ſolemnitatibus adhibitis. Addit idem Cujacius, exemplare eandem vim habere, ac authenticum, ſi modo id publica manu conſcriptum fuerit, & juſſu judicis ex *cap. ult. eod. tit.* idque uſus apud nos ſervatur, licet juſſus judicis non cenſeatur neceſſarius; nam etiam ex ſola partium petitione ſolent Notarii exempla authentica inſtrumentorum conficere;

Digitized by Google

eaque in judicio vel extra ſuum robur obtinent ; ac ſi ipſum originale exhibeatur. Originale autem nunc intelligimus Protocollum uniuſcujuſque Notarii . Sed abutimur eo vocabulo. Statuerat jam olim Juſtinianus in *novel.* 44. *in fin.* , ut Conſtantinopoli Tabelliones non ſcriberent inſtrumenta in aliis chartis, quam in iis, quæ haberent *protocolla*; ut ſcilicet eo modo facile coargui poſſent de falſo , ſi quando id admiſſum fuiſſet. In interpretatione *cit. novel.* ſic nos docet Cujacius: *Protocollum quid eſt ? Alius majorem , & regiam chartam interpretatur ; alius ſchedam negligentius ſcriptam ; alius exemplar formularum , quo tabelliones uti ſolent . Omnes errant vehementer. Ut hodie chartæ habent notam aliquam , ex qua dignoſcitur quis eam chartam præparaverit , ita habebant olim chartæ brevem adnotationem , quæ declarabat , quo Comite largitionum (ſub ejus cura erant chartariæ) quo tempore, a quo præparatæ fuiſſent chartæ ; ex eo coarguebatur ſæpe falſitas: ſicuti Lutetiæ audivi accidiſſe . ut Senatus ſuſpectum chirographum ex die in eo adſcripto, quo nondum ejus notæ charta ulla erat in rerum natura . certiſſimo argumento quaſi falſum improbaret. Et hac ratione Juſtinianus non vult ex chartis abſcindi protocolla ; & hoc valere jubet in Urbe.* Quod autem ait hic vir conſultiſſimus , pertinet magis ad explicationem *novellæ* Juſtiniani , quam ad originem vocabuli inquirendam . Juſtiniani ſane ævo protocolli nomine charta ſignificabatur , in qua notæ , quas Cujacius deſcribit, extabant; ſed origine vocabuli denotabatur major charta , ſive longior , ut tales notæ commode ibi apponi poſſent , & ſimul ſpatium continere , in quo cetera ſcriberentur ; ejuſque generis chartæ macrocolla appellantur a Cicerone *epiſt. ad Attic. lib.* 13. ut notat Viglius Zuichemus *Inſtit. tit. de teſtam. ordin.* §. *nihil autem in fin.*, quaſi magnæ chartæ. Legitur & apud Plinium *lib.* 13. *cap.* 2. macrocolis ; idque ſic ſcribendum cenſet Hermolaus Barbarus in notis ἀπὸ τῦ μακρῦ καὶ κώλυ, quaſi longam membranam ; & eodem ſenſu dicitur protocollon. Sunt qui cenſent ſcribendum *matrocollum* ἀπὸ τῆς κόλλης , a glutine , quo chartæ glutinantur ; & inde uſus adpellat *protocollum*. Juſtinianus igitur in *cit. novel.* voluit , in chartis ſuperiori ratione ſignatis inſtrumenta primum deſcribi, ut inde exemplaria deducerentur , eoque modo viſum fuit opportune occurri poſſe fraudibus.

V. Juſtiniani novella licet ad urbem tantum Conſtantinopolim pertinuiſſet ; tamen a vero alienum non videtur, eam & in provinciis Imperii uſurpatam, ratione publicæ utilitatis , quam præſeferebat. In Regno autem noſtro poſtquam orientalium Principum leges paulatim defecere , & eam conſuetudinem defeciſſe credendum eſt; præcipue ſub Longobardis , qui novam ſcripturis publicis formam dedere. Sed quoniam facillime admittebantur falſi crimina ; ideo ad ea evitanda inductum fuit , ut præter publicos Notarios, & teſtes, adhiberentur Judices in conventionibus ineundis , ſcribendiſque. Demum Fridericus , uti jam dictum eſt , poſterorum memoriæ proſpexit, jubendo in chartis pergamenis inſtrumenta deſcribi . Quod experientia fortaſſis docuit , omni ex parte tutum non eſſe , ſiquidem , annis labentibus , Notario , teſtibuſque defunctis haud difficile erat inſtrumenta noviter con-

fin-

Digitized by Google

ſingere, quæ forma viderentur antiqua; vel ſaltem conventionis ſubſtantialia immutare. Hinc Ferdinandus primus Aragonenſis, qua erat inſigni prudentia & regnandi arte præcipua, publicæ fidei ſcripturarum tuendæ gratia confectionem *protocolli* in uſum revocavit, ſive potius noviter induxit, nam ea voce utitur ſignificatione longe diverſa, nempe ad denotandum codicem originalem, ſive authenticum, in quem teneatur Notariorum unuſquiſque inſtrumentum jam confectum coram ipſis contrahentibus, teſtibus, judiceque ad contractus, & in communi charta exaratum, tranſcribere, ejuſque unaquæque pagina voluit ut certum ſignum, atque epigraphem contineret. Verba Regis ſic ſe habent relata in *prag. 2. de Notariis: Singuli ex dictis Notariis in principio cujuslibet anni debent coram Priore in loco matriculæ comparere, & præſentare librum ligatum per numerum chartarum ſignatum, ſculptumque in principio cujuslibet chartæ per ſigillum civitatis, in cujus libri principio manu ejuſdem Notarii ſit deſcriptus titulus infraſcriptus:* Hic eſt liber mei talis Notarii, confectus ſub tali milleſimo, indictione, anno Regni illuſtris Regis &c. In quo deſcribuntur omnes contractus, teſtamenta, & rogationes, de quibus anno prædicto contigerit me fore rogatum. Ad quorum infraſcribendorum perpetuam fidem, præſentem titulum ſcripſi manu propria, & ſigno, quo in meis inſtrumentis uti conſuevi, ſignavi. *Et continuo ſignum Notarii in principio libri ponatur, & in dies in dicto libro ordinate ſcribantur totius illius anni dicti Notarii inſtrumenta, & rogationes fideliter, ſine interlineaturis, remiſſionibus, & caſſaturis, cum omnibus ſubſtantialibus ipſorum inſtrumentorum, & rogationum.* Qui hic ſtatuit prudentiſſimus Rex non omni ex parte uſus confirmavit; ſiquidem Prior, ſive Præpoſitus Notariorum, de quo caverat in principio conſtitutionis (quæ eſt *prag. 1. eod. tit.*) nullus adeſt in provinciis Regni. Olim ſolebant a Viceprotonotario certæ perſonæ deſtinari ad inſpicienda protocolla. Quod munus, ex diplomate Regio, nunc pertinet ad unumquemque ex Prioribus Auditorum ſingularum provinciarum. In hac civitate ſingulis annis ab ipſo Viceprotonotario protocolla inſpiciuntur, & quæ legitime, & ſine ullo vitio confecta adparent, & ejus manu ſubſcribuntur.

VI. Protocolla autem bona fide conficienda ſunt, adeout teneantur Notarii nihil in iis omittere de conventionibus, pactiſque initis; eædemque clauſulæ, eademque verba ſcribenda ſunt, quæ in priori charta coram partibus fuerunt appoſita; idque eſt, quod jubet *prag. ult. de Notariis* nempe *per extenſum* in protocollis ſcribenda eſſe inſtrumenta.

VII. Ad coercendam Notariorum negligentiam ſtatuerat Fridericus II. in *conſtit. Bajulos* pœnam pecuniariam adverſus illos, Judiceſque, quoties infra dies octo, ex quo a contrahentibus rogati eſſent ad inſtrumenta conficienda, eadem ſcribere, & ſubſcribere neglexiſſent. Ratio conſtitutionis fuit, quia ex temporis diuturnitate, & teſtes, & notarius ipſe, aut judex cum poſſent per mortem deficere, geſtorum, conventorumque fides dilabebatur. Eandem legem firmavit in *prag. 3. cit. tit.* Rex Ferdinandus, addiditque, infra tale tempus ſtatutum in protocollo referendum inſtrumentum quodlibet, licet antea ſcriptum ſignatumque fuiſſet

praxim proponit cit. Tapia *in tit. jur. Regni de fide inſtr.*

VIII. Conſtitutio Ferdinandi in *cit. prag.* 3. male ſervabatur, unde opus fuit per rogationem novæ legis, eam reſtituere, ut videre eſt in *prag.* 13. *eod. tit.*, in qua & methodus decernitur inquirendi in protocolla. Sed rectius utilitati publicæ conſuleretur, ſi ejuſdem Ferdinandi lex in uſu eſſet, qua ille ſic juſſit in *ead. prag.* 3. *Teneatur Notarius de trimeſtre in trimeſtrem facere alium librum per alios numeratum, & ſignatum, ut ſupra, cum præmiſſione ejuſdem tituli, & ſigni, eo ſolum mutato, quod ubi deſcribitur liber totius anni, dicat liber primi trimeſtris talis anni; & in dicto libro deſcribere teneatur ſimiles rogationes, quas in libro ſuo originali deſcripſerat, & in eodem libro ſingulas rogationes ſubſcribat, & per judicem ſubſcribi curet; ita quod in omnibus reperiatur concordare cum rogationibus ſubſcriptis* ne i loro originali. *Quem ſecundum librum ultima die cujuslibet ſemeſtris debeant in civitate Neapoli in Archivio publico coram Præpoſito conſignare Conſervatori archivii, conſervandum ad perpetuam rei memoriam; debeatque Præpoſitus ipſe in libro matriculæ ſcribere præſentationem dicti libri dicto Conſervatori factam, & diem ipſius præſentationis, & aſſignationis. Nec valeat ipſe Conſervator dare alicui copiam rogationum, in dictis libris ſibi præſentatis, contentarum, niſi quando rogationes ipſius Notarii quacumque ex cauſa haberi non poſſint, quia forte deperditæ vel combuſtæ, vel ex aliqua alia cauſa juſta; quo caſu ad dictum librum in Archivio præſentatum, tanquam ad regeſtrum publicum, quod plenam fidem faciat, ubique recurſus haberi poſſit . . . . Extra vero civitatem Neapolis ſimilis obſervantia, & conſignatio fieri debeat in locis, ubi publica jura conſervari conſueverunt, Conſervatoribus dictorum jurium publicorum.* Prudentiſſima ſane lex, & quæ ſola innumerarum litium occaſionibus præcidendis ſufficeret; nam præter conſervationem ſcripturarum pro memoria poſterorum, ſua pecunia diligentes creditores non ita facile fraudarentur; & crimina ſtellionatus magna ex parte removerentur. Sed neſcio quo fato, leges publico utiliſſimæ utplurimum in hoc Regno vel abſoleſcunt, vel malitia, atque ignorantia conſpirante, male ad exequutionem perducuntur. In notis ad *cit. prag.* ſic ſcribit Tapia: *Hoc hodie non ſervatur, quia hoc Archivium nunquam fuit confectum; imo tempore illuſtriſſimi Comitis de Lemos Regni Proregis fuit iterum tractatum de hoc Archivio conficiendo; & quia hæc fideliſſima civitas variis ex cauſis contradixit, non fuit ad actum deductum.*

IX. Pro commodo, utilitateque publica in pragmaticis ſanctionibus quædam ſtatuta ſunt, ut protocolla conſerventur tuto, & bona fide, præſertim poſt mortem Notarii. Primo Notariorum unuſquiſque tenetur ſcripturas eadem in civitate habere, in qua eas confecit; unde protocolla non poſſunt transferri in alium locum *prag. 9. cit. tit.* Quæ licet loquatur tantum de civitate Neapoli; tamen ratio efficit, ut & idem in ſingulis totius Regni, ſive oppidis, ſive vicis dicamus; ſiquidem damno, & incommodo afficerentur contrahentes, omneſque, quorum intereſt exemplaria authentica ſcripturarum habere, ſi tenerentur inquirere quonam Notarius tranſtulit origina-

gina-

Digitized by Google

ginales ſcripturas ; & cum diſpendio longinquiora loca petere. Ex eadem ratione jubet pragmatica, ut mortuo Notario heres non debeat amovere ſcripturas ; & ſi fortaſſis ejuſdem officii ſit imperitus, teneatur intra decem menſes illas tradere uni ex Notariis ejuſdem loci. Eodem pertinet *pragm.* 11. *cit. tit.*, ubi & illud cavetur, tradendas eſſe ſcripturas Notario loci vicinioris, ſi fortaſſis ubi degebat Notarius, nullus adſit ejuſdem officii. Emolumenta autem dividenda decernit pragmatica inter heredem Notarii mortui, & eum, cui ſcripturæ traditæ ſunt, vid. *prag.* 12. *eod.* in qua & coercentur exactiones Notariorum pro ſalario, ſive ſportulis, quæ ad certam ſummam rediguntur in Notario Regiæ Curiæ, ſcilicet cui ſpeciale munus datur ſcripturas omnes conficiendi pro negotiis pertinentibus ad patrimonium Principis, vid. *prag.* 7., & 8. *eod. tit.* In ceteris Notariis optime ea de re proviſum fuit a Ferdinando Aragonenſi in *pragm.* 4. *eod.* ad hunc modum : *Pro rogationibus uſque ad vigintiquinque unciis ; tareni duo cum dimidio : a vigintiquinque uſque ad quinquaginta, tareni quinque : a quinquaginta uſque ad ſeptuagintaquinque, tareni quinque : a quinquaginta uſque ad ſeptuagintaquinque, tareni ſeptem cum dimidio : a ſeptuagintaquinque uſque ad centum, tareni decem : ultra centum, quantumcumque ſit quantitas, tareni quindecim; ultra quam mercedem nihil petere poſſint, nec exigere, ad pœnam dupli ejus, quod ultra petierint, & exegerint.* Cum admodum perſpicua ſit hæc conſtitutio, omnes ceſſare deberent injuſtæ Notariorum exactiones, ſi ſua apud nos legibus conſtaret vis, & auctoritas. Sed quoniam illæ utplurimum inanes redduntur, præcipue ubi agitur de privato commodo, ideo ſportulæ Notariorum arbitrariæ factæ ſunt. Nec res magnum haberet momentum, ſi id pertineret ad arbitrium boni viri, non ad ſimplicem eorum voluntatem. Et quod deterius eſt, ſi quis ad legem ſcriptam procuraverit, ſtatim in fraudem illius præſto ſunt cavillationes ; nam vulgo reſpondetur, legem loqui de originali ſcriptura, non de exemplari authentico, in quo conficiendo arbitraria ſit exactio. Verum hæc reſponſio, & menti conſtitutionis adverſari videtur, ut colligi poteſt ex illis verbis : *nec in dicta mercede computetur illud, quod ſupra taxatum adparet pro ſcriptionibus, & ſubſcriptionibus, & pro ſecundi libri regiſtratione* ; & ſi vera eſſet, illud tantum efficeret, ut ex qualitate laboris decerni deberet ſalarium, non ut Notarii peterent quod eorum unicuique libet.

CA-

CAPUT V.

De publicorum inſtrumentorum vi & effectu; & quid ſervare debeant Notarii, ut illa dicantur guerentigiata, ſecundum vulgarem fori loquutionem.

SCio Pragmaticos jactare paſſim, paratam inſtrumentorum exequutionem Romanis legibus incognitam & tantùm municipali jure ſtatutam eſſe; unde concludunt, moribus noſtris majorem vim tribui publicis ſcripturis & ex eis ſecuriori via perveniri unumquemque poſſe ad ſuum conſervandum, preſequendumve in judicio quod ſibi debetur. Vellem equidem & res ita ſe haberet; ſed acutiori ingenio qui pollent, & antiqui Romani fori hiſtoriam callent, necnon qui experientia rerum quotidianarum docentur, dum vident ſæpiſſime apud nos, ex publicis, ſolemnibuſque inſtrumentis quæſtiones judiciarias quam longiſſime protrahi, & non ſemel finem rei noſtræ conſequendæ non inveniri, ſuperiorem aſſertionem ſibilo explodunt, ejuſque propugnatores irrident. Sed age breviter videamus quam futili ea innitatur fundamento, ut vulgarium Doctorum inſcitia aperiatur & ut ab injuria vindicetur veterum Romanorum in legibus condendis peritia; ne videantur homines ſapientiſſimi ignoraſſe rationem exequutionis paratæ publicis ſcripturis tribuendæ.

II. Ne autem cum turba nobis res ſit, in medium producamus de Franchis, qui inter noſtros Pragmaticos primas tenet: hic ſane *deciſ.* 118. *n.* 5. ſic ſcribit: *inſtrumenta de jure communi non habent exequutionem paratam l. ſi minor &c.* Ei concinit Rovitus *rubr. tit. de inſtrum. liquid.* illis verbis: *Pro hujus rubricæ intelligentia noſſe debent tyrones, quod de jure communi nullum inſtrumentum quantumvis publicum, ſolemne, habet promtam, & paratam exequutionem, ſed debet ordinarie in judicio deduci, & præſentari, ut porrecto libello, conſumatiſque omnibus actis ordinatoriis, exinde feratur ſententia definitiva, ut probat textus &c.* Priuſqu m rationibus utamur ad hanc opinionem evertendam, examinemus breviter argumenta, quibus utitur Rovitus. Primo loco citat *l. ſi cum dotem* 22. §. *eo autem tempore D. ſoluto matrim.* Agit ibi Juriſconſultus de actione repetendæ dotis ſoluto matrimonio, quæ patri ſimul cum filia, quæ in ejus poteſtate eſt, competit: ſed quoniam idem Ulpianus docuerat in *l.* 2. §. *quod ſi eod. tit.*, patrem ex voluntate ſive conſenſu filiæ agere poſſe: ideo in *cit.* §. *eo autem tempore* addit, conſenſum præcedere judicium debere, ſive conteſtationem litis; hoc eſt antea debere filiam conſentire patri, volenti reſtitutionem dotis petere in judicio, quam lis ſit incœpta ex conteſtatione. Sed quid hoc ad inſtrumentum? Præſumit Rovitus, quod ignorabat Ulpianus, ſaltem quod in verbis illius omnino non apparet; ſcilicet in ſpecie propoſita confectum fuiſſe inſtrumentum ſolemne in dote conſtituenda, unde poſtea ex eo pater agere debebat pro reſtitutione illius.

Sed ubinam gentium Rovitus auctores inveniet, ut probare poſſit, ætate Ulpiani per publicos Notarios certis ſolemnitatibus adhibitis dotes ſolitas fuiſſe conſtitui, prout temporibus noſtris obtinet, appellamuſque vulgo *capitula matrimonialia?* Certe idem Ulpianus in *fragm. tit.6.* triplicem tunc fuiſſe nos docet dotis conſtituendæ modum illis verbis*: Dos aut datur, aut dicitur, aut promittitur*. Quod ſic explicant Cujacius, Schultingius, aliique docti Interpretes: *Dabatur* dos præſenti marito, aliquando eo ritu, ut apud Auſpices conſignaretur; fortaſſis, ut bono omine matrimonium auſpicaretur. *Dicebatur* dos quando in ea conſtituenda ſolemnia quædam adhibebantur verba, citra ſtipulationem: ſint exempli loco verba *l. nuptura* 58. *D. de jur. dot.* ubi quædam mulier ſocero dotem ita promiſit: *Quod filius tuus mihi debet, id doni tibi erit*. Simile exemplum extat in *l. quemadmodum debitori D. eod. Quod mihi debes, aut fundus Sempronianus doti tibi erit*. Denique *promittebatur* dos per ſolemnem ſtipulationem. Sed hic iterum errare ſolent vulgo Doctores, dum mores noſtros cum antiquis Romanorum confundentes: ſtipulationem & confectionem inſtrumenti, pro una, eademque re accipiunt: apud Romanos eſſe poterat ſtipulatio, cujus vis conſiſtebat in interrogatione, & congrua reſponſione, etiam ſine ulla ſcriptura, quæ aliquando ſive publica, ſive privata adhibebatur ad probationem tantum rei geſtæ. At uſus apud nos fert, ut non intelligatur ſtipulatio, niſi cum publicum conficitur inſtrumentum coram Notario. Rovitus igitur credidit, Ulpiani mentem fuiſſe, ut cum de repetenda dote ageretur, publicum inſtrumentum manu Notarii confectum, & coram judice exhibitum. Sed concedamus de inſtrumento, ſive capitulis matrimonialibus loquutum eſſe Ulpianum, quid tum poſtea? Fieri potuit, ut in ea ſpecie inſtrumentum conſuetis ſolemnibus firmatum non fuerit, ut fuerint minus idonei teſtes &c. quemadmodum & temporibus noſtris ſecundum Regni jura, licet exequutionem paratam habeant inſtrumenta, tamen evenire ſolet, ut ex iis agatur *ordinarie*, ut noſtri dicunt, quando dubitatur de validitate inſtrumenti. Concederet utique Rovitus, male ratiocinari eos, qui ubi aliqua occurrit ſpecies, unde apud nos aliquando ex inſtrumento actum fuit, juſta de cauſa, ordinario judicio, inferret generaliter, in Regno Neapolitano inſtrumenta non habere exequutionem paratam. Et nihilominus ipſe ſic ratiocinatur: in ſpecie Ulpiani mentio ſit litis conteſtatæ, dum agitur de repetenda dote: igitur de jure Romano non dabatur promta exequutio inſtrumentis.

III. Poſſem hic & alios errores aperire, qui proficiſcuntur ex ignorantia juris antiqui. Apud Romanos conteſtatio litis longe aliter accipietur ac apud nos in præſenti. Primis temporibus Romæ ſic uſus erat ex Rævardo *procrib. c.* 11. *Dato judice a Prætore, & in litis verba jure compoſito, hoc eſt ordinato judicio, in perendinum diem, ut ſi Aſconio credimus, ut ad judicium, hoc eſt ad datum judicem veniret, utraque pars invicem ſibi denunciabat; & a Prætore decedens, ad eos, qui tribunal aſſiſtebant, hæc quoque ſolemnia verba pronunciabat TESTES ESTOTE; iiſque verbis litem dicebantur actor, & reus conteſtari; auctore Feſto.* Abolitis autem iis ſolemnitatibus, conteſtatio litis in jure Romano tunc dici-

dicitur, cum actor intentionem ſuam proponit in libello, reus negat; nam ex negatione naſcitur lis, & controverſia judicialis, quaſi quod ſimul illi teſtentur, ſe litigare velle. Hinc in *l. rem* 12. §. *patroni C. de judic.* Juſtinianus ſic ait, *cum lis fuerit conteſtata, poſt narrationem propoſitam, & contradictionem objectam*, vid. *Cujac.9. obſerv. c.* 21. At pragmatici litis conteſtationem pro formula, ſive decreto a judice interpoſito accipiunt; unde aſſerunt conteſtationem litis in Regno conſiſtere in *datione termini*, hoc eſt quando judex per decretum ſtatuit certum tempus, intra quod probationes judiciariæ ab utroque litigante fieri debeant. Sed hoc nihil aliud eſt, quam vocabulis abuti, & quod non intelligitur, pro comperto affirmare. Etiam apud Romanos olim Judices litigantibus mandabant, ut eorum unuſquiſque ſive quod ajebat, ſive quod negabat, probaret; ſed tale mandatum, nunquam adpellarunt conteſtationem litis. Et ſuavem admodum ad ridendi materiam ſe præbet Riccius *prax. civil. part.* 3. *lib.* 1. *c.* 11. dum ſic ſcribit: *Conteſtatio litis in Regno noſtro, ubi* (ſi Diis placet) *de plano proceditur, non requiritur, ut de jure communi requirebatur antiquitus: tamen dato termino ad probandum hodie vicem conteſtationis ſuſtinet, Sanfelic. &c. Muſcatellus &c., quia in Regno ſummarie proceditur, Mutill. &c.* Et infra: *Conteſtatio litis in Regno non eſt neceſſaria, ut omnes Doctores concludunt; & ideo conceſſio termini ad probandum habet vim litis conteſtationis*. Poteſtne ineptius quidquam effutiri? Igitur in Regno, ad ſtatuendam litem, & controverſiam judiciariam, neceſſarium non eſt, ut actor affirmet petendo, reus contradicat negando? Quapropter his erroribus imbutus Rovitus facillime a vero ſenſu verborum Ulpiani aberravit; etenim dum in ejus reſponſo mentio fit litis conteſtatæ, id intellexit Rovitus de *datione termini ad probandum*, quod ex uſu forenſi denotat judicium ordinarium: at Ulpiani ætate dum dicebatur conteſtatio litis, intelligebatur diſceptatio judicialis, hoc eſt affirmatio actoris & negatio rei; idque interveniebat non minus in cauſis liquidis, quam illiquidis; ſive, ut forenſes nunc loquuntur, *exequutivis & termini ordinarii*. Unde ſequitur, potuiſſe Juriſconſultum de actione repetendæ dotis loqui, quæ proveniebat ex publico inſtrumento; & nihilominus conteſtationem litis nominare; nec propterea ſequitur, tum temporis ex inſtrumento paratam exequutionem non dari ſolitam; ſiquidem eo ipſo quod reus detrectabat ſolutionem, dicebatur lis conteſtata, quod accidebat in unoquolibet judicio.

IV. Alterum argumentum, quo de Franchis, & Rovitus utuntur, deſumitur ex *l.minor* 41.*D. de minor.* ſpecies hæc eſt: Minor judicium inſtituit de fideicommiſſo, ſive de legato verbis fideicommiſſi relicto, & favore ejus pronunciatum fuit; unde ex re judicata debitor idemque heres tenebatur in promtu, in continenti illud ſolvere. At minor, ſive dolo heredis, ſive ſua facilitate inductus, ei caverat, ſe legatum accepiſſe: contra debitor pro eo cautionem ſcripſit, qua fatebatur, ſe eandem ſummam legato comprehenſam mutuam accepiſſe a minore. Unde novatio facta fuit, prioris ſcilicet debiti ex cauſa judicati, in no-

vam cauſam mutui. Quærit Ulpianus, an ex hoc facto competat minori reſtitutio in integrum; & affirmat, rationemque eleganter reddit his verbis: *quia paratam ex cauſa judicati perſequutionem, novo contractu ad initium alterius petitionis redegerat*. Quibus verbis ſignificatur, læſum eſſe minorem, adeoque reſtituendum, & reducendum in priſtinum ſtatum, cum actionem habebat ex judicato, quia hæc actio eſt litium finis, ait Cujacius, creditum eſt initium: ſiquidem adverſus creditum competit exceptio non numeratæ pecuniæ, quæ non datur adverſus rem judicatam. Ex hac ſpecie communiter Doctores inferant, & uno ore omnes axioma ſtatuunt: *jure Romano inſtrumenta non habent vim exequutivam*. Sed primum omnium quæro, ubinam Ulpianus inſtrumentum nominat? ait equidem *cautionem fecerat*: ſed cautio generale nomen eſt, eaque fieri poteſt ſive per publicam ſcripturam ſive per privatam: in caſu noſtro privatam utique Cujacius intelligit, nam interpretatur *chyrographum*; quod vocabulum utplurimum denotare ſolet ſcripturam privatam manu debitoris confectam, ſive ſubſcriptionem illius, vid. *l. penult. D. de teſtam.* Fefellit Doctores noſtros nimia Bartoli auctoritas, hic enim cit. *l. minor* hanc ſummam affingit: *Stipulatio, per quam novatur actio judicati, non habet paratam exequutionem, & adhoc minor poteſt reſtitui*. Divitum hic agit Bartolus, non interpretem: quandoquidem cautio, cujus meminit Ulpianus, intelligi poteſt etiam ſine ulla ſtipulatione; imo ex conſtit. Juſtin. in *l. 3. Cod. de verb. ſignif.*; ubi ſimpliciter cautio nominatur, intelligendum eſt de nuda repromiſſione, hoc eſt ſine fidejuſſoribus, ſine pignoribus, ſine juramento. Et quamvis ſtipulatio inita fuiſſet in ea ſpecie, tamen nihil hoc ad inſtrumentum; nam mores, & uſus loquendi apud nos, ut jam dictum eſt, ſtipulationem cum confectione inſtrumenti confundunt: quod apud Romanos erat tantum *ex accidenti*. Sed concedamus, creditorem in publico inſtrumento cautionem minori feciſſe, quid tum poſtea? Ulpianus ſane illud tantum aſſerit, novo contractu paratam ex cauſa judicati perſequutionem ad initium alterius petitionis redactam fuiſſe. Igitur, dicunt noſtri, inſtrumentum non habet exequutionem paratam, nam ſecus quid opus erat reſtitutione in integrum? ratio etenim Ulpiani illa fuit: datur reſtitutio, quia ex inſtrumento ſublata eſt parata exequutio, quam habebat minor ex cauſa judicati. Sed erronea hæc Doctorum argumentatio eſt; ſiquidem ex ſuperiori ratione efficitur tantum, majorem vim rebus judicatis ineſſe, adeoque tutius nobis caveri, cum quid conſequi debemus ex re judicata, quam ex conventione, licet publico inſtrumento comprehenſa; nam adverſus illam exceptiones, dilationeſque judiciariæ non competunt eodem modo, ac adverſus conventiones: quod utique facit, ut minor dicatur læſus, & propterea reſtituendus, quoties abſque neceſſitate firmiorem, ſecurioremque obligationem omiſit. Quæ eadem ratio expoſcit, ut etiam in hoc Regno, ubi pro comperto eſt, inſtrumenta exequutionem paratam habere, ſi idem caſus accideret, reſtitutio competeret; ſiquidem datur inſtrumentis promta exequutio, ſed non eodem modo, ac rebus judicatis; nam quis neſcit, præter formationem libelli, mandata

ta reo injuncta de ſolvendo &c. quot quantæque ſint quotidie apud nos oppoſitiones dilationeſque adverſus publica, & ſolemnia inſtrumenta, unde creditores ex iis poſt longiſſimi temporis ſpatia vix modum invenire poſſunt conſequendi quod ſibi debetur? Quis ergo æquitatis regulis imbutus apud nos denegaverit reſtitutionem in integrum minori, qui novationem fecit rei judicatæ in novum contractum inſtrumento comprehenſum? nec propterea dicetur recte, in Regno Neapolitano non habere inſtrumenta paratam exequutionem; quemadmodum nec dici poteſt in ſpecie Ulpiani.

V. Non omnia autem inſtrumenta viam exequutivam habere dicunt Forenſes, ſed ea tantum, quæ ſunt *guarantigiata*. Hoc ſane vocabulum barbarum eſt, nec de ejus origine ſatis conſtat. In libris feudalibus legitur *guarentare*; quod verbum ſic exponit Hothomanus *de verb. feud. Guarentare vel eſt, ut in aliis libris, guarentiſare, pro cauſam alterius ſuſcipere, defenſorem ſe profiteri. Priſcum Francorum verbum, quod in Francogalliam invectum eſt guarent, quo ſignificatur is, qui Latinis auctor dicitur, & evictionem præſtat, lib. 2. feud. tit. 34. §. 2. In Lombardis tamen lib. 2. tit. 36. de evict. latine adpellatur auctor. At in ſpeculo Saxonico dicitur Varandator art. 9. &c.* ab Hothomano non videtur diſſentire Cujacius *lib. 4. feud. tit. de lege Corradi*. Hinc creditur vernaculo ſermone apud Gallos vocabula profecta *garant*, *garantire*, pro fidejuſſore, fidejubere. Et quoniam obligationes, quibus fidejuſſiones accedunt, firmiores cenſentur; ideo credendum eſt, barbaris temporibus inſtrumentum ſolemne, & in quo omnia ex juris præſcripto obſervata erant, guarentigiatum adpellatum fuiſſe, quaſi firmum, & omnibus numeris abſolutum ad probationem legitimam faciendam in judicio, ſive, ut vulgus loquitur, ad obtinendam viam exequutivam. Hæc interpretatio conſona eſt Baldi ſententiæ, qui ad *cit. tit. feud.* notat *guarantare* eſſe verbum Thuſcorum, qui adpellant inſtrumentum *guarantigiæ* firmitatis, ut præciſum, cui omnino ſtandum eſt. Ex his igitur ſi quis velit inſtrumentum *guarentigiatum* definire, ſtatim dixerit, illud eſſe, quod ſecundum formam juris confectum eſt, ſcilicet in quo ea omnia ſervata ſunt, quæ leges noſtræ præſcribunt, tum circa perſonam Notarii, Judiciſque ad contractus, tum circa numerum teſtium, de quibus ſupra; & in ſumma quoties revera eſt ſcriptura publica, de cujus fide nulla oritur dubitatio in judicio, vel extra.

VI. Verum Pragmatici hujus Regni, qui rerum verborumque myſteriis obvia quæque, & naturali rationi conſona involvere ſolent, & perceptu difficiliora reddere; clauſulam, ut ipſi dicunt, *guarentigiæ*, conſiſtere ſcribunt in præcepto, quod fit partibus de ſolvendo, ſive præſtando quod in conventionem deductum eſt; idque ſic exprimit Petra *in com. ad rit. 166. n. 9. Illam tamen obtinent* (intellige paratam exequutionem) *ſi guarentigiata, ſeu confeſſata ſint* (hæc interpretatio ſane lepida eſt, nam qui fieri poteſt, ut contrahentes, qui ſponte paciſcuntur, non confiteantur ſeſe obligatos? Unde ex hac interpretatione ſequitur, quamcumque ſcripturam, in qua confiteatur quis ſe debitorem, dici poſſe guarentigiatam) *ut in Regno, ubi interventu Judicis cartula-*

rii

rii , qui dicitur Judex ad contractus, efficitur guarentigiatum inſtrumentum , propter præceptum , quod intervenit de ſolvendo coram ipſo , confeſſo a contrahentibus debito, Maranta in ſpec. . . . Caravit. &c. Affirmaverim libenter , aliud cogitaſſe Petram , dum hæc ſcribebat ; nam uſus fert , ut Judex cartularius non ſolum nihil præcipiat contrahentibus, ſed ne loquatur quidem ; imo ſæpiſſime qui interſunt inſtrumento , ignorant quinam ſit ille Judex ; ſiquidem omnia peragere ſolet Notarius . Et propterea Pragmaticorum alii illud præceptum , a Judice & a Notario ſimul fieri ſcribunt . Sed quoniam errorum , ineptiarumque difficile eſt inveſtigare originem, earumque certam cognitionem aſſequi; ideo a ſuperiori ſententia quidam diſcedunt , aſſerentes , *guarantigiam* conſiſtere in juramento præſtito, vel in pœna promiſſa . Sunt qui adhuc diſſentiunt , neceſſarium exiſtimantes etiam pactum , ut liquidari poſſit inſtrumentum . Qua de re acriter diſceptatum olim fuiſſe in Sacro Conſilio his verbis refert de Luca *obſerv. ad deciſ. 366. de Franchis n. 5. Sed quæritur , an poſſit liquidari inſtrumentum,in quo non fuit data facultas liquidandi inſtrumentum ? & Dominus meus* (de Franchis) *affirmat* ; *& ita deciſum teſtatur ; quem refert , & ſequitur Pratus lib. 1. diſcept. 15. n. 60. & raro oppugnari inſtrumentum ex hoc capite dicit Danza n. 77. Contrarium refert judicatum Thorus v. liquidari inſtrumentum . . . . licet referat, pendere reclamationem in Sacro Conſilio , quia inſtrumenta de jure communi non habent exequutionem paratam , etiam jurata ; ergo omiſſa dicta clauſula , videtur contractum juxta jus commune . Veriorem cenſeo priorem opinionem* . Hic licet exclamare : Tantum errores poſſunt ſuadere malorum! Et ſane vulgaris error , inſtrumenta jure Romano non habere exequutionem paratam , multis diebus negotium fecit Senatoribus Sacri Conſilii, ad audiendas otioſas, puerileſque Advocatorum diſceptationes , & ad pugnantes inter ſe definitiones proferendas . Et , quod malorum eſt peſſimum , ex iiſdem erroribus , fides conventionum aut in totum ſubvertitur, aut ſaltem ex injuſtis dilationibus , litium anfractibus , & immodicis expenſis , labefactatur. Omiſſa igitur neceſſitate hujus pacti concludunt Doctores noſtri , ex juramento vel pœna inſtrumentum dici guarentigiatum ; quod hoc modo Riccius videtur innuere *in prax. civil. judic. exequut. tit. 1. c. 5. ſpec. 1. Amplia, vel potius declara , quod ritus 166. dat exequutionem paratam inſtrumento , ſi contineat juramentum , vel pœnam ; adeo quod adhuc ſi in inſtrumento non adſit pactum , ut poſſit liquidari , ſine dicto pacto , liquidatur , de Franchis &c. . . . . quia in Regno inſtrumentum habet exequutionem paratam , etiam ſine dicto pacto , ex d. ritu 166. ex verbis d. ritus , ibi : Si in inſtrumentis contineatur pœna pecuniaria, vel juramentum , vel alterum eorundem , ſtatim incarcerantur ; ita Merlinus &c.* Sed quoniam Forenſes, qui *Practici* dicuntur, tertio quoque verbo, dum agunt de inſtrumento *guarentigiato* , provocare ſolent ad *d. ritum*, eumque interpretes immenſis onerarunt commentariis , ex quibus profecta eſt ſpecialis praxis liquidandi inſtrumenta ; age breviter videamus , quinam ſit illius clarus , & genuinus ſenſus .

VII.

Digitized by Google

VII. Quamvis raro olim ſolita eſſent in conventionibus apponi juramenta, quæ cenſebantur non majorem vim habere, quam ipſæ in ſe continent conventiones; tamen ex quo canonum auctoritate obligatio juramenti ſtrictior facta, paſſim uſus induxit in ſcripturis, præſertim ſolemnibus, juramentum præſtari. Sed non propterea fides conventionum ſervabatur diligentius, cum ſoleant hominum plerique religionis metu parum moveri, ubi de commodo vel incommodo præſentando agitur. Hinc majores noſtri, ut carcerum timore adigerentur debitores ad præſtanda ea, quæ in publicis inſtrumentis promiſerunt per juramentum, aut per pœnam appoſitam, praxim forenſem ſtatuerunt, relatam poſtea a Compoſitoribus in *cit. ritu*, ut præſentato in Magna Curia per creditorem publico, & ſolemni inſtrumento debitor auctoritate ipſius Curiæ citetur, *certo termino peremtorio ei dato* (hæc ſunt verba ritus, ad denotandum, non plureis citandum eſſe debitorem, ſed ſemel tantum, cum ſatis conſtet de ejus debito ex fide publica inſtrumenti; peremtorie enim dicitur citatus debitor, quoties pro tribus citationibus, quæ jure ordinario requiruntur, ut dici poſſit contumax, citatur ſemel tantum; quaſi quod ex unica citatione ceteræ perimantur). Et quo rectius ſtatim diſceptari poſſit in judicio de iis, quæ fortaſſis in ſui defenſionem afferenda ſunt a reo, jubet ritus; ut tam ipſe, quam actor, ſive creditor comparere debeant *perſonaliter*; nam licet in cauſis pecuniariis uſus procuratorum paſſim admittatur, tamen, ubi agitur de fide publica ſcripturarum conſervanda, ſic placuit decerni, ne mora interponatur judicio, uſquedum procuratores inſtruant ipſos principales ſuper objectis ex utraque parte; & ne detur occaſio vanis oppoſitionibus, exceptionibuſque, prout paſſim fieri videmus per procuratores. Perſpicua admodum ſunt verba ritus: *In ipſa Curia perſonaliter compareant* (debitores) *reſponſuri ſuper tenoribus inſtrumentorum: ſimili modo comparere debeant perſonaliter creditores reſponſuri ſuper his, quæ verſa vice de jure competunt, ad relevamen debitorum eorundem; ipſiſque partibus, in iudicio comparentibus, interrogantur principales debitores, ſeu eorum fidejuſſores, ſuper tenoribus inſtrumentorum, quæ præſentabuntur in ipſis Curiis, ſeu altera ipſarum* (loquitur hic ritus de Magna Curia, & de Curia Vicarii, quæ ea ætate adhuc erant diſtinctæ, ut alibi monuimus; & in utraque poterant præſentari inſtrumenta, ſive ex iis agi adverſus debitores) *per creditores eorundem; præſtito prius per eos de veritate dicenda corporali ad ſancta Dei Evangelia juramento*. Quæ ſequuntur in *ritu* æquitatem continent, & rationem juris; nam ſi interrogatus reus, fateatur verum eſſe inſtrumentum, & quæ in eo continentur, ſcilicet ſe revera debitorem eſſe; tunc ſequi debet condemnatio: etenim præter veritatem debiti, adeſt hic confeſſio debitoris in judicio facta, quæ eandem vim habet, ac res judicata, prout colligitur ex Gellio *lib. 20. c. 1.* unde regula *l. poſt rem 56. D. de re jud.* in jure confeſſi pro judicatis habentur. At ſi debitor aſſerit, ſe ſolviſſe, ſive ſatisfeciſſe creditori, quoniam agitur de debito certo, & confeſſo, eadem ratione tenetur in promtu oſtendere judici ſatisfactionem ejuſmodi, cujus nulla adeſſe poteſt dubitatio, ideſt per aliam ſcripturam publicam; nam ſecus invalida, atque elu-

eluſoria redderetur vis inſtrumenti, ſi poſſet ex ſimplici debitoris aſſertione illius exequutio retardari. Dicet aliquis: igitur audiendus non erit debitor, ſi voluerit fortaſſis in judicio probare vel ſatisfactionem debiti, vel exceptionem aliquam adverſus inſtrumentum proponere? Hac de re quam rectiſſime cautum eſt in ritu, nempe carceribus mancipandum debitorem, quia jam conſtat de ejus debito, nec apparet ſatisfactio: e diverſo criminis videtur ille eodem tempore reus, tum ex pœna promiſſa, tum ex juramento præſtito; unde in vinculis debet cauſam dicere, uſquedum ſeſe exolvat a reatu; ideſt oſtendet ſatisfactionem, unde liberari poſſit a pœna pecuniaria, vel a perjurio; aliter condemnabitur tum ex cauſa civili, ideſt ex debito, tum ex criminali. Ne pigeat verba, quæ ſequuntur in *ritu*, hic apponere, admodum ſane perſpicua, quæ Doctorum commentaria velut dedita opera confundere, atque obſcurare conantur: *Et facta reſponſione per ipſos principales debitores, ſeu eorum fidejuſſores, per quam confiteantur, quod inſtrumenta ipſa, & contenta in eis vera ſint, quantumcumque aſſerant ſe ſatisfeciſſe dictis eorum creditoribus de debitis contentis in inſtrumentis: niſi in promtu, & in ipſo inſtanti doceant de ſatisfactione ipſa; ſi in inſtrumentis contineantur pœnæ pecuniariæ, vel juramenta, vel alterum eorundem, ſtatim incarcerantur; & datur ipſis debitoribus ſeu eorum fidejuſſoribus terminus ad probandum ſolutionem prædictam; & ſimiliter datur terminus dictis creditoribus ad probandum, ſi qua eis competunt ad præmiſſa; & interim donec probent legitime ſolutionem prædictam, debeant in vinculis cauſam dicere. Quam ſolutionem, ſi infra dictum terminum non probaverint, teneantur ad pœnas pecuniarias, & juramentorum, contentas in inſtrumentis jam dictis; & nihilominus ſatisfacere debeant eorum creditoribus de debitis memoratis*. Quæ ſtatuuntur in calce *ritus* ex eadem ratione proficiſcuntur; nempe, in vinculis audiendum eſſe reum intra terminum legitimum, ſi fortaſſis probare voluerit falſitatem inſtrumenti, vel alios ejuſdem *defectus*. At ſi id probatum non fuerit, præter pœnam promiſſam, damnabitur & alia, quod falſis allegationibus uſus eſt. Sed quoniam æquitas ſuadet, ut reo ſuccurratur verum aſſerenti, ſic concludit ritus: *Et ſi debitores incontinenti vel in vinculis exiſtentes probaverint ſolutionem, falſitatem, vel defectus prædictos; tunc & eo caſu creditores ipſi puniantur pro qualibet uncia in uno auguſtali. Quæ pœna pro medietate applicetur Fiſco, & reliqua medietas parti læſæ perſolvatur; & eo facto debitores ipſi de facto liberentur*. Quæ in hoc ritu ſtatuuntur, ſi abſque fraude, & cavillationibus ſervata fuiſſent in foro, nec pravis Doctorum opinionibus in alium ſenſum tranſlata, aut ſcribarum, & actuariorum inutilibus, atque otioſis formulis obruta; utique optime conſultum eſſet creditoribus, & bona fides conventionum obtineret apud nos. Sed contrarium & uſus quotidianus in foro, & novæ leges ſatis ſuperque oſtendunt, quæ leguntur digeſtæ ſub *tit. prag. de inſtrum. liquidatione*, quaſque explicabimus ſuo loco. Ex iis enim apparet, quot modis praxis forenſis tentavit & tentat adhuc vim legum infirmare, & conventiones eludere; idque imperitum vulgus adpellat *doctrinam legalem, practicam periti advocati, procuratoriſque in cautelis cauſarumque directione ſolertiam*.

VIII.

Digitized by Google

VIII. Sed revertamur ad clauſulam *guarentigiæ*. Dum Forenſes ad *ritum* provocant, videntur ejus mentem non percepiſſe; ſiquidem non de clauſulis notariorum, non de pactis exequutivis, ut ajunt, aliiſque ejus generis quiſquiliis ibi agitur; ſed tantum de facili brevique methodo judiciario pro compellendo debitore ſine mora & fraudibus, ad ſolvendum quod debet. Et ſane ſupra omnem feſtivitatem eſt, quod vulgo jactatur in foro, inſtrumenta *viam exequutivam* habere ex vi pacti exequutivi in iis adpoſiti; nam quid opus eſt expreſſione pacti exequutivi cum ipſa conventio inter partes nominatim inita, ut alteruter teneatur certa die, aut uterque invicem; & mora jam contracta in ſolvendo, ſtatim exequutionem expoſcant? Hic Forenſes conturbant jus naturale, cum conventionum vim, non in conſenſu contrahentium, non in regulis bonæ fidei ponunt, ſed in verbis utplurimum inutilibus, atque otioſis. Conſuetudo in foro obtinet, ut quando adeſt clauſula *guarentigiæ*, inſtrumentum liquidari poſſit *via ritus*, ut ajunt; ſecus inſtituitur judicium per præcepta de ſolvendo, vigore pacti exequutivi: quod pactum, ait cit. Petra *in d. rit. n.* 10. reſultat ex clauſula *cum poteſtate capiendi*. Sed fingamus, tale pactum omiſſum, an propterea contractus quibuſcumque verbis celebratus, & cujus legitime adeſt probatio per ſcripturam publicam, non habebit coram Judice exequutionem paratam? Et quid intereſt, utrum dicatur, an ſecus, creditori poteſtatem tribui debitoris bona capiendi; cum obligationis cujuſcumque natura hæc ſit, ut ſuper bonis debitoris ſatisfieri debeat creditori? Nec ea clauſula, ut verba ſonant, ejuſmodi facultatem ſic tribuit, ut propria auctoritate poſſit creditor bonorum debitoris poſſeſſionem nanciſci; ſiquidem privatis id nunquam licet, & ſemper opus eſt miniſterio Judicis. Quod idem obtinet in clauſula *conſtituti*, & *precarii*, a ſemidoctis pragmaticis inventa, & paſſim uſurpata a Notariis, qui vocabulorum vim ignorando, ſolent ea uti etiam ubi a propoſito eſt aliena.

IX. Quæ hactenus diſputavi eo pertinent, ut appareat, Notariorum munus in inſtrumentis conficiendis non debere in formulis, conceptionibuſque verborum conſiſtere, ſed primum omnium in cura, ſtudioque fidei publicæ conſervandæ in ſcripturis ſine fraude, & dolo malo, tum ex præſcripto naturalis honeſtatis, tum legum noſtrarum. Deinde debent illi omni diligentia providere, ut clare, & perſpicue conventiones, ſupremæque hominum voluntates concipiantur & ſcribantur, ne dubiis, aut ambiguitatibus detur occaſio. Quo fit, ut Judices litium multitudine, moleſtiſque occupationibus deſtituantur in interpretanda verborum ineptitudine, quæ frequenter occurrit in publicis ſcripturis; & eodem tempore, ubi ſatis conſtat per inſtrumentum legitimum de conventione, parum aut nihil penſi habere debeant de his, vel illis formulis Notariorum, de hac vel illa methodo judiciaria agendi, quæ non ſemel arbitrio ſcribarum introducta difficiliorem reddit rationem juris noſtri obtinendi.

Digitized by Google

C A P U T VI.

De aliis generibus ſcripturarum fieri ſolitis per publicos Notarios.

NOn jure ſcripto, ſed conſuetudine, & uſu introductæ ſunt apud nos apochæ, quas vulgo dicimus *banchales*; iiſque publicarum ſcripturarum vis tribuitur, quoties adeſt Notarii ſubſcriptio. Quamvis autem nemo pene ſit ex ſcriptoribus forenſibus, qui de his apochis non tractet: tamen ne unus quidem in tanta turba reperitur, qui originem ejus generis ſcripturæ, ſaltem conjecturis, proponere conatus ſit. Dixi eas conſuetudine inductas, ſiquidem nullibi in legibus Regni adparet veſtigium, unde primum adfirmare poſſumus apocharum *banchalium* mentionem fieri: nam §. 6. *prag.* 63. *de offic. proc. Cæſar.* quem mox explicabimus, loquitur de apochis, tanquam ſcripturis jamdiu receptis. Cum menſæ Nummulariorum vulgari vocabulo apud nos dicerentur *Banchi*; cumque in iis privatorum pecuniæ ſecuritatis gratia deponerentur: qui debitores cavere ſibi volebant, antea pecuniæ debitæ faciebant depoſitum in uno ex publicis *Banchis*, & poſtea per chirographum mandabant Nummulariis, ut eam pecuniam ſolverent ſuo nomine creditoribus: & quia mandatum dirigebatur *Bancho*, ſive adminiſtratoribus illius; ideo illud mandatum in ſcripturam redactum: dici cœpit *apocha banchalis*: quod ex eo ſatisfactum eſſet creditoribus per ſolutionem factam in publico *Bancho*; & illud mandatum haberetur tanquam confeſſio, ſive receptio pecuniæ jam ſolutæ; id enim in uſu latini ſermonis, & in jure Romano, apocha proprie ſignificat, prout his verbis exponit Cujacius *in parat. Cod. de fide inſtrum.*, *& de apochis*, *& antapochis faciendis*: *Apochæ*, *& antapochæ ſunt profeſſiones ſolutæ pecuniæ*, *ſed apocha debitori datur a creditore*, *antapocha creditori a debitore*. Per apocham igitur cavebatur debitori, ut ſcilicet hic oſtendere poſſet, ſe creditori ſolviſſe. Quod ipſum, ut diximus, obtinebat, & obtinet adhuc apud nos, quoties ſolutiones fiunt per *Banchum*. Uſum antapocharum apud Romanos receptum, moribus noſtris pene abolitum, ſic explicat idem Cujacius: *Ut ſcilicet quandoque antapocha fretus creditor*, *cum erit commodum*, *oſtendere poſſit*, *ſolutione uſurarum*, *vel redditnum interruptam fuiſſe præſcriptionem triginta annorum*, *ſi forte eam debitor opponat creditori eludendæ actionis cauſa*. Ex his verbis docemur, cur moribus noſtris nullæ amplius fieri ſoleant antapochæ; nempe quia omnis creditorum timor ceſſat, cum triginta annorum præſcriptiones abolitæ ſint; & in earum locum praxis forenſis induxit amiſſionem, ut dicitur, *viæ exequutivæ*; ſiquidem jure Romano ex conſtitutione Theodoſii ſenioris, ut notat idem Cujacius in *tit. Cod. de præſcript.* 30. *vel* 40 *an.* poſt annos triginta quæcumque actio perimitur omnino, ideſt nullo modo proponi poteſt; unde Caſſiodorus eam præſcriptionem vocat *patronam humani generis*. At Doctores noſtri male

male Romanas leges explicando, ad uſum fori ſic traducunt, ut aſſerant; per lapſum triginta annorum *viam exequutivam* impediri, ceterum jure ordinario, hoc eſt, ut ipſi dicunt, dato termino ordinario, adhuc agi poſſe. Quod ſane cum Romanis legibus manifeſte pugnat, quæ præſcriptionem induxerunt, tanquam finem ſollicitudinis & litium, ut loquitur Cicero in *oration. pro Cæcin.* Sed diſtinctio inter *viam exequutivam, & terminum ordinarium* ſollicitudinem civium, & lites auget. Illud autem ſolidæ juriſprudentiæ ſectatoribus ſtomachum movet, quod figmenta forenſia Romanis legibus affingunt; unde ſic ſcribit Michael Gizzius *obſerv. ad deciſ.* 50. *Capycilatr. n.* 8. *De jure tamen communi pactum exequutivum triginta annorum ſpatio præſcribitur, ut poſt infinitos DD. tradit D. Conſiliarius Carleval. . . . . ea ratione quia exequutio expeditur officio Judicis, quod tanto tempore præſcribitur, prout qualibet actio perſonalis, vel realis, prout Dominus meus hic &c.* Hæc verba ipſe Papinianus, ſi adeſſet, non intelligeret, nam in Romana juriſprudentia ignota vocabula ſunt *pactum exequutivum, & officium judicis præſcribi*. Ex ſuperiori diſtinctione inter viam exequutivam, & terminum ordinarium, nata eſt in foro alia diſtinctio inter liquidationem *via ritus*, & per præcepta de ſolvendo ex vi pacti exequutivi; nam prior methodus tantum præſcribitur poſt lapſum viginti annorum, prout ſtatuitur in *rit.* 167.; altera vero poſt triginta, ut diſputat Capyciuslatro in *cit. deciſ.* 58. Sed revertamur ad apochas *banchales*.

II. Introducto igitur uſu ſolvendæ pecuniæ a debitoribus per mandatum directum publico *Bancho* quod cederet in vim apochæ, hoc eſt ſcripturæ publicæ, unde adpareret ſatisfactum creditori; paulatim & conſuetudine obtinuit, ut debitores, pecunias mutuas accipiendo, caverent creditoribus per eadem mandata veluti in anteceſſum, ſcilicet, ut licet revera in præſenti pecuniam debitam depoſitam non habebant in publico *Bancho*, tamen eo animo id facerent, ut quamprimum, aut tempore deſignato, pecuniam deponerent, ex qua ſatisfieret creditoribus. Procedente autem tempore fieri cœperunt eadem mandata, veluti dicis cauſa, prout hodie paſſim uſus fert, nempe, ut oſtenderetur tantum creditoribus cautum per ſcripturam directam publico *Bancho*, ceterum nec in præſenti adeſt pecunia depoſita, nec deponitur deinceps; ſed tantum facultas conceditur creditoribus in judicio adigendi debitores ad ſolutionem pecuniæ debitæ, & promiſſæ per *Banchum publicum*. Remanſit autem nomen apocharum, licet in hac ſpecie apochæ non eſſent; ſed veluti chirographa confecta a debitoribus favore creditorum, quibus hi oſtendere poſſent coram judice actionem ſibi competentem, ob pecuniam in mutuum datam. Induxit deinde & uſus, ut in aliis quoque contractibus, præter mutuum, eadem ratione fierent apochæ, præcipue in locationibus domorum. Et hinc fortaſſis conſuetudo obtinet in hac Civitate, ut ex apochis *banchalibus* confectis ob penſiones domorum, tranſacto jam tempore ad ſolvendum ſtatuto, abſque ulla partis citatione, abſque ullo actu judiciario, ſtatim per judices exequutio mandetur ſuper bonis invectis, & illatis in domum conductam idque ſecundum regulas Romani juris,

ris, quia ſuper bonis illis locatores conſtitutum habent tacitum pignus, ſive hypothecam *l. 4. D. in quibus cauſ. pign. vel hypoth. tacite contrah.* Sed quoniam grave eſt fidem fallere, ait eleganter *l. 1. D. de conſtit. pecun.*, ideo rectiſſime in foro & illud receptum eſt, ut ex apocha *banchali* exequutio mandetur per judicem eodem tempore tum contra bona, tum contra perſonam debitoris, vulgo *expediantur litteræ exequutoriales realiter*, *&* *perſonaliter*. Quod cum afferunt noſtri, nominatim *practici*, qui formulas decretorum proponunt, rationem non reddunt; & tamen cognitu neceſſarium eſt, ſiquidem ex inſtrumento, licet ſolemni, & *guarentigiato*, exequutio expeditur *realiter* tantum: at cur ex apocha *banchali* eodem tempore *realiter*, *&* *perſonaliter*, quæ utique minoris ponderis eſt in probationibus judiciariis, quam inſtrumentum publicum, & ſolemne, quod habetur tanquam *probatio probata*, ut ipſi dicunt? vid. Petram *in cit. rit. 166. n. 10.* Nulla aſſignari poteſt idonea ratio, niſi quam modo diximus, quia grave eſt fidem fallere. Et ſane graviſſimum eſt, creditorem a debitore ſuo deludi, qui cum promiſiſſet pecuniam debitam ſe depoſiturum in publico *bancho*, unde ſibi eam acciperet creditor, non ſolum id facere neglexit, verum etiam in tempore ad ſolutionem ſtatuto ceſſavit pecuniam ſolvere creditori; & propterea æquum viſum fuit, quaſi in pœnam violatæ publicæ fidei, eum compelli tum in rem, tum in perſonam, ad præſtationem ejus, quod promiſit ſe ſoluturum ex publico *bancho*. Eodem reſpexit §. *6. prag. 63. de offic. Procur. Cæſar.* cujus ſupra meminimus; ibi enim mandatur debitorem conventum ex apocha *banchali verificata*, hoc eſt legitime probata, audiendum non eſſe, niſi antea revera deponat in publico *bancho* pecuniam, quam promiſit, aut ſeſe in carcere conſtituat, ibique defenſiones ſuas proponat, eodem modo, ac ſi contra eum inſtrumentum *via ritus* liquidatum eſſet, aut incuſata obligatio penes acta M. C. Ratio huius conſtitutionis eſt ſatis æqua, nam ubi de ipſa ſcriptura amplius non dubitatur (hoc enim ſignificat *verificatio apochæ* in foro, de qua ſuo loco), eſt contra omnem bonam fidem, dum vult debitor exceptionibus ſe tueri, quæ dilationem temporis requirunt, interea pecuniam quam aſſeruit ſe ſoluturum per publicum *banchum*, ibi non habere depoſitam. Hinc rectiſſime decrevit Sacrum Conſilium, prout refert Rovitus *in com. ad d. §. 6.* nec admittendam exceptionem declinatoriam fori, antequam vel depoſitum fiat, vel ſe reus in vinculis ſiſtat.

III. Hæc tanta vis, quæ legibus noſtris tributa eſt apochis *banchalibus* non ſolum nititur publicæ fidei, quæ videtur aliquo modo defeciſſe; dum in bancho publico non depoſuit debitor pecuniam, quam promiſit; verum etiam Notariorum ſubſcriptioni, & ſigno: nam licet & teſtes in iis requirantur, tamen adhuc privata eſt ſcriptura quoties non adeſt publicus Notarius. Hinc affirmaverim libenter, *deciſionem* de Franchis 502.; qua ſtatuitur, apocham haberi pro recognita, quoties citatus reus ad eam recognoſcendam ſit contumax, habere locum tantum, quoties ea confecta eſt a publico Notario; nam ſi hic deeſt, videtur durum, ex ſola contumacia non eſſe reum audiendum, niſi in vinculis, vel facto depoſi-

poſito. Cum igitur ſumma ſit apud nos apocharum *banchalium* fides, neſcio cur uſus induxerit, ne illæ redigerentur in *protocolla*; vel ſaltem in proprium, & ſeparatum librum uniuſcujuſque Notarii, prout de obligationibus, quæ dicuntur *penes acta*, ſtatuitur in *prag. 19. §. 29. de offic. Magiſt. Juſtit.* ſcilicet ut illæ in peculiari *regiſtro* annotentur a ſingulis actorum Magiſtris: optima ratione, ut exhibitæ per creditores in judicio poſſint, ſi aliqua dubitatio exoriatur, cum exemplari exiſtente apud actorum magiſtrum conferri: eoque modo falſi ſuſpicio evitatur. Id ipſum fieri deberet in apochis, quarum uſus quotidianus eſt, & in iis non ſemel agitur de negotio magni momenti, præſertim ubi Notarius jam eſt mortuus; unde facilior de teſtium fide, & de ſubſcriptione dubitatio exiſtit, cum apud nos non ſoleant homines nimia ſcrupuloſitate teneri circa veritatem atteſtationum; & infelici experientia doceamur, non deficere qui alienas manus in ſcripturis imitentur, præſertim poſt lapſum longioris temporis. Docent quidem Pragmatici, non amplius apocham habere *viam exequutivam*, quoties ab ejus confectione decem anni effluxerint; idque ſic exprimit Auctor *juriſp. forenſ. tom. 8. cap. 69. n. 3. Via exequutiva, qua competit apochæ bancharia, cum ſit vigore ſtatuti, ideſt prag. &c. decennio præſcribitur.* Hic quidem ex more jam conſueto ſcribitur vel quod non conſideratur, vel quod non intelligitur; nam qualis eſt iſta ratio: via exequutiva competit apochis ex ſpeciali Regni lege; igitur decem annorum ſpatio præſcribitur? ubinam talis regula reperitur, aut quo jure ſancitum eſt, decennii præſcriptionem dari in iis, quæ decernuntur ſpeciali alicujus loci jure? Et cur idem Auctor ex eadem regula hanc illationem non deducit? petitio antefati datur mulieri poſt mortem mariti ex ſtatuto, ſcilicet ex *prag. 1. de donat. propter nupt.* præſcribitur ergo poſt decem annos. Illa autem videtur verior ratio, quia elapſis decem annis præſumitur ſatisfactum creditori, cum non ſoleant homines adeo in rebus ſuis eſſe negligentes ac ſupini; ut tot annorum intervallo quod ſibi debetur, exigere ſuperſederint. Eadem ratio efficit, ut poſt decem annos, in obligationibus penes acta, quæ ſtatim exequutioni ſolent demandari ex *ritu* 128. requiratur citatio partis; idque Caravita *in comment.* praxi forenſi tribuit, non præſcriptioni ex ſtatuto, ut Auctor *juriſprudent. forenſ.*

IV. Solent etiam Notarii conficere publicas ſcripturas, in quibus clericorum ſpeciales obligationes continentur, eaſque vulgo dicunt in *forma Cameræ*, ſive obligationes camerales; quibus prompta parataque datur exequutio in Curiis eccleſiaſticis. Nonnulli ex Notariis Regiis apud nos conficiunt tales ſcripturas, quia & privilegium habent Protonotarii Apoſtolici; unde in foro eccleſiaſtico illæ habentur pro publicis. Cur autem cameræ mentio in iis fiat, rationem deducunt Pragmatici ex *l. 4. C. quorum adpellat. non recip.*; ſed modo jamdiu inter eos conſueto, ut ex legibus Romanis illationes longe alienas deducant, quæ in foro pro jure certo habentur, iiſque formulæ aptantur, nullius aut ineptæ ſignificationis, prout videre eſt in ſpecie, qua de agimus. Quam maxime ſtatui publico conducat facilis parataque exactio redditumm fiſcalium, pluſquam manifeſtum eſt; ex iis enim belli paciſque

Digitized by Google

que neceſſariis impenſis occurritur. Dum imperabat Valentinianus ſenior, Præfectus Prætorio Olybrius nomine, qui, fortaſſis ad captandam formam benignitatis atque indulgentiæ inter populares, in cauſis fiſcalibus & tributariis facile adpellationes admittebat; nam, ut notat doctiſ. Gotofr. *in eod. tit. C. T.* ex Ammiano Marcellino, ſolebat ille, ubi poterat, fiſcalia lucra circumcidere; ideo Imperator ad eum ſuperiorem conſtitutionem tranſmiſit, juſſitque, in ſuperioribus cauſis adpellationes removendas; & ſtatim debitores compellendos ad ſolvendum id, quo liquido conſtaret eos debere. Pari ratione idem Imperator ſtatuit in *l.* 5. *C. de feriis*, fiſcales, & publicas cauſas etiam ferialibus menſibus tractari. Ex ſuperiori Valentiniani conſtitutione Pragmatici, & nominatim Zacchias, qui peculiarem tractatum compoſuit de *obligatione camerali*, ſic ratiocinantur: Quemadmodum qui obligatus eſt fiſco Principis (*cameram* communis uſus appellat) ſtatim ſolvere debet quacumque adpellatione remota, ita & privatus tenetur privato, quoties nominatim conventum eſt; ſiquidem conventiones ſolent majorem minoremque vim accipere ex contrahentium pactionibus: igitur ſi quis promittit ſe ſoluturum tali die, eodem modo ac tenetur ſolvere tributa cameræ Principis, valet conventio, & ſtatim adveniente die cogi poteſt in judicio, nec audietur ſi a judicis ſententia ad ſuperiorem adpellaverit. Hæc autem licet ſic ſe habeant generaliter, tamen uſus tantum induxit hujus generis obligationes in foro eccleſiaſtico; etenim clerici tantum ſolent eo modo ſe obligari, tanquam ſi tenerentur Cameræ Apoſtolicæ; & propterea ad Protonotarios Apoſtolicos ſpeciatim pertinere cenſetur ejuſmodi ſcripturas conficere. Quoniam hac in re agitur de legibus Regni, ſed de conſuetudine ſpeciali obligationum inter eccleſiaſticos; ideo diligenter inquirere ſuperſedeo, quam male hæc aptentur ſolidæ jurisprudentiæ regulis, nam primo jus publicum, quod induxit celeritatem ſolutionum in debitis fiſcalibus, quodque in ea ſpecie juſtum eſt ob publicam utilitatem, ut diximus, iniquum redditur, quoties de privato tantum agitur commodo. Huc faciunt Papiniani verba in *l. jus publicum* 38. *D. de pactis*: *jus publicum privatorum pactis mutari non poteſt*. Sed concedamus id recte fieri poſſe, utique obtinebit, dum contrahentes ſciunt quid promittunt, nemo enim obligari poteſt, præſertim ubi agitur de remittendo jure in ſui damnum, citra voluntatem expreſſam, aut tacitam: at evenit utplurimum, ut non tantum ipſi contrahentes, ſed nec qui ſcribunt, aut dictant ejuſmodi ſcripturas, ſciant quid importet *obligatio cameralis*. Ad hæc, licet antiquitus certa aderat formula hujus obligationis propria, relata a Riccio *in prax. judic. exequut. tit.* 1. *cap.* 6. *de obligat. camerali*; tamen hodie non cenſetur neceſſaria, ſufficit enim ſi clericus dicat *obligo me in forma cameræ*, vide Marad. *in praxi eod. tit.* Unde his verbis cum nihil exprimatur certi ac perſpicui, quomodo induci poteſt, obligatum defenſionibus a jure ſtatutis renunciaſſe? Poſtremo talis obligationum modus minuit ordinariam Epiſcoporum juriſdictionem; aſſerunt enim forenſes, Judices Cameræ Apoſtolicæ eſſe tantum in illis competentes, & dum procedunt Epiſcopi, teneri eos ſervare, quæ jure ordinario ſtatuta ſunt, vid. Luc. *in not. ad Grat. tom.* 5. 968. Quod idem eſt,

Digitized by Google

eſt, ac permittere privato cuicumque abſque cauſa judiciorum ordinem ſubvertere.

V. In literis, quæ dicuntur cambii, ſive teſſeræ collybiſticæ, ut eſt in titulo *pragmaticarum*, cujus meminimus ſupra *lib.* 3. *cap. ult.* officium quoque publici Notarii verſatur. Hoc genus quidem ſcripturæ utile cumprimis eſt commercio, & negotiationi; adeoque publicis æquiparatur, licet a privatis confectum; illudque continet contractum, in permutatione pecuniæ æquivalentis, in diverſis locis, pro certo pretio, conſiſtentem. Et propterea partim communi omnium gentium jure, partim proprio noſtri Regni, literis cambii privilegia veluti quædam tributa ſunt, quo earum exequutio paratior fiat, & bona fides ſummopere ſervetur. Hinc ex conſilio mercatorum variæ ſtatuuntur ſanctiones in *prag.* 1. *cit. tit.*, & nominatim in §. 1. receditur a regula juris Romani, qua placuit, diem adjectum in obligatione, pro reo, non pro creditore eſſe *l. eum qui* 41. §. *quoties D. de verb. oblig.* Et propterea tanquam verior confirmatur tum in *l. ſequ.* tum in *l. eum qui* 138. *eod. tit.* Proculi ſententia, quia contra Sabinum docebat, eum, qui ſe obligavit hoc anno, hoc menſe, aut proximis nundinis ſoluturum, non antea recti conveniri poſſe in judicio, quam totus annus, menſis, & univerſi nundinarum dies tranſacti ſint. Et ratio illa videtur potiſſimum, quia petitio judicialis non aliter fit juſte & legitime, niſi quando reus non ſolverit ſtatuto tempore: at in exemplis propoſitis id nequit dici, niſi omnes dies anni, menſis, nundinarum tranſacti fuerint; nam ubi ſupereſt vel unum momentum, verum non erit, eo anno, eo menſe, iis nundinis reum non ſolviſſe. At in *cit. prag.* receditur ab hac regula, & confirmatur quodammodo Sabini ſententia; nam ſtatuitur, ubi in literis cambii ſolutio mandatur fieri die martis; eadem die præſtandam eſſe pecuniam, *non obſtante*, ait pragmatica, *quod dies termini non computetur in termino*: hæc eſt regula Forenſium, quæ conſona eſt ſuperiori ſententiæ Proculianorum. Ratio autem pragmaticæ non alia videtur eſſe, quam commodum negotiationis; illudque occaſionem dedit reliquis ſtatutis tum in *ead. prag.*, tum *in ſequentibus*, ex conſilio, ut diximus, peritiorum inter negotiatores, cum experientia ſuaſerit expedire ea omnia ſic decerni. Et ob eandem rationem equitas poſcit, ut recedatur a ſententia Proculianorum, ubi ſolutio pecuniæ promiſſa eſt inter mercatores, ut in Regno ſolitum eſt fieri, nundinis tali vel tali loco celebrandis; ſiquidem cum pecunia ſic promittatur, ut creditor ea uti poſſit tempore nundinarum pro aliis mercibus comparandis, quæ alioquin aut non invenirentur, aut emendæ eſſent cariori pretio; iniquum ſane foret, ſi non poſſet petitio inſtitui, niſi omnibus diebus nundinarum tranſactis; & propterea æquius erit, prout Sabiniani olim exiſtimabant, ipſis nundinarum diebus recte compellendum debitorem ad ſolvendum.

VI. Datur quidem literis cambii promta & parata exequutio, ut diximus: verum hoc intelligitur, quando is, cui commiſſum eſt, ut ſolutio fiat, literis ſibi præſentatis ſe ſubſcribit, nam ex ſubſcriptione ſe debitorem profitetur ejus, a quo literæ confectæ ſunt; idque vulgo dicitur *acceptare literas cambii.* Omitto hic quærere, utpote ab inſtitu.

ſtituto alienum, utrum ex *acceptatione* fiat novatio; & utrum exinde liberatus cenſeatur principalis, is nempe, qui literas ſcripſit, & pecuniam accepit a creditore ſolvendam certo loco, qua de re vid. Franchis *deciſ.* 303. & Rovit. *in cit. prag.* 1. At ſi recuſavit ille ſe ſubſcribere, ideſt *acceptare* literas; tunc uſus induxit, & confirmatur in *cit. prag.* 1. §. 5., ut fiat a creditore *proteſtatio*; cujus effectus eſt, ut damnum pecuniæ non ſolutæ ſuo loco, & tempore, aut præſtare debeat is, qui literas confecit, aut is, cui commiſſæ ſunt ſolvendæ, prout deinceps adparebit, uter eorum creditor, debitorve fuerit. *Proteſtatio* autem, ut innuitur in *not. ad* §. *6. cit. prag.*, fieri debet coram publico Notario, ut ex ea, tanquam ex publica ſcriptura, exequutio demandari poſſit adverſus eum, qui ſcripſit literas; idque ſive ſolutio commiſſa fuit in aliquo ex locis Regni, ſive ſecus, ut habetur ex *cit.* §. *6.* Ut autem debitores ex literis cambii in promtu conveniri poſſint in judicio, nec exceptionibus inutilibus uti, præſertim ea, quæ dicitur non numeratæ pecuniæ, proviſum eſt, & recte in *prag.* 8. *eod. tit.*, ut non aliter ex literis cambii fiant ſolutiones, quam per publicum *Banchum*; nam eo modo omnis ſuſpicio ceſſat non factæ ſolutionis. At in Regno, ubi nullæ ſunt publicæ argentariorum menſæ, ſolutiones prædictæ coram duobus teſtibus fieri ſolent, & majoris ſecuritatis gratia, adhibita publici notarii auctoritate.

CAPUT VII.

De his, quæ ſpecialiter noſtris legibus prohibentur Notariis.

Ex *prag.* 1. *SC. Maced.* filiorumfamilias facultas in obligationibus conſtituendis arctiori vinculo tenetur, quam jure Romano cautum eſt; ſiquidem ex illo Senatuſconſulto mutuum tantum accipere iis prohibetur; ceterum in aliis cauſis tamquam patresfamilias obligari ſe recte poſſunt *l. filiusfam.* 39. *D. de obligat. & act.* At *cit. pragmatica* irritas reddit cujuſcumque generis eorum obligationes, contractas abſque patrum conſenſu; nam jubet, Notarios puniri pœna privationis officii, & unciarum auri centum, aliaque extraordinaria, quoties inſtrumenta, alteriuſve generis ſcripturas confecerint, in quibus obligatur filiusfamilias; niſi id ſit *in præſentia, & expreſſo conſenſu patris; vel niſi ſit emancipatus, ſeu habitet, & vivat ſeorſim a patre cum uxore, & filiis*. Dixi irritas reddi hujuſmodi obligationes, nam quidquid fit jure prohibente, habetur pro infecto *l.* 5. *C. de legib.* Non ſolum de Notariis loquitur pragmatica, ſed etiam de Actuariis, qui eodem modo prohibentur filiorumfam. ſcribere, & recipere obligationes *penes acta*. Verum quia in civitatibus frequentioribus uniuſcujusque civis ſtatus ac conditio difficile eſt, ac pene impoſſibile, ut Notariis Actuariiſque nota ſit; ideo poterat evenire, ut juſto errore illi decepti

Digitized by Google

cepti inciderent abſque culpa in pœnam. Et propterea proviſum fuit in *ead. prag.*, ut ſi *Actuarii*, *&* *Notarii rogati interrogaverint partes ſtipulantes*, *ſe obligantes*, *an ſint patresfamilias*, *eman ipati*, *vel habitantes ſeorſim a patribus cum uxoribus*, *&* *familiis*; *&* *partes dixerint mendacium*, *ſeu aſſeruerint filiifam. eſſe patresfam.*, *imputetur prædictis ſtipulantibus*; *&* *acta non teneant*, *&* *Notarii in aliquo non teneantur*, *facta de hoc nota in inſtrumentis*, *ſeu actis conficiendis*. Demum ex gratiis, & privilegiis tempore Ducis Oſſunæ Proregis, ut referunt *in com. ad eand. prag.* Novarius & Rovitus, etiam ab hoc onere ſoluti ſunt Notarii; ſiquidem amplius non tenentur ſuperiorem clauſulam opponere; unde incumbit ei, qui contrahit, ſcire conditionem alterius, utrum filiusfam. ſit, an homo ſui juris, ad hoc ut contractus valeat, vel ſecus. Huc faciunt verba *l. qui cum alio* 19. *D. de reg. jur. Qui cum alio contrahit*, *vel eſt*, *vel debet eſſe non ignarus conditionis ejus*. Hæc regula occaſionem dedit *prag.* 63. *§. ult. de offic. procur. Cæſaris*, qua decretum fuit, nec contractum valere, nec pœna falſi filiusfamilias teneri, ſi fortaſſis ille in contrahendo aſſeveraverit ſe patremfam. eſſe. Hoc autem intelligendum eſt, dummodo creditor juſtam cauſam non habuerit, cur ita crederet; nam mendaci, & deceptori filiofamilias jura opitulari non debent *l.* 4. *§.* 1. *D. quod cum eo &c.* Eadem ratio, qua prohibetur Notariis, & Actuariis obligationes filiorum ſuſcipere, efficit ut idem ſervent in mulieribus ſeſe obligantibus contra formam Senatuſconſulti Vellejani, licet ei renunciaverint expreſſe *prag.* 1. *de SC. Vellejano*. De quantitate anteſati cavetur in *prag.* 1. *de donat. propter nupt.*, in qua vetatur Notariis contra ejus formam ſcribere inſtrumenta dotalia.

II. Prohibentur quoque Notarii, contractibus, qui uſurariam pravitatem continent, quorum duæ ſpecies referuntur in *prag.* 1. *de contractib.* auctoritatem præbere per publicas ſcripturas. Simile eſt quod ſtatuitur in *prag.* 2. *de emt. & vendit.*, nempe, ut pœna pecuniaria, & privationis officii coerceantur Notarii, qui inſtrumenta confecerint, in quibus fructus, qui in præſenti non ſunt, ſed futuri ſperantur ex fundis, viliori pretio a dominis venduntur: hos contractus, tamquam bono publico adverſantes, invalidos declarat pragmatica, & aliquo modo uſurarios. Multo magis eadem prohibitio obtinet in fructibus, qui percipiuntur ex bonis Univerſitatum *prag.* 5. *§.* 7. *de adminiſtr. Univerſit.* Uſurariæ quoque pravitatis ſuſpicio prohibet Notariis inſtrumenta conficere in ſpecie relata in *prag.* 12. *eod. tit. de emt. & vend.* Venditiones, quæ vulgo apud nos dicuntur annuorum reddituum, & cenſuales contractus, permittuntur legibus Regni, ſed certis conditionibus, quas explicabimus ſuo loco. Quoties ejuſmodi venditiones fiunt ad tempus, veluti durante vita emtoris, prohibetur Notariis in *prag.* 2. *de cenſitus* ſub pœna privationis officii, licet contrahentes ipſi conſenſerint, ſcripturas conficere, unde conſtituuntur annui redditus ultra quatuordecim pro centenis aureis. Prohibetur etiam, ubi propria auctoritate adminiſtratores Univerſitatum pecuniam accipiunt ſub uſuris, vid. *prag.* 10.

Digitized by Google

de adminiſtr. Univerſ. ; quemadmodum quoties id fit , promiſſa ſolutione pecuniæ acceptæ eo modo , ac publice fructibus futuris imponetur pretium vulgo *alla voce* , vid. *prag.* 11. & 18. *eod.tit.* Uſitatum erat in Regno , ut ſponſiones non modicæ pecuniæ quantitatis fierent ſub eventu conditionum hujus generis : *ſi pluris , vel minoris pretium tritico imponetur tali anni tempore : ſi illa mulier maſculum , vel fæminam pariat* ; unde fraudes committi ſolebant cum damno publico, prout legitur in *prag.* 1. & 3. *de ſponſion. mercat.* unde merito prohibitum fuit Notariis ſcripturas pro iiſdem conficere . Denique ad coercendam avaritiam dardanariorum, qui , ut eſt in *l. 6. D. de extraord. crim.* annonam vexare ſolent , mandatur in *prag.* 37. *de ann. civit. Neap.* ne ſcribant Notarii Actorumve magiſtri inſtrumenta , aut obligationes, in quibus datur pecunia pro tritico , hordeo &c. tradendo mercatoribus tempore meſſis ; idque intra trigeſimum lapidem ab hac urbe ; excepto tantum ſi id fiat pro ea quantitate , quæ neceſſaria eſt ad familiam ſuſtentandam . Eadem prohibitio in *cit. prag.* extenditur in *Dohanis* ibi expreſſis .

PAR-

Digitized by Google

PARTIS PRIMÆ COMMENTARIORUM DE JURE REGNI NEAPOLITANI

LIBER VI.

CAPUT I.

De publicarum rerum adminiſtratione; ſive de his, quæ cujuſque Univerſitatis nomine peraguntur.

Nihil magis ſtatui publico conducit, quam probe, diligenterque verſari in iis, quorum recta adminiſtratio omnium civium intereſt. Et ſane ſi veterum Rerumpublicarum, quarum domi, foriſque egregia extitere facinora, omniumque virtutum exempla, volumus memoria repetere origines, atque incrementa; proculdubio apparebit, publica ſemper in illis fuiſſe privatis potiora: contra privati commodi nimium ſtudium, & ejus quod civium univerſitati profuturum eſt, neglectum, non tantum fraudes, vitiorumque omnium congeriem, verum etiam libertatis jacturam perperiſſe. Unde veriſſimum eſt quod ſapienter ſcripſit Livius: *Publica prodendo, privata nequidquam ſervantur*. Hoc equidem Majores noſtri dum proſpexerunt, variis modis curarunt, ut, quantum fieri poſſet in corruptiſſimis moribus, publicæ res in tuto eſſent. Hinc nulla eſt in toto Regno ſive civitas, ſive oppidum, ſive vicus, ubi non extent conſuetudines, ſcriptis poſtmodum traditæ, aut ſtatuta quædam in comitiis pro regimine eorum, quæ univerſitatis ſunt, omniumque civium in commune; ut ea ratione publicis rebus conſuleretur. Verumenimvero malitia fraudibuſque creſcentibus quotidie, neceſſarium viſum fuit, potiora remedia adhiberi; nam facillime ii, quorum ingens cupido eſt privati patrimonii qualitercumque ampliandi, irruunt in publicum, & pro adminiſtratoribus, deprædatores evadunt; & fragile admodum hominibus ejus generis fit juris vinculum, ex ſola reliquorum civium auctoritate firmatum. Et propterea paulatim innumeræ rogatæ fuerunt leges Regiæ, ut ſolida ſtabilique ratione Univerſitatum patrimonia, & generaliter omnia publica negotia adminiſtrarentur. Qua in re mire congruit moribus noſtris, quod olim cecinit Horatius *carm. lib. 3. od. 6.*

Ætas parentum pejor avis tulit
Nos nequiores, mox daturos
Progeniem vitioſiorem.

Etenim pauciſſimæ a Regibus Longobardis, Normannis, & Suevis ſtatutæ fuerunt ſanctiones circa adminiſtrationem Univerſitatum; paucio-

res ab Andegavenſibus ; ſed multæ ab Aragonenſibus ; innumeræ vero patrum, avorumque noſtrorum ætate, dum Regnum gubernabatur a Proregibus ſub dominatu Regum Hiſpanorum, prout videre eſt in voluminibus pragmaticarum ; idque firmiſſimum documentum præbet, tunc temporis omnia in deterius abiiſſe; nam quis ignorat, medicamentorum frequentem neceſſariumque uſum non ſani corporis ſtatum indicare ? Sed quemadmodum uſum evadunt inutilia, imo aliquando noxia, ubi univerſalis adeſt corruptio; ita & in re, de qua agimus, otioſæ ferme ſunt leges, imo in damnum Univerſitatum utplurimum vertuntur eorum opera, qui ſuas opes, copias augere ſolent ex peculatu : quique rationibus reddendis, examinandiſque incumbunt. Hinc non ſine bonorum indignatione cernere licet, paucos diteſcere, multitudinem in extremum miſeriarum incidere ; imo licet oneribus publicis oppreſſæ, & pene impares factæ ſint Univerſitates Regni, nihilominus vix habent, unde fiſcalibus ſolutionibus, neceſſariiſque impenſis ſatisfiat ; & propterea coguntur quotidie patrimoniis cedere, quorum redditus ſibi vindicant qui adulandi, ſerviliter blandiendi, denique cavillandi & petulanter agendi infelicem artem didicerunt.

II. Ut autem leges de re, quam tractandam ſuſcepimus, quæ innumeræ, & confuſiſſimæ ſunt, ad aliquem ordinem deducantur ; primo loco videndum quid ſtatutum ſit circa publicam adminiſtrationem in his, quæ pertinent ad civitatem Neapolim ; tum deinceps quæ omnium reliquarum Univerſitatum Regni propria ſunt. Ratio ſane ordinis id expoſtulare videtur, tum quia metropolis hæc civitas facta eſt, unde omnibus præſtat, ſive amplitudinem ſpectes, ſive civium frequentiam ; tum præcipue quia partim conſuetudine & uſu, partim ſpeciali privilegio, quibuſdam in caſibus auctoritas Adminiſtratorum hujus civitatis & ad univerſum Regnum extenditur. Quod utique factum videtur ex quo ſingulorum locorum Decuriones, ad ſuffragia ferenda pro iis, quæ univerſaliter Regni intersunt, amplius auctoritate Principis convocati non fuere ; prout antiquiſſimus erat mos ab ætate Normannorum uſque ad Reges Aragonenſes, eaque dicebantur *Parlamenta generalia*, quorum non ſemel apud noſtros hiſtoricos mentio fit. Creditur, hunc morem paulatim ceſſaſſe ſub dominatu Hiſpanorum : ſive quia ea ratione publicis negotiis expediendis mora interponebatur ; ſive potius, quia conducibilius viſum fuit, paucorum ſententias exquirere, quam multorum ; unde quæ inerat olim generalibus *Parlamentis* auctoritas, tranſlata fuit ex parte in Adminiſtratores Univerſitatis Neapolitanæ. Non leviter proinde ceterarum Univerſitatum Regni jus imminutum fuit. Sed in his, quæ publice interſunt, aut parum, aut nihil multitudo ſolet diligenter ſe gerere : Huc faciunt verba Taciti *an. 1. cap. 4. Tum primum e campo comitia ad Patres translata ſunt ; nam ad eam diem, etſi potiſſima arbitrio Principis, quædam tamen ſtudiis tribuum fiebant. Neque populus ademtum jus quæſtus eſt, niſi inani rumore &c.*

CA-

CAPUT II.

De Adminiſtratoribus, vulgo Electis civitatis Neapolitanæ; deque eorum auctoritate ac privilegiis.

PUblica auctoritas & jurisdictio, quæ olim Romæ ratione magiſtratus dabatur, non tantum ad ea pertinebat, quæ in jure dicundo & in criminibus coercendis conſiſtebant, ſed etiam quæ in procurandis negotiis publicis, omnique eo, quod commune commodum reſpiciebat. Hinc ad unum, idemque imperium referebatur ſive Populi, ſive Senatus, ſive Principis, creatio Conſulis, Prætoris, Cenſoris &c., & creatio Præfecti Urbis, cujus inter cetera munera ſcribit Ulp. in *l.* 1. §. 11. *de offic. Præf. Urb.* fuiſſe curam carnis, ut juſto pretio præberetur; & ideo forum ſuarium ſub ipſius cura erat; quemadmodum & ceterorum pecorum, ſive armentorum, quæ eodem ſpectabant: creatio Præfecti annonæ, cujus munus erat invigilare, ne plebs annonæ inopia, & caritate laboraret; ejuſque rei gratia juriſdictionem, & imperium habebat, vid. *l. mulierem* 13. *D. de accuſat.* Clarius hæc omnia confirmat Suetonius ſic ſcribens de Auguſto *c.* 37. *Et quo plures partem adminiſtrandæ Reipublicæ caperent, nova officia excogitavit: curam operum publicorum, viarum, & aquarum alvei Tyberis frumenti populo dividendi, præfecturam urbi &c.* At in Provinciis non idem ſtatus rerum erat, etenim Romanis Magiſtratibus dabatur juriſdictio, & imperium; publica vero cura ceterarum rerum Decurionibus competebat; vid. *l.* 189. *C. T. de Decurion.* quorum alii *originales* erant ſive origine & nativitate Decurionum ordini addicti; alii *nominati*, hoc eſt qui publico conſilio, publico tractatu deſignabantur, nominabantur ab ipſo ordine, vid. *l.* 66. & 148. *cit. tit.* Præcipua eorum cura erat adminiſtratio pecuniarum publicarum civitatis, & exactio annonarum *l.* 8. & 14. *eod.* Manſiones, horrea, pagi iiſdem committebantur *l.* 21., & 49. *eod.*, nec non operum publicorum ædificatio *l.* 33. *eod. de operib. publ.* Quæ autem iis nomine publico ſolvebantur pecuniæ, deſerviebant publicis, neceſſariiſque impenſis. Hinc placuit Imper. Theodoſio in *l. ult. C. de exaction. tribut. lib.* 10. decernere, dominio prædiorum excidere eos, qui debitas capitationes non ſolviſſent curiæ urbis; etiamſi prædia ad divinam domum pertinuiſſent, hoc eſt ad privatum patrimonium Principis.

II. In Italia, extincto Romanorum imperio, idem uſitatum fuiſſe ſub Gothis, Longobardis, Normannis in Regno noſtro, credendum eſt; nam quæ propria erant cujuſque Univerſitatis, non poterant recte adminiſtrari, niſi per eos, quorum intererat, quique ſuarum conſuetudinum periti erant. Et hinc vel ab antiquiſſimis temporibus legimus, in unaquaque civitate quoſdam veluti primarios cives electos fuiſſe, ad expedienda negotia univerſalia: nam licet procuratorem nomine publico eligi mos eſſet,

ſet, etiam ſtante Romanorum dominatu, qui & Syndicus græco vocabulo appellabatur, vid. *l. ult.* §. *defenſores D. de muner. & honor.*; tamen omnibus muneribus obeundis ſolus non ſufficiebat. Civitas Neapolis hac in parte cum ceteris ad oram maritimam ſitis, majorem fortaſſis prærogativam obtinuit, cum diu orientalium Principum imperio paruiſſet, licet omnes ferme Regni Provinciæ in jus Longobardorum tranſiiſſent; verum eo modo, ut inſtar populi liberi, Adminiſtratoribus rerum publicarum non levis tribueretur auctoritas, præſertim iis, qui ex ordine nobilium creabantur; quique ceteris curis vacui, ſolebant ex unaquaque tribu, hoc eſt deſignata urbis parte, unum convenire, ad ea, quæ in commune ſtatuenda erant, decernenda. Antiquitus adpellabatur quilibet ex deſignatis locis θῶκος, deinde vulgo *ſedile*, quia ibi cujuſque tribus eminentiores, peritioreſque conſidebant, conſulebantque reipublicæ, & ex eorum corpore quidam deſtinabantur ad peculiaria quædam munera, veluti ad annonam, ad vias & muros urbis muniendos, reficiendoſque &c. quamvis autem Normanni hanc Civitatem in ſuam poteſtatem redegiſſent, totiuſque Regni partem feciſſent, tamen publicis Adminiſtratoribus ſua auctoritas ſervata fuit; imo quibuſdam privilegiis firmata a Regibus Andegavenſibus, & deinceps, ut mox dicemus.

III. Non tantum autem ordo nobilium Adminiſtratores eligit in hac Civitate, ſed & Populus. Verum non æquo jure, ſiquidem illi, utpote diſtributi in quinque claſſes, ſive *ſedilia*, quinque erant *Electos*, Populus tantum unum, qui ob id communiter appellatur *Electus de Populo*. Ex *prag.* 5. *v. quarto de abolition. b.* adparet, ſæpius petitum fuiſſe nomine Populi, ut jus ſuffragiorum exæquaretur inter populares, nobileſque; ſed ibi mandatur, quæſtionem arbitris committendam; quod nunquam definitum fuit poſtea. Electus Populi ſpecialiter annonæ eſt Præfectus, ſive potius Curator; licet omnibus tale onus incumbat; quemadmodum omnium victualium, ut adparet ex epiſtola Regis Ladiſlai relata *princ.* 1. *volum. privileg. & grat. civit. & Regn.* in qua primo loco notandum eſt, jamdiu ſtatutum fuiſſe, ut per Sex-viros negotia publica peragerentur; nam ſic præfatur Rex: *Quia ſecundum ordinationem antiquitus factam per univerſitatem Civitatis Neapolis de creandis, & ordinandis ſex ſuper negotiis agendis, tangentibus utilitatem, & commodum univerſitatis &c.* Sequitur deinde neceſſariam eorum curam & diligentiam exponere, non minus circa annonæ copiam in hac Civitate, verum etiam circa juſtum pretium imponendum victualibus: *committentes, & mandantes vobis, quod ſatis ſollicite pariter, & intenti per exploratores, & alios, quod a Neapoli per mare, vel per terram frumenta vel legumina, vina, & alia ſpectantia ad dictam graſſiam nullatenus extrahantur; proviſione per vos habita, & qui huc frumentum, legumina, & alia victualia, atque res portant, & venduntur, vendantur convenienti pretio; quodque adhibeatis vias alias, & modos, quibus dicta univerſitas ſemper abundet in graſſia ſupradicta; & quod nullus vendat ea, quæ ſpectant ad dictam graſſiam contra juſtum, & conſuetum; faciendo ſuper talibus mandata, & banda, & pœnas imponendo, & exigendo; ac perſonas contrafacientes capi faciendo, & aſſignando illos captivos in Magna Cu-*

Curia Domini Magiſtri Juſtitiarii, vel Capitanei Neapolitani, aut aliis quibuslibet officialibus noſtris dictæ Civitatis, prout videritis expedire; per quos mandamus, & volumus cuſtodiri, & abſolvi, atque liberari ad petitionem veſtram, & non aliter, pœnaſque ab illis per vos juſte, & cum omni æquitate quantum ſpectat ad officium ſupradictum; quam pecuniam dictarum pœnarum, & condemnationum percipi volumus per unum eligendum per vos, convertendum in reparatione dictæ Civitatis Neapolis, ac pro aliis rebus, & cauſis occurrentibus, neceſſariis & utilibus univerſitatis prædictæ &c.

IV. Ex hac conſtitutione colligitur quanto ſtudio Rex Ladislaus commodis hujus Civitatis proſpexerit, & quibus prærogativis Adminiſtratores illius ad eam rem conſequendam exornaverit; nam non tantum dedit cognitionem circa ea, quæ ad victualia pertinent, & ad juſtum pretium imponendum, ſed & juriſdictionem, & imperium, ſeparatum ab eo, quod competit Magiſtratibus jure publico. Et ſane, quemadmodum ceterarum rerum, quæ univerſale commodum reſpiciunt, cura & diligentia ad munus Principis, publicorumque Magiſtratuum ſpectat ſic multo magis quæ conſiſtunt in procuranda, ſervandaque annona, victualibuſque vendendis, ne populus vexetur, fraudeturque in re; cujus comparandæ quotidiana incumbit neceſſitas *cit. l.* 1. §. *cura de offic. Præf. Urb.* adde *l.* 1. *C. de epiſcop. aud.*, quam legem vulgo Bartolinæ ſcholæ Doctores accipiunt de juſto pretio mercaturis imponendo per Epiſcopum cujuſque loci; idque ex auctoritate conceſſa ab Imp. Valentiniano (ſed male hujus Principis conſtitutionem intellectam; interpolatamque a Triboniano fuiſſe, evidenter oſtendit doctiſ. Gothofredus in *l.* 5. *C. T. de luſtrali collat.*) Antiquo etiam, generalique Regni noſtri jure, ad Regem pertinuiſſe, ejuſque Magiſtratus, Judiceſque, legitimum ac certum rebus venalibus pretium imponere, non male colligitur ex *conſt. ad officium Bajulorum*. Imo ex *conſtit. per univerſas* adparet, a Friderico II. de certo pretio miniſteriis artificum imponendo, ſive *aſſiſias*, ut ibi dicitur, cautum fuiſſe; idque mandatum Camerariis provinciarum, ubi notat Matthæus de Afflictis, ætate Iterniæ extitiſſe ejuſmodi ſpeciales *aſſiſias*, adprime neceſſarias in hac civitate, præſertim circa ſarcinatores; in qua, ait ille, ſemper variantur veſtes, propter ſtudium ſubditorum, ſe conformandi ad uſum veſtiendi receptum in Aula Principis. Et quæ ſic addit idem Doctor nonnihil leporis habent: *Ut ſicut ſe reddunt conformes in veſtibus, ſe reddant in fide, & amore regio. Et hoc conſtellationes cœlorum in cordibus Neapolitanorum induxerunt Gaudent ergo Reges hujus Regni tales habere ſubjectos, qui eorum voluntati ſunt conformes; ideo præ ceteris Neapolitanos debent præmiis, & honoribus afficere. Et ex hoc infero, quod poſſent legitime puniri iſti magiſtri ſutores, qui recipiunt exceſſivam mercedem pro veſtimentis, & ſic ultra aſſiſiam conſtitutam poſſent puniri pœna quatrupli*. Sed conſuetudo omnia hæc abrogavit, fortaſſis ex eo quod veſtium luxu pompaque in immenſum producta, præcipue inter mulieres, unde antiquæ legis Oppiæ remedio opus foret, impoſſibile viſum fuit, una generali ſanctione tot varii diverſique generis veſtibus providere. Et propterea, ſtatutis inter nos pro unaquaque arte quibuſdam ve-

veluti ſodalitiis, in quibus eliguntur quolibet anno duo, pluresque Præfecti, quos vulgo dicimus *Conſules*, iis negotium datur, ubi controverſiæ agitantur, pretium pro artificii qualitate imponendi. Quanta autem diligentia in re, quam tractamus, olim verſati fuerint Principes noſtri, exempla non deſunt ex legibus Regni, nominatim *ex conſtit. magiſtros tit. de fide mercat. in vendend. mercib. adhib.* ubi poſtquam expreſſum ſit, in ſingulis generibus arteficum quanam ratione bona fides adhiberi debeat in artificiis, & mercaturis:& agitur de venditoribus victualium; & hæc notabilia verba leguntur: *Buzerios* (venditores vicini, a buza, ſive butta, barbare pro dolio, vid. Cangium in *gloſ.*. Sed generaliter in hac *conſtit.* denotantur vini, carnis, caſei &c. venditores, ut adparet ex contextu verborum) *& piſcium venditores, qui vitæ hominum neceſſaria ſubminiſtrant, & ex quorum fraudibus magnum poſſet, non rebus tantummodo, ſed perſonis etiam damnum inferri; in eorum mercibus, & mercationibus volumus eſſe fideles videlicet ut ſcrophas pro porcis vel carnes morticinas, aut ab uno die in alium reſervatas, ſic hæc emtoribus non prædixerint, ſeu qualitercumque corruptas, vel infectas, in damnum, & deceptionem emtorum, vendere non præſumant. Venditores etiam piſcium in corruptis piſcibus. non vendendis, & ab uno in alium diem ſine prædictione ſimiliter reſervatis, fidem præcipimus obſervari. Et ut prædictiones, & ſinguli ſuperius nominati rerum vitium vendendarum ex fide prædicent; & ut cibos pridie præparatos, & in altera die calefactos ſimiliter ſine prædictione non vendant. Venditores etiam candelarum, eas fideliter faciant, nec in eis in emtorum diſpendium immiſceant aliquid ceræ, nec in eis niſi bambacinum papyrum includant; vel ſi aliter fecerint, emtores exinde certiorare curabunt. Tabernariis autem, & venditoribus vini quibuslibet prohibemus, ne vendere audeant lymphatum vinum pro puro &c.* Placuit hæc omnia tranſcribere, ut adpareat quam inanis Legumlatorum cura ſit, ibi agitur de privato commodo, & damno multitudinis; etenim ubique contra ſuperiorem conſtitutionem fit, quoniam utplurimum ab iis, qui præficiuntur annonæ, ceteriſque rebus ad victum ſpectantibus, ſolent eligi, pro fraudibus venditorum inveſtigandis, homines conditionis viliſſimæ, qui facillime pecunia corrumpuntur.

V. Ut ſuperiora rectius obſerventur, Adminiſtratoribus hujus Civitatis Ferdinandus primus Aragonenſis, ut habetur *ex volum. privileg. tom. 1. p. 28.* facultatem confirmavit pœnæ imponendæ adverſus venditores, de quibus ſupra, quoties ultra ſtatutum pretium vendiderint, & contra eorum edicta; & pecunia, quæ inde redigitur, placuit impendi pro neceſſitate, utilitateque Univerſitatis Neapolitanæ. Sed quoniam in *cap. 37. privileg. d.* Regis Ferdinandi, dum, agitur de ſuperiori pœna, dicitur non minus in *perſonam, quam in bona*, quæſitum fuit, quid intelligatur pœnæ perſonalis nomine. Creditur huc pertinere vulgaris regula *qui non habet in ære, luat in corpore*; ſcilicet, ut aliqua corporali pœna animadvertatur in eos, qui non habent, unde ſolvant pœnam pecuniariam; ne pauperibus detur occaſio impune delinquendi. Sed qualis debeat eſſe ejuſmodi corporalis pœna, utpote a jure non definita, remittitur æquitati Adminiſtratorum,

ſecun-

Digitized by Google

ſecundum qualitatem facti & circumſtantias. Nec admiſerim libenter quod in *not. ad d. cap.* 37. generaliter pro pœna perſonali intelligitur fuſtigatio, nam hæc cum non levis ſit, imponi tantum debet, quoties fraus committitur cum publico damno. Statuerat equidem Fridericus II. in *cit. conſtit. magiſtros in fin.* non tantum pœnam fuſtigationis, ſed longe graviorem illis verbis: *Et ut fraudes artificum ſingulorum pœna non careant, ſi contra prohibitionem, & ordinationem noſtram in artificiis fuerint inventi doloſe verſati, prima vice deprehenſus in dolo, falſa opera faciens, vel cibaria prohibita, vel corrupta, vel vinum lymphatum pro puro vendendo, libram unam auri puriſſimi fiſco noſtro componat: quam ſi propter inopiam forte dare non poterit, fuſtigetur; iterato vero deprehenſus in ſimili manum perdat: tertio deprehenſus talia perpatrare, ſuſpenſus in furcis mortis periculum ſubeat &c.* Verum hæc, tanquam ultra modum ſevera, uſus non confirmavit; nec debemus argumenta deſumere ab auctoritate Principis, quæ in certis cauſis pro bono publico ab æquitatis regula recedere poteſt, ad facultatem conceſſam Adminiſtratoribus circa venditionem victualium. Et propterea in *cit. not.* male provocatur ad ſuperiorem conſtitutionem; quandoquidem inde ſequeretur, & *Electis* hujus Civitatis poteſtatem datam pluries delinquentes pœna laquei afficiendi.

VI. In *cap.* 38. *ejuſd. privileg.* Ferdinandi primi mandatur Regiis Officialibus, ne impediant circa prædicta *Electis* hujus civitatis; imo ut eis, ſi quando neceſſarium eſt, opem auxiliumque præſtent. In *cap.* 40. mandatur etiam Publicanis, ideſt vectigalium conductoribus, vulgo *Gabellotis*, & *Dohaneriis*, ne ſint impedimento his, quæ ab *Electis* decernuntur circa venditionem, copiamque victualium. In *cap.* 41. a cura conſervandi purgandique vias removentur Regii Officiales; ſtatuiturque id tantum pertinere, prout jam ante conſueverat, ad *Electos* Civitatis. Morem autem ſic ſe habere in re, qua de agimus, proponit illis verbis Joſephus de Roſa *conſult.* 1. *n.* 1.: *Initio ſtatuo, noſtram hanc Civitatem, licet repræſentetur per quinque plateas nobilium, & plateam popularem; quia tamen difficillimum erat illas ſemper & in qualibet caſu congregare, certos propterea ſibi delegiſſe magiſtratus, in quos omnem rerum ſummam tranſtulit .... & ne rerum multitudo eos opprimeret, agendarum curam diviſit, & cuique rei proprios deſignavit adminiſtros; ſic annonæ præfecit Electos ..... viis, aliiſque locis publicis civitatis conſtituit Deputatos, quos vulgo vocant* della mattonata, *in quos omnem tranſtulit ejus rei poteſtatem &c.* Verum quod idem auctor longa diſputatione probare conatur, nempe uſque adeo Adminiſtratorum univerſitatis immediatam curam eſſe viarum, ut eas libere poſſint vel noviter conſtruere, vel iterum deſtruere, & in privatum redigere, etiam abſque ulla Principis licentia; vereor an ſemper, & in omni caſu verum ſit: nam prætermiſſis iis, quæ ille aſſerit ex opinione Bartoli, aliorumque; ipſamet verba Regis Ferdinandi in *cit. cap.* 41. deſtruere videntur ejuſmodi opinionem; ſiquidem dum nomine civitatis petitum fuit, ut nemo ex Officialibus Regiis impediret, aut interveniret, quoties agitur de conſervandis & pur-

gandis viis, cum id ex conſuetudine munus eſſet proprium Electorum, Rex his verbis reſpondit: *Placet Regiæ Majeſtati: verum provideant ipſi Electi taliter, quod non oporteat ſuam Majeſtatem aliter providere.* Quæ verba evincunt, & ibi Regem ſervaſſe curam viarum, providendo, ne quid fiat ab Adminiſtratoribus cum magno damno publico. Nec facit pro eadem opinione quod ſtatuit de Roſa pro jure certo, vias publicas intra civitatem, ipſius civitatis eſſe; nam primo hæc aſſertio extra omnem controverſiam non eſt, Donellus etenim *lib. 4. com. c. 4.* univerſitatis cenſet vias eſſe, Cujacius *in not. prior. ad Inſtit. tit. de rer. diviſ. n. 15.* publicas, hoc eſt populi. Sed quoniam ſequiori ætate, quæ jure gentium publica cenſebantur, magna ex parte, præſertim poſt uſus feudorum, in Reges translata fuere, unde novo, & ſpeciali nomine *Regaliæ*, ſive jura regalia, adpellatæ ſunt; ideo & viæ, quæ inter ea jura numerantur *lib. 2. feud. tit. 56.*, ad Principes pertinere creditum eſt. Scio in hanc communiter ſententiam itum eſſe, vias extra civitates Principum cenſeri, & regaliarum nomine venire; ceterum quæ intra civitates ſunt, cujuſque univerſitatis proprias eſſe, adeoque ſolam adminiſtratorum curam ſpectare. Hæc diſtinctio uſu magis & Doctorum auctoritate, quam aut legibus, aut ratione nititur. Et quamvis probare eam velimus, non ideo tamen ſequitur, excluſam omnino eſſe Principis diligentiam, facultatemque in inveſtigando, utrum recte, an ſecus ſuo utantur jure Curatores viarum, ut jam diximus, ex verbis relatis in *d. cap. 41.* Igitur opinio de Roſa vera tantum erit, cum agitur de refectione, aut purgatione viarum, ſive de mutatione levioris momenti: at non videtur ſervanda, ubi noviter conſtrui debet via, præſertim cum alieno damno; aut antiqua deſtruenda, & in privatum redigenda; nominatim ſi quid moliendum eſt in aliqua ex primariis viis contra decorem & ornatum urbis; tunc etenim ratio expoſcit, ut & Princeps conſulendus ſit.

VII. Iiſdem civitatis Adminiſtratoribus datum eſt providere, ne viis locisque publicis officiatur. Olim tale munus auctoritate Regia conferebatur, eratque unum ex officiis, quæ adpellantur Regiæ Curiæ, & ſolebat utplurimum locari, & ſpeciale nomen habebat *Portulania*. Sed neſcio cur ita dictum ſit, nam, prout annotavimus *lib. 3. c. ult. Portulani* & *Portulania* vocabula ſunt pertinentia ad curam officiumque portuum, non ad vias, aut ædificia noviter conſtruenda. Fortaſſis quia antiquitus & Portulanorum cenſebatur cura invigilare, ne ædificando, aut aliud quidquam moliendo prope portus, afferretur incommodum navibus, merciumque exportationibus, & comportationibus; ideo paulatim, ut ſolet eſſe cupiditas iuriſdictionis amplianдæ, cœperunt Portulani cujuſcumque generis ædificationibus intereſſe; & obtentu incommodi in viis publicis, certum vectigal exigere. Qua in re cum abuſus haud ferendus videretur, impetratum fuit a Philippo IV. Hiſpaniarum Rege, nomine civitatis, ut illud officium deinceps Adminiſtratoribus perpetuo jure concederetur, vid *vol. 2. privileg. pag. 173. & 174.* Idem confirmatum fuit an. 1714, vid. *d. vol. 2. pag. 251. & 253.* Et propterea illis competit non tantum cura viarum, ſcilicet circa pur-

purgationem & reparationem ; ſed etiam circa permiſſiones, ſive licentias fabricandi ; quemadmodum ubi quid exporrigendum eſt, habendumve in litibus viarum .

VIII. Hic autem peropportune quæritur , an ædificandi jus intra certum modum pertineat ad curam Principis. Romanorum quidem legibus inſtitutiſque affirmandum utique eſt ; nam & Romæ id ad Auguſto ſtatutum colligitur ex Suet. in *Auguſt. c.* 89., & clarius refertur a Strabone *c.* 5. *geographiæ* : *Ruinis quoque ſubventurus, nimiam ædificiorum altitudinem ſuſtulit , vetuitque ad vicos publicos altius ſeptuaginta pedibus tollere.* Trajanum, ne domorum altitudo ſexaginta ſuperaret pedes, ob eandem rationem decreviſſe legitur apud Sext. Aurel. Victorem *epit. in Trajan.* vid. *l.* 1. & *l.* 12. *C. de ædif. privat.* & Vinn. *Inſt. tit. de act.* §. 21. Multo magis Principis cura erat providere, ut a locis ædificiiſque publicis damnum, aut incommodum averteretur *l.* 38. & 39. *C. T. de oper. publ.* Et in *l.* 4. *eod. tit.* id ipſum prohibens Conſtantinus M. , ſcilicet ne privati ædificando officiant publico, generaliter ſic conſtituit : *Quod ſi quis ædificandi amore publica damna neglexerit* ; *non ſolum quod conſtruxit , ſed omnes res ejus , & quidquid in ſuo jure habuit , fiſco adjudicari præcipimus* . Quapropter non tantum in urbe Imperiali , ſed & ubicumque in Provinciis , quoties novum opus conſtruendum erat, Principis requirebatur conſenſus, ſi fortaſſis quid inerat publici detrimenti *l.* 9. *D. eod. tit.* Eodem pertinentes non deſunt leges Regni ; quandoquidem generali ſanctione Rex Rogerius prohibuit *in conſtit. in locis demanii noſtri*, ædificia erigi in *locis demanii* (intelligere in locis publicis , quæ immediate ſunt dominio Regis ; unde minus recte quærunt interpretes , an idem ſervandum ſit in locis baronalibus ; in quibus publicæ res ex conceſſione feudi non deſinunt eſſe ſub immediato Principis dominio) *per quæ ipſorum locorum defenſio , vel munimen , aut liber introitus , aut exitus valeat impediri*. Quæ verba denotant ſpecialiter muros & portas uniuſcujuſque urbis . Sed hæc conſtitutio paulatim cœpit in deſuetudinem abire , ſive quia in locis prohibitis ædificandi licentia facile impetrabatur, ſive favore piæ cauſæ , ut noſtri dicunt; etenim creſcente in immenſum multitudine atque mole monaſteriorum in hac civitate , in quibus præter commodum habitandi , amœnitati proſpectus , & late patentibus mœnianis , viridariiſque neceſſarium fuit providere , ambitu urbis facto jam nimis anguſto , ſuper muris & ultra novæ fabricæ erectæ ſunt . Et tanquam ſi id ad ſummum religionis pertineret, generalis Principis aſſenſus impetratus fuit nomine civitatis a Philippo II. vid. *vol.* 2. *privileg. pag.* 17. Quod ipſum & privatis civibus deinceps permiſſum fuit; adeout vix diſtingui cœperint privata ædificia a muris urbis, & quæ ſunt habitationes intus, vel extra Civitatem. Et licet ab Hiſpanis Regibus non ſemel prohibitum fuiſſet nova ædificia conſtrui certis in locis , vid. *pragmaticas ſub tit de ædific. prohibit.*, vel ut non officiatur publico , vel ut impediatur nimia habitantium multitudo , quæ ex omnibus regionibus Regni huc facile ſolet confluere; quam rationem refert de Ponte *de pot. Proreg. tit.* 2. §. 2. *n.* 18. : nihilominus ædificandi modus ſervatus non fuit ; imo ſæpius abolitio

S 2 pœna.

pœnarum petita eſt adverſus tranſgreſſores legum circa prohibitam ædificationem promulgatarum, vid. *d. vol.* 2. *privileg. pag.* 112. *&* 144. Oblatas quoque Philippo III. preces legimus *eod. vol. pag.* 81. *&* 83. *&* 133.; ut Neapolitanis tantum civibus liceret nova edificia conſtruere in ſuburbiis; eaſdemque repetitas Philippo IV. *pag.* 126. Verum ab hoc Rege impetrari non potuit, ut abſque licentia ſuperiorum poſſet ædificari in locis prohibitis, ut patet ex verbis *gratiarum an.* 1638. *c.* 6. *eod. vol. pag.* 144.; unde ſi quando opus erat, ſolebat diſpenſari a Regia Camera, idque non ſine præſtatione pecuniæ; & obtentu inquiſitionis, utrum locus ædificii prohibitus eſſet, an ſecus, extorquebatur pecunia in qualibet nova ædificatione. Unde ejuſdem civitatis nomine graves querelæ adverſus Miniſtros Regiæ Cameræ, prout legitur in *gratiis conceſſis an.* 1717. *cap.* 5. *eod. vol. pag.* 280. *&* 281., ac proinde his verbis reſcriptum fuit, ſtatutuſque deinceps pene liber modus ædificandi: *Placet reſpectu locorum in Regiis pragmaticis prohibitorum; ſalvo jure tertii. Exceptis tamen locis non ſolum circum caſtrum Sancti Elmi, ſed etiam circum reliqua caſtra, & Regia præſidia, in quibus ſemper denegetur licentia noviter edificandi. Quæ vero permittatur, & concedatur gratis in eo tantum caſu, cum ex cauſæ cognitione conſtiterit, quod ex novis ædificiis Regia caſtra, & præſidia neque pati poſſint offenſam, & neque eorum defenſioni impedimentum irrogetur*. Quamvis autem in hoc privilegio dicatur, *licentiam concedendam gratis*; tamen ab iis, quorum munus eſt referre ad Principem, utrum permittendum ſit novum ædificium, necne, fraus fit legi, ob exactiones injuſtas. Et propterea libere dici poteſt, in novorum ædificiorum conſtructione; aut antiquorum reparatione, vix conſiderari, qui eſt finis ſuperiorum legum, publicum commodum, præſertim, ne deformetur aſpectus urbis, cujus favore & libera facultas dominii privati olim impediebatur S. C., vid. *l. cetera* 43. *&* 45. *de legat.* 1. & ne occupentur ſpatia in viis, locisque publicis, adeo neceſſaria, præcipue ubi multitudo, & frequentia civium immodica eſt; ſed tantummodo privatam utilitatem. Unde ædificandi licentia redacta eſt ad certum vectigal, quod dum ſolvitur, ſatis jam creditur factum prohibitioni. Inde evenit, ut quæ exactio ratione permiſſionis injuſta eſt, ubi nocetur publico; eadem fit injuſtiſſima, quoties non nocetur, imo tendit ad ornatum urbis e. g. dum ex mænianis noviter extruendis viæ nimis anguſtæ officitur, aut alio loco publico, nec permittendum eſt; nec quidquam exigendum: contra ſi eadem apponantur in ſpatiis, & viis ampliſſimis, unde melior redditur domus aſpectus, quemadmodum ubi tectoria, incruſtationeſque addendæ ſunt ædificiis, impetranda quidem eſt licentia, at ſi quid exigitur, injuſte fit; ſiquidem tunc non officitur publico, imo aſpectus urbis redditur melior, & nobilior. Verum hæc inaniter jactantur; & tantum ſapientibus documento ſunt, omnium legum origines plauſibiles eſſe, ut quæ præſeferunt univerſale bonum, ſed paulatim eas magna ex parte paucorum commodo cedere.

IX. Præter ſuperiora, ſunt & alia conceſſa Electis privilegia. Erat ſane vel antiquitus conſuetudo, ut ipſi poſſent jus civitatis exteris concedere, prout exprimitur in *capitulis gratiarum*, poſtquam iterum Regni dominium

Digitized by Google

nium adeptus fuit Ferdinandus II. Aragonenſis *an.* 1495. *c.* 12. *vol.* 1. *privileg. pag.* 34.; verum petierunt a Rege, ut & facultas ſibi concederetur abdicandi: hoc eſt privandi aliquem eodem jure. Quod potuerint civitatem donare, a regulis juris communis non abhorret; etenim licet Romæ tale jus fuiſſet Populi ſtante Republica, & poſtmodum translatum, ſive uſurpatum ab Imperatoribus, unde celebre Pomponii dictum Tiberio Cæſari apud *Suet. de illuſtr. grammat. c.* 22. *Civitatem Cæſar dare potes hominibus, verbis non potes*; nihilominus in Provinciis, Decurionibus cujuſque univerſitatis competebat, prout non obſcure colligitur ex *l.* 7. *C. de incolis lib.* 10., ubi decernitur, civem aliquem fieri non ſolum origine, ſive nativitate, ut explicat Cujacius, ſed & manumiſſione, veluti manumiſſus a campano, campanus civis fit, & adoptione, & *allectione*, hoc eſt ſi quis in civitatem aliquam receptus ſit, ut interpretatur idem Cujacius; quod utique fieri non poteſt, niſi auctoritate Decurionum, ſive Adminiſtratorum civitatis. At auferre jus civitatis, cum ſit pœna, eaque non levis, capitis deminutio Romanis legibus adpellata, quaſi quod civitas deminuta ſit uno capite, vid. *Hotom. tit. Inſt. de capit. demin.*, non utique pertinere poteſt, niſi ad eos, penes quos publica eſt juriſdictio in criminalibus. At petitioni annuit Rex, verum hac clauſula adjecta: *Placet; dum tamen fiat ex juſta cauſa, quæ quidem debeat ſuæ Majeſtati notificari*. Hinc ſequitur, ex conceſſione Ferdinandi poſſe tantum Electos juſtam cauſam inquirere, unde debeat quis jure civium abalienari, eamque referre ad Principem, ut decerni poſſit, utrum ille dignus ſit ea pœna, an ſecus. Verum an. 1496. cum eadem de re preces oblatæ eſſent Regi Friderico Aragonenſi, hic ſimpliciter annuit, nec quidquam expreſſit de relatione ad Principem, vid. *d. vol.* 1. *privileg. pag.* 37. Sub Regno Ferdinandi Catholici, dum ejus vices hic obibat Conſalvus Cordubenſis, vulgo dictus *Magnus Capitaneus*, videtur aliquo modo imminutum ſuperius privilegium; nam dum ab eo petitum fuiſſet an. 1503., vid. *d. vol.* 1. *pag.* 56., ut confirmaretur, quod ab antiquo ſervabatur circa jus concedendi exteris civitatem, reſpondit: *placet interveniente Regio aſſenſu*. Et propterea multo magis idem aſſenſus neceſſarius erit, ubi agitur de privatione ejuſdem juris, cum major cenſeatur auctoritas in hac ſpecie, quam in illa. Quod attinet ad prærogativam nobilitatis, ſpecialia quædam adſunt ſtatuta Collegiorum nobilium, vulgo *ſedilium*; nam qui inter nobiles alicujus ex ſedilibus adſcribendus eſt, impetrata prius licentia a Rege, omnium ſuffragia pro ſe habere debet; & quando quæſtio eſt de reſtituenda in albo nobilium una ex familiis, quæ temporis decurſu tale jus amiſit, in Sacro Conſilio, auctoritate Principis, ea de re diſceptatur, vid. *Auctor. hiſt. civil. lib.* 20. *c.* 4. Speciale autem eſt, & notatu dignum, quod legitur in conceſſione privilegiorum Ferdinandi primi an. 1486. *cap.* 48. *d. vol.* 1. *pag.* 30. nemini Regiorum Officialium permitti ſeſe immiſcere, & cognoſcere de litibus jurgiiſque nobilium, quæ oriuntur circa negotia ſpectantia ad dicta ſedilia; dummodo non agatur de effuſione ſanguinis; hoc eſt dummodo jurgia eo uſque non præcedant, ut vel vulnus aliquod ſit illatum, aut

Digitized by Google

aut timeatur, ne id eveniat, aliudve grave damnum.

X. Habent etiam Electi facultatem circa ſyndicatum Judicum temporariorum; quod jus & Adminiſtratoribus aliarum civitatum Regni competit, prout expoſuimus *lib.* 2. *cap. ult.* Quolibet menſe inſpicere poſſunt de familia armata Magnæ Curiæ, an in ea quod conſuetum eſt, obſervatur, vid. *cit. vol.* 1. *pag.* 29. *c.* 43. Diſtinguuntur & decorantur titulo *Illuſtrium*, vid. *vol.* 2. *privil. pag.* 46. Qui ſane titulus in dignitatibus Imperii olim præcipuus erat; ſiquidem Senatores diſtinguebantur in *illuſtres*, *ſpectabiles*, & *clariſſimos*, & virorum illuſtrium quinque erant gradus, vid. Cujac. *in Cod. tit. de tutorib. vel curator. illuſtr. &c.* & *in l.* 2. *tit. ut dignit. ordo ſerv. lib.* 12. At gliſcente inter homines ſupra modum vanitate atque adulatione, ſuperiora dignitatum vocabula jamdiu facta ſunt ſordida & vulgaria; novaque excogitata, verborum magnitudine, atque apparatu ſublimiora; unde opus fuit moderamine ex legum præſcripto, vid. *prag.* 1. *de titulorum ſeu inſcriptionum abuſ. &c.* Quoniam autem Adminiſtratoribus ſupradictis *an.* 1711. & *ann.* 1717., vid. *d. vol.* 2. *privileg. pag.* 235. & *pag.* 279. honor delatus fuit Procerum Hiſpanorum primi ordinis, qui *excellentiæ* titulo decorantur; propterea & idem titulus ipſis tribuitur in ſcripturis publicis, privatiſque; & in omni actu ubi repræſentant corpus totius civitatis.

XI. Quod attinet ad Electum, qui dicitur de populo, quædam ſpecialia ſtatuta ſunt in ipſius creatione. Primo, quia ſex menſes tantum in ſuo permanet officio, alius creari debet eo ſpatio transacto; nec confirmari poterit, niſi ſemel tantum *prag.* 5. §. *ſeſto vogliamo de abolitionibus.* Secundo ſervari debent in electione illius, quæ more conſueto jamdiu obtinuere in ipſo collegio populariun, vulgo in *platea populi*, *vol.* 2. *privileg. pag.* 49. inter *privileg. Philippi III. an.* 1600. *Tertio*, *ut colligitur ex cap.* 35. & 36 *grat. an.* 1713. *d. vol.* 2. *privileg. pag.* 273. ejuſmodi electio fieri debet a binis procuratoribus, qui creari ſolent ab unaquaque tribu; nam civitas in viginti novem tribus dividitur. Ad eoſdem procuratores ſpectare in *cit. c.* 35. dicitur electionem decem Aſſeſſorum ſive Conſultorum Civitatis; & *cit. cap.* 35. ad ſingulas tribus electionem *Capitanei*; nam ſex nominantur, & unus ex iis ſeligitur a Principe; nec id fieri poſſe impetrato diplomate, *ibidem* decernitur. In *cap.* 37., eoſdem Conſultores, Capitaneoſque amoveri prohibetur, niſi cauſa cognita. In *cap.* 38, in his, quæ ſtatuenda ſunt per curiam populi, mandatur *vota exigi per ſcrutinium ſecretum.*

CA-

Digitized by Google

CAPUT III.

Exponuntur ſpeciales noviſſimæ leges de annona, ceteriſque rebus ad victum neceſſariis, præcipue in civitate Neapolis: deque Curatoribus, atque Adminiſtratoribus earum.

ANNONÆ vocabulum etſi generale ſit, denotans omne alimentorum genus, ut colligitur ex *l. ult. D. ad leg. jul. de an.*; unde in *tit. C. T. de annonis civicis*, agitur etiam de oleo, ejuſque certa menſura *l. ult.*; tamen utplurimum de ſolo frumento, aut pane accipitur, *pane cocto*, ut eſt in *l. 1. C. de frumento urb. Conſtantinop.* Quod ſane annonæ ſpecies, cum maxime conducat, imo præ reliquis neceſſaria ſit alimoniæ civium. ne ejus caritas ſeditionibus motibuſque popularibus occaſionem præbeat; ſemper viſa fuit ſpectare ad præcipuam curam Principis. Hinc, ut mittamus tempora Romanæ Reipublicæ recenſere, ſub Imperatoribus innumeræ latæ fuerant ea de re leges; nominatim pro Urbe Roma, & Conſtantinopoli, necnon etiam pro ceteris primariis, & frequentioribus Imperii; nam ubi populus abundat, præſertim ex turba plebejorum, rumores excitantur facillime, ſi vel vice ſimplici deficiat annona. Quod ad Romam ſpectat, titulus legitur in *Cod.* tum Theodoſii, tum Juſtiniani *de canone frumentario Urbis Romæ*, ex quo diſcimus, populo alendo provinciales contuliſſe frumentum, oleum, porcinam, bubulam: iſque dicebatur canon, & commeatus populi Romani, ut ait Cuiacius; idque pro tributo, & vectigali, ſpecialiter in Africa, qua nulla alia habebatur feracior provincia. Frumento continendo, notat doctiſ. Gothofredus *paratit.*, in provinciis horrea deſtinata erant; & nautici, ſive navicularii, de quibus extat & titulus in *eod. Cod.*, ad illud ſubvehendum in portum urbis Romæ e provinciis Imperii. Et notabilis eſt *l. 1. C. cit. tit. de can. frum. &c.*, in qua jubet Imp. Valentinianus, in locis, ubi canon ſive annona in naves infertur, debere navicularios ſpecies, quas ſuſceperunt Romam perferendas, profiteri apud Curatorem civitatum, vel Magiſtratuum acta (hoc eſt Duumviros, prout legitur in *l. 2. C. T.*, non autem *Præſidem*, ut male Tribonianus interpolavit, nam ea cura non Magiſtratuum Romanorum, ſed Municipalium erat) ſe incorruptas accepiſſe; mox & Magiſtratus illos eas ſpecies oculis ſuis, & aſpectui ſubjicere debere, ut ita de integritate ſpecierum fides ſit. Jubet poſtremo Imperator, & aliam inſpectionem, quo omnia peragantur ſine dolo, & fraude, quæ facile intervenit, ubi agitur de rebus pertinentibus ad publicum, prout quotidiana experientia demonſtrat: jubet, inquam, Imperator, ut navibus in portum appulſis, Præfectus annonæ, quem Roma ad portum certis temporibus ſe conferre oportebat, canonem frumentarium inſpiciat: ut ita de integritate, vel corruptione ſpe-

ſpecierum allatarum judicare poſſit. Notat idem Gothofredus ex Caſſiodoro, eundem Præfectum annonæ exigere ſolitum penſum & munditiem panis. Et uſque adeo optimorum Principum annonæ cura proceſſit, ut ſtatutum ſit, nec reſcripta valere, utpote contra bonum publicum elicita, in quibus immunitas, ſive remiſſio conceditur cabonis frumentarii inferendi, vid. *l.* 2. & 3. *C. cit. tit.* Ex quibus infertur, ad exequtionem perducendas non eſſe licentias, quas dicunt, ſuperiorum pro comportando frumento, aliiſque victualibus extra provinciam, quoties agitur de annona neceſſaria provincialibus; nam ejuſmodi *licentiæ* privatum ſolent utplurimum commodum reſpicere.

II. Non diſſimilis cernitur in legibus Imperialibus diligentia pro Urbe Conſtantinopoli; imo major, ex iis, quæ habentur in *l.* 1. *C. T. de frumento Urbis Conſtantinop.*; nam cum eveniret quandoque, ut canon annonarius, qui a provincialibus tributi nomine conferebatur, non ſufficeret, ob ingentem populi multitudinem; placuit Theodoſio juniori ea conſtitutione certam pecuniæ quantitatem ſtatuere, ut ita, urgente neceſſitate, frumentum ex ea coemi vendique poſſet; ne unquam in quocumque caſu populus deſtitueretur annona. Sed parum erat iſtud ærarium inſtituiſſe, inquit eleganter Gothofredus, niſi adminiſtratio fidelis haberetur. Et propterea in *ead. l.* duo notanda ſunt, primo pecuniam illam cum incrementis, ideſt acceſſione, quæ provenit ex ſequuta venditione, publice coram Præfecto Urbis pandi, declarari, computari, ſubduci debere; & Senatus Conſtantinopolitani examini inſinuari, ut perſpici poſſet, num ex fide omnia geſta ſint. Secundo uſurpari ex ea pecunia quidquam expreſse vetuit Imp., & confirmavit in *l. ult.* quæ eſt *l.* 2. *C. Juſtin. eod.*, quocumque obtentu, a quocumque, ne quidem Præfecti Urbis auctoritate, ſub pœna dupli; etenim ſacrilegio proximum videtur, ait cit. Gothofredus, ex hoc ſanctiore quodammodo ærario quidquam deguſtare, decerpere, quod repoſitum, ſeu reconditum in famem, ſi quando urbi ingruentem erat. Urgente etiam annonæ neceſſitate, ad comparandas ſpecies in provincias mittebatur, quod & ſtante Republica Senatus auctoritate fieri ſolitum idem Gothofredus notat ex nummis argenteis Piſonis, & Cœpionis, in quibus cernuntur duo viri ſedentes inter ſpicas cum inſcriptione AD FRV. EMV. EX S. C. Conſtantinopoli ejuſmodi coemtiones per provincias indicebatur quo pertinet titulus C. Theod. *de publica comparatione*. Idem titulus in Cod. Juſtinianeo *lib.* 10. inſcribitur: *Ut nemini liceat in coemtione ſpecierum ſe excuſare*; & *de munere ſitoniæ*. Sitonia, vel Sitonicum interpretatur Cujacius curam coemendi frumenti, aliarumque ſpecierum, ut ordei, olei &c.; a quo onere neminem excuſandum ſtatuit Imp. Anaſtaſius in *l.* 1. *C. cit. tit.* neceſſitate urgente, veluti exercitus, aut Urbis inopiæ ſublevandæ cauſa. Theodoſius quidem Magnus ab ea obligatione tenuioris fortunæ homines exceperat, & tantum potiores, ideſt ditiores poſſeſſores prædiorum ad voluntariam præſtationem hortatus fuerat: optima ſane ratione, ne qui ex agellis ſuis proprio labore atque induſtria ad victum neceſſaria pro ſe & familiis

liis paraverunt, eadem traderent ad aliorum alimoniam. Divites contra, iniquum non eſt, ut quod ſupereſt ex neceſſaria annona, quodque ad vendendum reponitur, dent juſto pretio pro publica neceſſitate ſublevanda. Verum Juſtinianus Theodoſii legem, quæ eſt ultima *cit. tit. C. T.* omiſit in ſuo, & confirmavit conſtitutionem Anaſtaſii, ita ut nemo amplius exciperetur a neceſſitate præſtationis ſupradictæ. Lex autem Theodoſii & majori æquitate pollet, & uſui eſſet accomodatior;nam experientia demonſtrat, in his caſibus publicæ neceſſitatis, divites, ſive gratia, ſive muneribus, ſemper habere unde ſe ſubtrahant ab oneribus impoſitis, quæ magna ex parte ſolent humiles & plebejos gravare. In *cit. l. ult.* Theodoſius in ſpeciebus traditis pretium *forenſe* perſolvendum jubet, ideſt, quod in foro rerum venalium obtinet (vulgo *a prezzo corrente*). Unde ex ea conſtitutione facile dirimitur controverſia agitata inter Doctores, quo pretio privati in *careſtia* ſpecies annonarias vendere teneantur, juſtone, an viliori? nam & forenſe juſtum eſt. Huc facit canon Concilii Arvernenſis relatus in *cap. 1. de emt. & vend.*, quo monentur plebes ut hoſpitales ſint, & ut, nihil carius vendant tranſeuntibus, *niſi quantum in mercato vendere poſſint:* Neque dixeris, publicæ neceſſitatis nullum privilegium eſſe, dum communi pretio res comparandæ ſunt; nam non levis eſt prærogativa cogere privatos, etiam nolentes, res ſuas vendere & vendere in præſenti, licet fortaſſis alio tempore carius eſſent vendituri. Quod ſi neceſſitas eo uſque proceſſerit, ut præſens pecunia haberi non poſſit de publico, idonea cautione præſtita, iniquum non eſt, ut illa promittatur in futurum. Et ſane ſi in magna neceſſitate privato cuique jus naſcitur in res aliorum, cum onere reſtitutionis, vid. *Grot. de jur. bell. lib. 2. c. 1.*; multo magis ubi agitur de publico, vid. *l. 2. §. 2. in fin. D. ad leg. Rhod. de jactu*.

III. Nollem autem quemquam hic putare, me fruſtra tempus terere in legibus exponendis, quarum auctoritas apud nos nulla eſt: etenim ex illis, utpote ab optimorum Principum conſilio, atque pietate erga ſubditos emanatis, argumentum deſumi poteſt ad publicas utilitates ſublevandas, ſi quando rei, de qua agimus, proviſione novæ legis occurrendum erit. Dein, ex conſtitutionibus illis cognoſcimus, injuſtas non eſſe, imo æquitati, & neceſſariæ Principum curæ pro bono populorum conſonas leges noſtras, quæ modo explicandæ ſunt, ex quibus ſpeciali modo hujus civitatis annonæ providetur, ejuſque Adminiſtratoribus & Magiſtratibus certæ regulæ præſcribuntur, & prærogativæ tribuuntur.

IV. In legibus ad annonam pertinentibus diſtinctio adhibenda eſt, nam quædam totius Regni commodum reſpiciunt, quædam ſolius civitatis Neapolis, utpote omnium metropolis. Primi generis eſt *prag. 12. de annona &c.*, qua Dardanariorum avaritiæ occurritur, qui omni ferme ætate peſſimo publico extitere; etenim licet humanis commodis neceſſaria adprime ſit mercatura, unde certe deſtinentur perſonæ rebus comparandis vendendiſque; tamen eadem de re libera poteſtas circa annonam non videtur toleranda, niſi cum magno privatorum detrimento; ſiquidem quæ victualia ſuo tempore venum expoſita, aut penes prædiorum dominos re-

ſervata, competenti juſtoque pretio diſtraherentur; eadem paucorum horreis incluſa, neceſſario vendenda erunt carius, eorumque arbitrio pretium ſtatuatur. Dardanariorum quidem nomen generale eſt, denotans eos, qui merces cujuſcumque generis reponunt, ut carius vendant; eoſque & pantapolas, & ſeplaſiarios dictos a Græcis notat Cujacius *lib.* 10. *obſerv. c.* 19., ubi & animadvertit vir conſultiſſimus omne genus hujuſmodi negotiationis non improbari, ſed tantummodo variis conſtitutionibus eorum fraudes, calliditates, ſtellionatus (ideſt cum rem unius generis per fraudem atque impoſturam vendunt pro alia, quod crimen apud nos uſu ferme quotidianum factum eſt) coerceri; nam & Reipublicæ ad aliquid utiles ſunt;& urbe aliquando ejecti cum fuiſſent, revocati poſtmodum fuere, *novel.* Valentiniani *tit. de pantapolis ad urbem Romam revocandis*. Sed ſi forte (ſequitur Cujacius) vel menſuras & pondera falſaverint, vel legibus conſtituta pretia exceſſerint, vel undique coemtas merces ſuppreſſerint, dum ex raritate caritatem affectant, conſtitutionibus coercentur. At ſpecialiter Dardanariorum nomine intelliguntur qui annonam attentant, & vexant; quod ſic deſcribit Ulp. in *l. 6. de extraord. crim. Annonam attentare, & vexare* (unde creditur vulgo a Dardano quodam magicis artibus imbuto eos adpellatos, quaſi quod maleficiis & venenis magicis crederent annonam averti in ipſorum horrea, & in metiendo menſuram imminui, aut quod ad contumeliam, & probrum eos increparent, vid. Turnebum *adverſ. lib.* 9. *c.* 17.) *vel maxime Dardanarii ſolent*; *quorum avaritiæ obviam itum eſt tam mandatis, quam conſtitutionibus. Mandatis denique ita cavetur*: *Præterea debetis cuſtodire, ne Dardanarii ullius mercis ſint; ne aut ab iis, qui coemtas merces ſupprimunt, aut a locupletioribus, qui fructus ſuos æquis pretiis vendere nolunt, dum minus uberes proventus expectant, annona oneretur. Pœna autem in hos varia ſtatuitur, nam plerumque, ſi negotiatores ſunt, negotiatione tantum eis interdicitur: interdum & relegari ſolent: humiliores ad opus publicum dari*. Igitur *cit. pragm.* 12., cum nollet omnino Dardanarios prohibere, prout jam olim ſtatuerat Rex Robertus in *cap. pro publici boni* 238., coercuit ſaltem nimium eorum ſtudium locupletandi in perniciem univerſorum; & propterea mandavit, ut qui triticum atque hordeum repoſita in horreis habent, teneantur petentibus *vecturalibus*; hoc eſt iis, quorum munus eſt ea de uno in alium locum transferendi, vendere, ſive in majori, ſive in minori quantitate; ad hoc ut *vecturales* prædicti poſſint res eaſdem in *dohanis* aliiſve locis deſtinatis publice omnibus vendere. Ratio pragmaticæ ea fuit, quod frumentorum detentores nolebant ea vendere, duplici prætextu, primo neceſſariorum victualium pro ſe & familiis ſuis; quæ ſane fraus manifeſta erat, ex immodica quantitate frumenti reconditi: ſecundo quod unica venditione vellent univerſum frumentum diſtrahere. Sed revera id efficere cupiebant, ut quam diutius illud detinendo, carior annona evaderet: ac proinde longe majori pretio venderent. Jubet præterea pragmatica, non debere *vecturales*, quæ emerunt frumenta ad alia loca transferre, ut in horreis aliorum negotiatorum reponantur, ſed ut vendantur in locis publicis, vid. *prag.* 16. & 17. *eod.* Sunt & pœnæ adverſus

ſus tranſgreſſores in *ead. prag.* 12. ſtatutæ; ſed quæ otioſæ ſanctiones factæ ſunt, cum deficiant ubique earum exequutores.

V. Leguntur aliæ in *eod. tit.* conſtitutiones, optimæ ſane & æquiſſimæ ut *prag.* 8., qua modus injungitur dominis frumentorum certo cujuslibet anni tempore pandere, ſive *revelare* eorum quantitatem, adhoc ut ſciri poſſit, utrum pro utilitate Regni permittenda ſit, an ſecus licentia ad exteras nationes tritici exportandi. In *prag.* 9. decernitur, ne obviam detur *vecturalibus* frumenta transferentibus in dohanam civitatis Salerni, ſed ut in dohanam ſeſe conferant emere dicta frumenta volentes pro victus neceſſitate. In *prag.* 18. gravis proponitur pœna adverſus negotiatorum fraudes, qui Beneventum, utpote in locum ditionis Pontificiæ, & propterea immunem a Regia juriſdictione, ſolebant ingentem frumenti quantitatem transferre, ibique recondere, poſtmodum vendituri cariori pretio; unde caritas annonæ proveniebat non levis in Regno. Pœna, inquam, hæc proponitur: qui tranſmittunt frumenta, nempe triticum & hordeum, præter eorum amiſſionem, perſolvant aureorum decem millia, & puniantur corporali pœna arbitrio Principis; vecturales morte naturali, aut triremium. Huic conſtitutioni conſona eſt *prag.* 22. *eod.* qua in locis eccleſiaſticis vetatur negotiatoribus conſervanda habere frumenta. In *prag.* 4. cavetur, etiam corporali pœna propoſita adverſus tranſgreſſores, ne reliquiæ tritici exiſtentes in foveis, quæque male olent ob diturnitatem temporis, miſceantur fraudulenter cum alio tritico non vitiato. Fraudes etiam negotiatorum amoventur per *prag.* 19. *eod.*, ubi ſtatuitur, nullius momenti conventiones eſſe, cum mutuatur pecunia, ut pro ea triticum, aut hordeum detur, pretio æſtimando ex primis earum rerum venditionibus; poſt meſſem, vulgo *a primi prezzi*; nam ſtatuit pragmatica, id intelligendum ſecundum pretia, quæ publice æſtimabuntur.

VI. Quod attinet ad hanc civitatem, ſpeciales multæ extant pragmaticæ ſub *eodem tit. ut* 11. 15. 25. 29. 30. 37. 50., in quibus ferme eadem repetuntur; idque argumento eſt, malum apud nos novum non eſſe, ſcilicet leges exequutione utplurimum deſtitui; unde neceſſe habemus, ut ſæpius repetantur. Verum inutili effectu, & propterea volumina pragmaticarum, atque edictorum ad nauſeam uſque creverunt, creſcuntque quotidie; ſed eodem tempore creſcit eorum neglectus, dum omnia ad arbitrium referuntur privatorum. In illis autem conſtitutionibus ſummopere providetur, ne annona hujus civitatis carior evadat; & nominatim prohibetur, ne intra trigeſimum ab urbe lapidem emantur frumenta, niſi pro neceſſario victu; idque ea ratione, ne mercatores eorum ingentem quantitatem in ſuis horreis reponendo, carius efficiatur pretium. Pro commodo hujus quoque civitatis immunitates olim a vectigalibus conceſſæ non ſemel fuerunt. Ferdinandus primus Aragonenſis dum *an.* 1486. varia conceſſiſset privilegia civitati, & Regno ſpecialiter in *c.* 39., cavit, ne quidquam exigeretur pro victualibus, quæ importabantur Neapolim, vid. *vol.* 1. *privileg. pag.* 29. Quæ immunitas poſtmodum generali ſanctione, quæ eſt *pragm.* 1. *cit. tit.* ab eodem Rege confirmata fuit; & ſæpius repetita ſub Regno Aragonenſium, atque Hiſpanorum Principum; ut videre eſt in *cit. volum. privileg.* Excipiebatur tantum a generali im-

munitate vectigal certæ pecuniæ, quod in *d. c. 39.* adpellatur *del buon denaro*; illudque haud immodicum*, creditur indictum *an.* 1306. vid. *cit. vol.* 1. *pag.* 1. *& ſequent.* ad publicas neceſſitates ſublevandas. Et licet primitus ejuſmodi vectigal Univerſitatis Neapolitanæ eſſet, & poſtmodum translatum in ærarium Regis, ut expreſſe habetur ex *eod. c. 39.*; tamen a Ferdinando II., & Friderico Aragonenſibus pleno jure eidem Univerſitati reſtitutum fuit, vid. *d. vol.* 1. *privileg. pag.* 34. *&* 37., & confirmatum a Ferdinando Catholico, vid. *pag.* 56. *&* 68. Verum paulatim ſupradictæ immunitates abolitæ fuerunt, nam publicis neceſſitatibus urgentibus, non tantum Regis auctoritate impoſita fuerunt vectigalia pro rebus ad alimoniam Neapolitanorum pertinentibus, vid. *prag.* 28. 29. 41. *&* 42. *de extract. ſeu aſport. animal.*; ſed etiam ipſorum Adminiſtratorum. Et propterea ſub Regno Caroli V. impetratum legimus privilegium, vid. *cit. vol. p* 200. *c.* 21., ut pro vectigalibus, licentia prius obtenta a Rege, impoſitis per Adminiſtratores, nulli alii deſtinentur ad eorum exactionem, niſi officiales a Civitate electi. Quo factum fuit, ut ad hanc uſque ætatem vectigalia Neapolitanorum in immenſum aucta ſint; adeo ut nullæ ferme res, quæ importantur in civitatem pro annona & victualibus, eximantur ab illorum ſolutione; nam publicarum neceſſitatum occaſiones frequentes extiterunt, ſemperque remedium novi tributi viſum fuit commodius promtiuſque. Sed ex perpetuis oneribus præſentaneæ tantum neceſſitati occurſum fuit; etenim redditus vectigalium ſtatim emtoribus aſſignati fuere pro pecunia conficienda; ac proinde vectigalia ferme omnia facta ſunt patrimonium privatorum civium; & publicum ærarium vix par eſt quotidianis neceſſariiſque diſpendiis.

VII. Inutiles equidem forent, & parum, aut nihil profuturæ leges pro annona, niſi & panis confectioni proviſum eſſet; quod utique ſatis ſuperque effectum eſt pragmaticis ſanctionibus ſub *tit. de Piſtoribus*. Non levis hac eadem de re fuit olim cura legum Imperialium, prout colligitur ex *eod. tit.* in Cod. Theodoſii & Juſtiniani. Notandum autem eſt ex Gothofredo in *paratitl.* piſtorum nomine in illis legibus intelligi aliquando eos, qui piſtrino, aliquando qui panificio ſerviebant; ideſt tum frumento moliendo, tum pani coquendo; &, ut diligens eſſet eorum opera, in certum corpus redactos fuiſſe, unde & filii & nepotes ejuſdem conditionis naſcebantur; nec poterant a tali onere eximi, nec tranſire ab una officina in aliam. In legibus noſtris ſimile quid extat; nam in matricula publici piſtores, ideſt qui panificio in hac civitate dant operam, diſcribuntur; & eorum fraudibus occurritur ex *prag.* 1., & ubi fuſtigationis, aut perpetui triremis, ſi ſemel iterumve fiat, imponitur pœna adverſus illos, quoties furfurem, vel quid aliud pani immiſcent. Eodem pertinet *prag.* 7., ex qua prohibetur, ne penes ſe conſervent far, aut cribra apta ad extrahendam ſimilaginem, ne ſcilicet panis deterior conficiatur. In *prag.* 8. inhibetur iiſdem frumentorum emtio; ſiquidem uti debent frumento ab Adminiſtratoribus civitatis aſſignato, quod debet eſſe certi pretii, certæque qualitatis; neque frumentum poſſunt vendere, ne panis civibus deficiat, vid. *prag.* 1. *&* 3., ubi decernitur, panem optimum,

mum, ſive album debere eſſe ponderis trigintatrium unciarum, vendendumque aſſes (vulgo *grana*) quatuor; communem vero quadragintaduarum pro eodem pretio.

VIII. Annonæ etiam utilitatique publicæ proſpectum eſt in hac civitate per *prag.* 1 *de annona*, qua jubetur, venditores carnis, piſcium, aliorumque victualium, quibus imponi ſolet certum pretium (vulgo *aſſiſa*) non debere illa vendere ultra id pretium, nec clam habere. Quod ſi hæc duo concurrant, ſcilicet venditio ultra impoſitum pretium, & clam; pœna fuſtigationis decernitur. Circa venditores piſcium ſpecialiter eadem confirmantur in *prag.* 46. in qua multa alia mandantur ad fraudes eorum coercendas, quas cives experiuntur quotidie. *Cit. prag.* 46. conſona eſt *prag.* 14. *de emt. & vend.*. Ut autem emtores victualium terrore non afficiantur ex nimia venditorum arrogantia, quominus libere petant, dicantque quod ſua intereſt; æquiſſime jubet *prag.* 3. *de armis*, in locis, quibus ſupradictæ venduntur res, non debere venditores arma habere; neque conviciis cives inceſſere. Denique, ne omnes hic recenſeamus leges pro recta annonæ victualiumque adminiſtratione, quæ innumeræ prope leguntur, videnda ſunt *capitula* a Comite Ripæcurſiæ Proreg. *ann.* 1509. ſtatuta ſub Regno Ferdinandi Catholici, ubi in ſingulis victualium ſpeciebus optime providetur, ad fraudes avertendas puniendaſque; eaque ſi exacte obſervarentur, nihil quidquam deficeret pro copia rectoque uſu victualium. Referuntur ea *capitula vol.* 1. *privileg. pag.* 10. *& infra*.

IX. Quamvis autem jure publico hæc omnia ſtatuta ſint; tamen ad exequutionem perducuntur, ut diximus ſupra, ab Adminiſtratoribus civitatis, quibus ea de re juriſdictio eſt conceſſa. Quoties res dubia definienda eſt, aut quid ſtatuendum pro annona, ſervari atque exequi debet quod eorum major pars decreverit, vid. *d. vol.* 1. *privileg. pag.* 152. & 153. Verum ut melius faciliuſque adminiſtratio victualium procedat, peculiare munus uni mandatur, qui Juſtitiarius (vulgo *Giuſtinziere*) adpellatur. Creditur officium ejuſmodi primum a Rege Roberto inſtitutum fuiſſe, ſive rectius a Carolo I. Andegavenſi, qui, ut ſupra adnotavimus *lib.* 3. *cap.* 9. ſpecialem Magiſtratum ſub nomine Juſtitiarii ſcholaribus Academiæ dedit; eique facultatem conceſſit *aſſiſæ* rebus venalibus imponendæ pro eorum commodo, vid. *cap. Carolus &c. circa reformationem*. Poſtmodum ceſſante diligentia favore ſcholarium, illud officium cœpit eſſe univerſale ad utilitatem totius civitatis, & concedi a Rege, non minus honoris, quam lucri gratia. Verum ſequentibus annis quemadmodum Portulani, ita & Juſtitiarii munus conceſſum fuit Adminiſtratoribus pleno jure, adeo ut ſingulis menſibus ſinguli eorum ad illud eliguntur, vid. *vol.* 2. *privileg. pag.* 252., ubi cum preces porrectæ eſſent, pro fraudibus evitandis circa annonam, ne exemtioni atque immunitati eſſet locus; privilegium his verbis legitur conceſſum: *Placet, quatenus tamen in legitima poſſeſſione* (Adminiſtratores) *extiterunt, & exiſtant, ac conjunctim & non diviſim juriſdictionem exerceant; reſpectuque cauſarum mere ad annonam pertinentium, non autem dependentium ex illa. Et quoad militares cujuſcumque gradus, & dignitatis, aliaſque perſonas quomodocumque*

que exemtas, his in fraganti repertis, poſſint earum bona, vulgo de contrabanno, *detineri; capta deinde informatione habeant Electi civitatis ad Regni Proregem, aut alios Judices competentes recurſum pro pœna &c.*

X. Ab iis, quæ decernuntur per Juſtitiarium, ſolebat olim adpellatio interponi ad Præſidem S. C., vid. *prag. 6.* §. 83. *de officialib. & his &c.* Fortaſſis negotiorum mole occupatus cum videretur is Magiſtratus, ejuſmodi munus & alteri cœpit committi, qui vernaculo ſermone *Graſſiere* adpellatur; eumque noſtri comparare ſolent cum annonæ Præfecto. In *ead. prag. 6.* proponuntur diverſi generis remedia, pro quacumque fraude evitanda, nominatim ab iis, qui Curiæ Juſtitiarii inſerviunt. In *prag.* 42. §. 1. *de annona* mandatur, horum *Officialium* numerum non debere ſexaginta excedere. Ex §. 3. colligitur, in Curia Juſtitiarii Judicem ſive Aſſeſſorem creari, ejuſque decreto procedi ad acta judiciaria. Notabilis eſt fraus, quæ coercetur in §. 12. gravi pœna impoſita tum contra nobiles, tum contra ignobiles; ſcilicet ne venditores victualium tranſactiones ineant cum Juſtitiarii Curia; ſiquidem ſolitum erat ab iis exigi certam pecuniæ quantitatem, idque veluti pro noxiis futuris: nam ſi vel minus juſti ponderis quid datum eſſet, vel venditum ultra pretium ſtatutum, nihil poterat amplius pœnæ nomine exigi a reis, qui pro ſe allegabant tranſactiones initas; quod idem erat ac impunitatem maleficiis concedere. In calce *ejuſd. prag.* vetatur officialibus ſupradictis quid petere a venditoribus.

XI. Ex capitulis Comitis Ripæcurſiæ, quorum ſupra meminimus, adverſus tranſgreſſores eorundem prima vice ſtatuebatur pœna pecuniaria, altera corporalis. Eveniebat autem, ut qui ex primo delicto condemnatus erat, adpellabat, & interea iterum delinquebat; quo facto cenſebatur exemtus a pœna corporali, quia judicium de primo delicto erat in pendenti. Hoc autem cum callide & fraudulenter allegaretur, prohibitum fuit ex *prag. 9. de condemnatis pro delict.*, ſtatutumque, pœnam ſecundi delicti corporalem eſſe debere, non obſtante quod ex primo adhuc penderet judicium adpellationis. Verum hæc libera facultas imponendæ pœnæ corporalis adverſus eos, qui ſubditi dicuntur Adminiſtratoribus civitatis, ratione venditionis victualium, videtur imminuta ex *prag.* 41. *de annona*; ibi enim cum primo vetarentur nova edicta pro annona, & confirmarentur ſuperiora capitula Comitis Ripæcurſiæ, aliaque deinde promulgata; circa cauſas criminales & corporales pœnas ſtatuitur, nihil decerni poſſe ab Adminiſtratoribus, aut a Præfecto annonæ, niſi antea referatur ad Proregem, aut ad unum ex Regentibus, qui tunc erant Collateralis Conſilii. Occaſionem fortaſſis huic conſtitutioni dedit nimia facilitas, qua tunc temporis ſolebant Adminiſtratores corporales pœnas decernere, etiam ubi res nimiam ſeveritatem non expoſtulabat.

CA-

Digitized by Google

CAPUT IV.

Exponuntur & reliquæ noviſſimæ leges ad ſtatum Civitatis Neapolitanæ ſpectantes.

Quoniam noviſſimis legibus, quæ in volumine pragmaticarum collocatæ ſunt, quamplurima ſtatuta adparent ad ſtatum publicum, præſertim hujus Civitatis, pertinentia: age breviter ea omnia huc conferamus, ne quid deſit inſtitutæ diſputationi. Et quamvis ea, prout ex ſubjectis adparebit, quibuſdam in ſpeciebus levioris momenti non ſint; tamen vix ad uſum perducuntur, ob ſegnitiem, malitiamque, quæ veluti contagione quadam jamdiu noſtratium animos infecerunt.

II. Non minima inter curas publicas debet eſſe ea, qua caveri oportet, ne malis odoribus, praviſque exhalationibus aer corrumpatur, aut deterior fiat; idque præterquamquod ſpeciali diligentia Adminiſtratorum præſtari debet, variis legibus proviſum eſt apud nos. Eo pertinent conſtitutiones ſub *tit. pragmat. de ſalubritate aeris*, & nominatim *pragm.* 1. a Ferdinando I. Aragonenſi edita, qua, præ ceteris, a ſapientiſſimo Rege proviſum fuit, ne aqua ceteræque res immundæ e domibus projicerentur in vias; ſed ut per canales reciperentur in publicas cloacas. Juſſit præterea ne corruptæ paleæ, fimoque in vias projecto ſupponeretur ignis, tum ad incendium evitandum, tum ad fumum odoris teterrimi. Eodem ferme referuntur quæ poſtmodum latæ fuerunt pragmaticæ, quæque ſequuntur in *cit. tit.*, *ut* 36. & 39. quibus mandatur ab urbe ſues expelli. Cum autem *an.* 1657. diræ peſtis morbus per civitatem, Regnumque ingrueret, ut aliqua ratione malo occurreretur, plures fuere & leges, & edicta promulgata, quæ a compoſitoribus in eodem titulo collocata ſunt. Poſtrema, quæ ibi legitur *pragmatica*, continet edictum pro avertendis in campana provincia aquis ſtagnantibus.

III. Superiores quidem leges ſpeciales ſunt: at Friderici II. pro ſalubritate aeris ſollicitudo ad univerſum Regnum ſeſe porrexit, prout adparet ex *conſtit. ſalubritatem tit. de conſervatione aeris*, in qua primo loco mandat Imperator, ut *nulli liceat in aquis cujuslibet civitatis, vel caſtri vicinis, quantum miliare ad minus protenditur, linum, vel canapum ad maturandum ponere*. Et rationem addit: *ne ex eo, prout certo didicimus, aeris diſpoſitio corrumpatur*. Sequitur conſtitutio: *ſepulturas etiam mortuorum, quæ urnas non continent, profundas, quantum menſura dimidiæ cannæ protenditur, eſſe jubemus*. His verbis quid ſibi voluit Imperator, inveſtigare ne pigeat; nam quid opus fuit imperiali lege pro modo cadaverum ſepeliendorum ſtatuendo, cum ex conſuetudine eccleſiaſtica jamdiu recepta, & poſtmodum translata in canones, Chriſtianorum ſepulturæ fierent in cœmeteriis Eccleſiarum? Interpretes tum veteres, novi, dum ad aliena divagantur, nihil quidquam

Digitized by Google

quam ea de re proponunt. Primum omnium videtur Fridericus abuti vocabulo urnæ, nam eo intelligit ſarcoſagum ; quandoquidem urnis ſolebant Romani cineres cadaveris jam exuſti, vel ejus oſſa includere : at ſarcoſagis integrum cadaver condebant ; inde autem vocis origo, quia ex Plinio *lib. 36. cap.* 17. quoddam marmoris genus excindebantur circa Aſſum Troadis, & in eo corpora defunctorum condita intra quadrageſimum diem abſumebantur, σαρκὸς enim caro eſt, φάγω comedo. Sed poſtmodum uſus obtinuit ; ut nomine ſarcoſagi intelligeretur quæcumque arca, ubi integrum condebatur cadaver ; & diſtinguebatur ab urna ; idque manifeſte adparet ex illis verbis *l. 6. C. T. de ſepulchr. violat.* : *Omnia quæ ſupra terram urnis clauſa, vel ſarcoſagis corpora detinentur &c.* Ætate quidem Friderici jamdiu exoleverat conſuetudo cadaverum exurendorum, quæ apud Gentiles paſſim uſurpata, apud Chriſtianos paulatim defecit, vid. Gothofr. in *cit. l. 6.* Sed hæc leviora : illud autem majoris momenti eſt, quod ſtatuit Imperator circa modum ſepulturæ extruendæ. Et quidem a vero non abhorret, ſi dicamus, temporibus Friderici nondum ſublatum omnino fuiſſe uſum antiquorum, cadavera ſepeliendi extra urbes. Quod duplici ex cauſa factum fuiſſe doctis viris perſuaſum eſt : primo ne cadaverum corruptione aer corrumperetur : ſecundo, ut notat cit. Gothofredus, ut extra urbem in agris & ad vias publicas ſepulchra conſtituta, humanæ conditionis & fragilitatis viatores admonerent. Quæ ratio affertur a Varrone *lib. 5. de ling. lat.*. Eo pertinent tituli ſupulchrorum : ASPICE, SISTE, CAVE VIATOR, & ſimiles. Eſt & alia ratio ex *cit. l. 6. ut reliqueretur incolarum domicilio ſanctitas*. Quæ verba ſic interpretatur Gothofredus ex Paulo in *libris ſentent.* & ex *l. 12. C. de religioſ. & ſumt. funer.*. Diis ſuperis ſacrata, ſolo aſpectu vel contractu rei funeſtæ, contaminari credebatur ; unde Sacerdotibus religioni erat vel funus videre, vel locum funeſtum ingredi. At antiquatam jam 12. *tabul.* legem de ſepeliendis mortuis extra urbes renovarunt Imperatores, ut videre eſt in *l. 3. §. Divus Adrianus D. de ſepulchr. violat.* propoſita pœna quadraginta aureorum in eos, qui in civitate ſepeliebant, & in Magiſtratus, qui id fieri patiebantur; denique locus publicabatur, & corpora foras transferebantur. Et quamvis in provinciis Imperii municipales quorundam populorum leges id permiſiſſent ; tamen negat Ulpianus, poſt Imperialia reſcripta id amplius licuiſſe. Sub chriſtianis Principibus tale jus deficiebat, præſertim ubi prope Martyrum, & Sanctorum corpora cœperunt conſtrui ædes ſacræ, ſeu potius aliquid fabricarum addi pro eorum veneratione, quod *Martyrium* adpellatur in *l. ult. eod. tit. C. T.*, hoc eſt ſedes, ſepulchrum, conditorium Martyrum ; nam reliqui Chriſtiani ob memoriam ſanctorum cupiebant vicina iis habere ſepulchra : donec Theodoſius Magnus in *cit. l. 6.* generali ſanctione ſic juſſit: *Omnia, quæ ſuper terram urnis clauſa, vel ſarcoſagis corpora detinentur extra urbem delata ponantur . . . . . Ac ne alicujus fallax, & arguta ſolertia ab hujus ſe præcepti intentione ſubducat, atque Apoſtolorum, vel Martyrum ſedem humandis*

dis corporibus æſtimet eſſe conceſſam his quoque, ita ut a reliquo civitatis, noverint ſe, atque intelligant eſſe ſubmotos. Verum populi deſiderium partim pietate, partim æmulatione, & ambitione ſubnixum, ſepulturas ſtruendi juxta ſedes Martyrum, occaſionem dedit generali conſuetudini ſepulchrorum urbanorum, adverſus ſuperiores leges; & demum *novellæ* 53. Imperatoris Leonis, qua conceſſa plena libertas vel intra vel extra urbem ſepulturam eligendi. Et quamvis primitus locus ſepulturæ prope ædes ſacras ſoleret eſſe; tamen poſtea & in ipſis Eccleſiis cœpit deſignari, religionis ſtudio. Verum ætate Friderici adhuc ſolebant Chriſtiani, quidam, ut humiles ſe oſtenderent & indignos ſepultura eccleſiaſtica (qui mos adhuc noſtris temporibus inter Monachos Cartuſianos manet) quidam, utpote vilioris conditionis, ſub dio prope Eccleſias ſepelliri. Et propterea Imperator, cadavera, quæ non includebantur ſarcoſagis, voluit, intra certam menſuram effoſſa terra, diligentius humarentur, ne ex fœtore noceretur publico. Quæ eadem ratio eſt in poſteriori conſtitutionis parte, illis verbis: *cadavera etiam* (intellige animalium mortuorum) *& ſordes, quæ fœtorem faciunt, per eos, quorum fuerint coria, extra terram ad quartam partem milliaris, vel in mari, aut in flumine projici debere mandamus*. Verum hæc omnia generali rerum publicarum neglectu jamdiu comprehenſa ſunt; ſiquidem Andreas de Iſernia ſic ſcribit in notis: *De communi bono eſt iſta conſtitutio, licet male ſervetur*.

IV. Proſpiciendum quoque eſt jure publico, ne in civitatibus, præſertim ubi civium abundat multitudo, aqua deficiat ſive e fontibus, ſive e rivis. Quod ſane pro hac civitate effectum eſt pragmaticis ſanctionibus, quæ referuntur a Tapia *tit. de aquæductu Civitatis Neapolis*; & noviſſima conſtitutione, cujus plura ſunt capita in *volum. prag. tit. de aquis & aquæductib.*, ubi ſumma diligentia providetur, ne aquæductui, ex quo per canales ad domos privatorum derivatur aqua, aliquid afferatur detrimenti, & ut omnis removeatur immundities. Sunt illæ quidem conſtitutiones ſpeciales pro hac civitate, ut diximus; nam in reliquis Regni, uniuſcujuſque loci Adminiſtratores ſolent providere quod neceſſarium magis, reique ſuæ commodius, utiliuſque videtur. Hoc ſane non aliunde proceſſit, quam regiones noſtræ ex quo cœpere frequentioribus civitatibus deſtitui, & per oppida & villas habitatores diſtribui; unde quæ antea erat per celeberrimas civitates Regni, quarum adhuc extant inſignia & miſeranda monumenta, cura & diligentia pro aquæductibus, ad ſolam metropolim tranſlata eſt, cui tantum per leges non ſemel proſpicere placuit, reliquis omnibus poſthabitis. Varia olim propoſita fuerunt edicta per Imperatores Orientales circa aquæductus publicos, quæ leguntur utroque in Codice *tit. de aquæductu*, nominatim pro Occidentis, Orientiſque metropoli, Roma, & Conſtantinopoli; verum & in illis adparet cura pro univerſo Imperio.

V. Sunt in iiſdem pragmaticarum voluminibus variæ conſtitutiones ad honeſtatem, decoremque publicum ſervandum. Ejus generis ſunt quæ leguntur ſub *tit. ne quid in loco publico fiat*, ubi notabilis eſt *pragm.* 2. qua, ne cives mane avertantur a rebus

rebus divinis tempore quadrageſimæ, feſtiſque diebus, prohibentur circulatores, quique artem ludicram exercere ſolent in viis publicis ad plebis oblectationem, niſi poſt horam decimamnonam diei. Hac in re cura Principum chriſtianorum nova non eſt, nam in Codice Theodoſiano ſub titulo *de ſpectaculis*, duæ præ ceteris extant conſtitutiones, quarum prima juſſit Theodoſius Magnus, die Dominica ſpectacula non habenda, vid. *l.* 2. *in fin.*altera, quæ eſt *l.* 5., Theodoſius Junior generali ſanctione non tantum die Dominica, ſed & omnibus feſtis, ſupplicationumque diebus ſpectacula edi vetavit. Advertit diligentiſſimus Gothofr. in *comment.* huic conſtitutioni occaſionem dediſſe petitiones Epiſcoporum in Concilio V. Carthaginenſi, qui an. 401., ut habetur *ex Codic. Afric. can. 61.* ſic ſtatuerunt: *Necnon & illud petendum*(ab Imperatore) *ut ſpectacula theatrorum, ceterorumque ludorum, die Dominica, vel ceteris religionis chriſtianæ diebus celeberrimis amoveantur: maxime quia ſancti Paſchæ octavarum die, populi ad circum magis, quam ad Eccleſias conveniunt &c.* In *prag.* 5. *cit. tit.* generaliter quocumque tempore in locis publicis prohibentur comædiæ, arteſque, quæ dicuntur circulatoriæ. Quam prohibitionem uſus abrogavit, utpote de re leviori; quoties nihil detrimenti timetur in publicum. In *prag.* 7. & 8. luſus alearum, pilæ &c. prope Eccleſias prohibetur. *Pragm.* 1. 3. & 4. vix uſum habent, dum certis in locis venditiones, auctioneſque rerum vetantur. Quod ſtatuitur in *prag.* 10. ſimile eſt antiquo Prætorium edicto, cujus verba hæc referuntur ab Ulpiano in *l.* 5. §. *Prætor ait D. de iis qui dejec.r. vel effunder. Prætor ait, ne quis in ſuggrunda, protectove* (ſuggrundæ & ſuggrundia, inquit Budæus *in annot.*, vocantur partes tecti prominentes, quibus ſtillicidia a parietibus arcentur: protecta autem, & projecta, partes ſunt domus prominentes, qualia ſunt mæniana, & podia penſilia, unde aſpectus eſt nobis in vicos & plateas) *ſupra eum locum, quo vulgo iter fiet, vel in quo conſiſtetur, id poſitum habeat, cujus caſus nocere cui poſſit.* Similis eſt, inquam, *cit. pragm.*, nam cujuſcumque generis res prohibentur haberi, ſive ſupra domorum extrema contignatione (vulgo *aſtrichi*) ſive in feneſtris, mænianis,&c., ex quibus aut vi ventorum, aut alia ratione, etiam caſu fortuito, cadendo in vias publicas, detrimentum afferre poſſint prætereuntibus. Quæ proviſio optima eſt in hac civitate, quæ ob civium frequentiam ejuſmodi incommodis ſummopere obnoxia eſt. Sed male ſervatur; & vix aliqua pœna tranſgreſſores puniuntur, ubi ex facto damnum infertur. At proviſio legis eſt ad futura damna removenda, nam pœnam ſtatuit aureorum quinquaginta adverſus eos, qui habent tantum res in locis, unde facile poſſint decidere; prout edicto quoque Prætoris cavetur. Et propterea in *cit.* §. *ait Prætor*, actio proponitur in factum, quæ eſt decem ſolidorum; & demum ſic nos monet prudenter Juriſconſultus: *Conſequens etenim fuit, Prætorem etiam in hunc caſum proſpicere, ut ſi quid in his partibus ædium perículoſæ poſitum eſſet, non noceret.* Hinc adparet, erroneam eſſe opinionem Scheinedevini, qui poſt Angelum in §. *item is Inſt. de obligat. quæ quaſi ex delicto naſc.* docet,non eſſe contra edictum ſuperius, adeoque

que licite haberi poſſe *chelidonia*, *&* *amaracos*, *ſive viridaria in ollis ante feneſtras*, *ſi ita firmiter hæreant*, *ut veriſimiliter cadere*, *&* *tranſeuntibus damnum inferre non poſſint*; ſiquidem ſententia edicti refragatur, qua removenda eſt quæcumque occaſio damni futuri; eoque magis quod res illas habere in feneſtris neceſſarium non eſt, contra, damnum & incommodum, quod inde provenire poteſt, erit non leve. Et hoc confirmatur ex verbis *cit. pragm.* 10., ubi ſuperiora prohibentur generaliter, ne aliquod evenire poſſit damnum; nec ea requiritur, ut jam ſit illatum, ſed ne inferatur. Quapropter rectiſſime a Bartolo in *cit.* §. *ait Prætor* hæc ſumma appoſita eſt: *Nota quod ubi lex conſiderat quod poteſt evenire*, *non debemus requirere*, *quod actualiter evenerit*. Proſpiciunt etiam futuro damno pragmaticæ, quæ leguntur in *tit. de lapidibus*, *fulgoribus &c.* in quibus puniuntur tum ii, qui fundis emittunt lapides; tum qui fulgura confecta ex pulvere nitrato accendunt, emittuntque per hanc civitatem.

VI. Ad honeſtatem quoque publicam ſpectant pragmaticæ ſub *tit. de perſonatis & eorum veſtibus &c.*; nam etſi conſuetudine, cui tacitus Principum conſenſus acceſſit, permiſſæ ſint inter Chriſtianos transformationes veluti quædam circa veſtes, atque inceſſum per publicas plateas certo anni tempore, quod eſt ante quadrageſimam; tamen nimia quorundam libertas coercenda fuit, ne quid admitteretur adverſus honeſtatem decoremque publicum; neve inde præberetur occaſio delinquendi. Hoc equidem proviſum adparet in *pragm.* 1. *cit. tit.*, qua jubetur, eos, qui perſonati, ſive cum larvis per urbem incedunt, nihil in manibus geſtare debere, ne virgas quidem, unde aliis nocere poſſint, & ob eandem rationem multo magis prohibentur pediſequi armati, quorum facilis ſolet eſſe, promtuſque animus ad rixas, contentioneſque; nec perſonati hujuſmodi poſſunt eodem tempore ſimul ultra quatuor incedere. Quod attinet ad veſtes, licet transformationes arbitrio uniuſcujuſque ſint; tamen ſervanda eſt veluti quædam erga perſonas eccleſiaſticas reverentia; &. propterea ſtatuit *pragm.* abſtinendum a veſtibus clericalibus, & monachalibus. Qua in re videtur Caroli Tapiæ annotatio rejicienda, qua monet, hanc prohibitionem novam non eſſe, ſed a jure communi ſtatutam; & allegat *l. mimæ* 5. *C. de Epiſcop. aud.*, ſiquidem ibi agitur de mimis: neque conſtat, an temporibus Imp. Theodoſii, qui eſt auctor ejus conſtitutionis, inceſſus per urbes cum larvis, ad jocos edendos facetiaſque conviciis veluti quibuſdam admixtas, permiſſus atque uſitatus erat inter Chriſtianos. Et quamvis tempora ludicris hujuſcemodi pompis addicta, vulgo *Bacchanaliorum* nomine deſignentur, unde creditur, gentilibus eum morem in Chriſtianos derivaſſe; tamen longe diverſa erant antiquorum bacchanalia, quæ primitus inſtituta in honorem Bacchi, & ab Ægypto in Græciam tranſlata, vid. *Plutarchum de Iſide*, *& Oſiride*, & deinde Romam, infamibus, ſceleſtiſque virorum mulierumque congreſſibus viam aperuerunt, unde Senatuſconſulto, de quo Livius *lib.* 9. *decad.* 4. interdicta fuere; niſi intra certum modum, adhibita auctoritate Magiſtratuum. Nec credendum eſt, unquam chriſtianos Principes permittere voluiſſe, quod vel ipſis gentilibus videbatur pudicitiam decoremque publi-

cum lædere. Facile crediderim, in Europam a barbaris Nationibus ejuſmodi uſum invectum. Qui autem erant inter chriſtianos priſci moris, ſeveræque diſciplinæ, quos videbant iis jocis, mutata veſte, operam dare, *bacchaniam* exercere dicebant, quaſi artem furentium; nam *bacchania* apud Scriptores infimæ latinitatis (vid. exempla apud Cangium) accipiebatur pro furore; fortaſſis a mulieribus bacchantibus, quæ in celebratione feſtorum Bacchi motus incompoſitos mutata veſte edebant, tanquam furentes. Igitur in *cit. l.* 4. agitur de mimis; ejuſque ſenſus longe diverſus eſt a ſpecie ſuperioris pragmaticæ. Irrepſerat temporibus Theodoſii Magni abuſus non ferendus, ex arrogantia & ſuperbia, qua tenebantur pantomimi, atque hiſtriones (genus hominum viliſſimum, & prope infamiam in optima Republica habitum, vid. *l.* 4. *&* 12. *C. T. de ſcænicis*: contra in pretio, atque in honore, ubi in mollitiem atque luxum mores degenerant); illi etenim cum ſolerent aliquando imagines ſuas donationis titulo habere, in præmium voluptatis præſtitæ; eaſdem collocabant, quaſi ad oſtentationem egregii operis in porticibus, aliiſque locis civitatum publicis. Quod ſane ne deinceps fieret, Theodoſius juſſit in *cit. l.* 12.; & præterea ſtatuit quibuſnam veſtibus illi uti deberent. Deinde occaſione arrepta ſic ait: *His illud adjicimus, ut mimæ, & quæ ludibrio corporis ſui quæſtum faciunt, publice habitu earum virginum, quæ Deo dicatæ ſunt, non utantur*. Hæc ſola pars Theodoſianæ conſtitutionis, ut notat Gothofredus, a Triboniano tranſlata fuit in Codicem Juſtiniani, eaque eſt *tit. l.* 4. Verum ibi non agitur de veſtibus theatralibus & ſcænicis, ſed de communibus, & quotidianis; nam olim luxu & veſtiendi pompa meretrices & ſcænicæ non diſtinguebantur a matronis, unde Tertullianus *c.* 6. *apol. Video & inter matronas, atque proſtibulas nullum de habitu diſcrimen relictum*. Quem abuſum idem Theodoſius compreſſit in *l.* 11. *eod. tit.* At eædem mulieres proſtitutæ, ſive ſcænicæ, ut multitudini imponerent, externam modeſtiam pudicitiamque affectabant; & propterea aliquando incedebant cum velo, pulla tunica, & furvo pallio, quale ea ætate fuiſſe veſtimentum Deo ſacratarum virginum probat cit. Gothofredus; idque cum eſſet peſſimi exempli, prohibuit Theodoſius. Manifeſtum igitur eſt, ſenſum *cit. l.* 4. Tapiam non percepiſſe, dum illam credidit conſonam eſſe *pragmaticæ*. In *pragm. ult. eod. tit.* prohibetur perſonatis incedere abſque tintinnabulis. Sed hæc omnia uſus abrogavit; prout etiam ſtatutum in *pragm.* 3.

VII. Permittuntur quidem apud nos meretrices, ſive mulieres publice proſtitutæ, verum certo modo, certiſque conditionibus, quæ præſcribuntur in *pragmaticis tit. de meretricibus*. Olim in hac civitate perſonale vectigal impoſitum fuit meretricibus; unde tenebatur quæ mulier vellet publice ſui corporis quæſtum facere, nomen deferre; unde in libro, ſive matricula deſcribebatur. Et quamvis aliquo modo videatur minus recte, & contra pudicitiam decoremque id ſtatutum; nihilominus abſurdum non erit ſi dicamus, majores noſtros exiſtimaſſe, hac ratione compeſci quadantenus potuiſſe mulierum inhoneſtarum multitudinem; nam præſumendum erat, ex illis quampluримas, ne nomen deferrent, & vectigal exolverent, quaſi partem pretii publicarum libidi

di

dinum, quod ſummam denotabat infamiam; facile abſtinere ab arte meretricia: prout olim tenebantur meretrices profiteri coram Ædilibus; idque ſic docemur ex Tacito *an.* 2. *cap. ult. Viſtilia prætoria familia genita licentiam ſtupri apud Ædiles vulgaverat: more inter veteres recepto, qui ſatis pœnarum adverſus impudicas in ipſa profeſſione flagitii credebant exactum*. Non diſſimilis olim ratio apud Ægyptios induxit (quod genus hominum, ait Gellius *lib.* 11. *cap.* 18., conſtat & in artibus reperiendis ſolertes extitiſſe, & in cognitione rerum indaganda ſagaces) ut permitterentur quidem furta, a quibus impoſſibile pene erat removere homines illius nationis, utpote in regione late patenti, ubi neque ageribus, neque limitibus campi includebantur; verum ea conditione, ut qui furtis operam dare vellent, nomen ſuum antea profiteri deberent. At cum ex eo vectigali magis, magiſque proſtitutæ mulieres ad miſerias impellebantur, Philippo IV. Hiſpaniarum Rege preces oblatæ fuerunt nomine Civitatis de abolitione illius; idque impretatum legimus *vol.* 2. *privileg. pag.* 173. Romæ creditur primum meretricii vectigalis auctorem fuiſſe Caligulam ex *Suet. in Calig. cap.* 40.; & exigebatur etiam a lenonibus. Quod tamen ſuſtulit Theodoſius junior, vid. ejus *novell. tit. de lenonibus*. Cavetur legibus noſtris, ut a locis honeſtis expellantur meretrices, ne honeſtarum mulierum pudicitiæ officiatur, vid. *pragm.* 2. *&* 5. *cit. tit.*; idque legibus atque inſtitutis omnium ferme nationum confirmatur. Apud Romanos locus meretricibus aſſignabatur extra urbem, unde ſubmænianæ mulieres adpellantur a Martiale *lib.* 8. *&* 12. Sed hic non levis naſcitur inter eruditos dubitatio ex iis verbis Ulpiani in *l. ancillarum* 27. *in fin. de petit. hered. Nam & in multorum honeſtorum virorum prædiis lupanaria exercentur*. Optime Merillius *lib.* 2. *obſerv. cap.* 12. animadvertit, licuiſſe olim ancillas meretrices habere quæſtus cauſa, expende *l. hæ demum* 38. *D. de oper. libert.*; unde & permittebantur privata lupanaria, utpote in quibus meretrices aliquam honeſtatis formam ſervabant, & dicebantur honeſtioris loci, & quæſtus. Huc facit Nonius Marcellus *de different. verb. Inter meretricem, & proſtibulum hoc intereſt: meretrix honeſtioris loci eſt, & quæſtus; nam meretrices a merendo dictæ ſunt, quod copiam ſui tantummodo noctu facerent; proſtibula, quod ante ſtabulum ſtent, quæſtus diurni ac nocturni cauſa. Locus honeſtior, ſi non ſit locus publicus. In prag.* 4. 8. §. 1. *& prag.* 10. *&* 11. *eod. tit.* ſæpius ſtatutum legimus, meretrices, per urbem ambulando, uti non debere neque ſellis geſtatoriis, neque rhedis, aut curribus, ut ſcilicet a mulieribus honeſtis diſtinguantur. Sed hæc, utpote non magni momenti ad bonum publicum, quotidiana conſuetudo abrogavit. Legimus & apud *Sueton. cap.* 8. Domitianum, licet nimia libidine infamem Principem, probroſis fœminis lecticæ uſum ademiſſe. In *prag.* 9. *& ult.* ne mores viatorum corrumpantur, aut occaſionem illi habeant explendæ libidinis, prohibetur, meretrices habitare in cauponis, diverſoriiſque. Erat olim in hac civitate peculiaris Curia pro meretricibus, ut patet ex *prag.* 6. *eod.*, ubi multa decernuntur ad abuſus removendos, qui paulatim in eam Curiam irrepſerant. Verum hoc

pecu-

peculiare tribunal, utpote malitias & maleficia fovens magis quam expellens, abolitum deinde fuit, vid. *not. in d. prag. 6.* Lenones, qui ſunt veluti inſtrumenta artis meretriciæ, atque incitamenta libidinum, non ſolum prohibentur, ſed & ſeveriſſimis pœnis coercentur legibus noſtris. In *prag.* 2. §. 2. *cit. tit.* mandatur ipſis meretricibus, ne adhibeant lenones, aliter gravi pœna fuſtigationis & exilii puniantur; ipſi autem lenones ejiciantur e Regno. Ex hac pragmatica videtur temperata nimia ſeveritas conſtitutionis Ferdinandi I. in *prag. unic. de lenonibus*, qua contra eos ſtatuitur pœna mortis. Statuerat olim Rex Rogerius in *conſtitutione lenas*, graviſſimam quoque pœnam adverſus lenas, ſed eo tantum caſu cum *ſollicitaſſent alienam caſtitatem*; quod utique non pertinet ad meretrices. Hanc legem confirmavit Fridericus II. *conſtit. lenas tit. de lenonibus*; ſed leviori utitur pœna, quoties exercetur lenocinium cum liberis mulieribus. Reges Romanæ infamem lenocinii artem improbarunt quidem, ſed non ſemper ſuppliciis gravioribus utebantur, niſi ubi cum lenocinio aliud crimen admittebatur, ut raptus, vid. *l.* 1. *C. T. de raptu virg.* vel ſi parentum opera id fieret, vid. *l. ult. eod. Cod. tit. de lenonibus*; quam legem interpolatam tranſtulit Tribonianus in *l.* 12. *Cod. de epiſcop. aud. & in l.* 6. *C. de ſpectaculis lib.* 11.

VIII. Proſpiciunt etiam publicæ honeſtati pragmaticæ ſub *tit de injuriis*, nam in 1. & 2. ſeveriſſimis pœnis coercentur quædam injuriarum ſpecies tunc temporis malo more uſitatæ, tum in perſonam, tum in rem in hac civitate. In *prag.* 2. & 5. in certis locis ad oram maritimam, ubi æſtate ſolent & viri & mulieres ſpatiari, prohibetur iis, qui pro oblectamento natare cupiunt, eſſe ſine femoralibus. In *prag.* 4. pœna pecuniaria, necnon corporalis injungitur adverſus eos, qui tempore vindemiarum in territorio Neapolitano verbis ludicris, obſcœnis, injurioſiſque, ut moris eſt inter ruſticos in communi lætitia, afficiunt tranſeuntes.

IX. Ob multitudinem rhedarum, ſive carpentorum, quæ luxus & mollities ſupra modum auxit in hac civitate, neceſſarium fuit & leges ſtatuere ad publicum damnum incommodumque evitandum, prout videre eſt in *tit.* pragmaticarum *de rhedariis, ſeu aurigis, vulgo cocchieriis.* Sed omnes carent effectu, prout quotidie experientia demonſtrat. Prima jubet, carpenta cum equis nunquam ſola relinquenda in viis, ne equis in fugam ſeſe proripientibus, aliqui ex tranſeuntibus opprimantur. Jubet præterea, equos ducendos lento, non citato gradu. In *prag.* 2. prohibetur, equos domari intra urbem, & mandatur iis, qui equos, mulos &c. ducunt oneratos per vias urbis ut capiſtra habeant in manibus, præeundo. *Pragmatica* 3. & 4. circa prohibitionem, & uſum mularum pro curribus, non ſunt in uſu. *Prag. ult.* ſtatuit, tantum tranſeunte Principe, debere incedentes cum curribus gradum ſiſtere.

X. Quoniam in hac civitate, ob ingentem numerum incolarum, exterorumque, facillime homines inveniuntur perditi conſilii, quique per maleficia tantummodo ſatagunt vitam ducere; propterea ſapienter aliquando leges latæ fuerunt ſeveriſſimæ, etiam ob ſolam criminis ſu-

ſpi-

ſpicionem. Hujus generis eſt *prag. unic. tit. de ſcalarum prohibitione noctis tempore*, qua pœna mortis naturalis, aliave ad arbitrium Principis punitur quicumque inventus fuerit nocte ſecum ſcalam ferens per urbem. Dura ſane lex, ſed cui occaſionem dederunt tum fures nocturni, tum perverſorum audacia erga mulierum honeſtarum pudicitiam, prout exprimitur in præfatione *prag.*; & propterea ejus vis paulatim defecit, ex quo ceſſarunt ſuſpiciones hujuſmodi; unde pœna videtur magis remittenda judicantis prudentiæ. Prætermittendum autem hic non eſt, erroneam, & deſtitutam regulis ſolidæ juriſprudentiæ interpetrationem legum, inter forenſes Doctores receptam, apparere præ ceteris in variis factorum ſpeciebus, quæ in diſceptationem venerunt poſt ejus pragmaticæ promulgationem. Refert Thomas Grammaticus *decif.* 36., pro exequutione edicti ſimilis *d. prag.* mortis pœna condemnatum fuiſſe quendam nobilem Neapolitanum, *qui noctis tempore repertus fuit cum ſcalis funeis in fraganti aſcendiſſe, ibidemque morari in altiori feneſtra domus cujuſdam ſimiliter nobilis Neapolitani; in camera cujus feneſtræ, nonnullæ ſorores, ac neptes ipſius, virgines honeſtiſſimæ, ac formoſæ degebant fuiſſetque per ſatellites Curiæ inſimul cum capitaneo nocturnæ cuſtodiæ in præfata feneſtra compertus cum ſcala ipſa appenſa, captus, & examinatus, confeſſus fuit &c.* Condemnatio ſeveriſſima quidem fuit, ſed juſta, quia ſecundum legem: adhæc occaſio legis tunc temporis magis vigebat, ſiquidem idem Grammaticus ſcribit *n.* 1. *in fin.*: *intra breve tempus duorum menſium, & minus, fuiſſe aggreſſas, & ſcalatas vigintiquatuor pene domus, non abſque aliquibus monaſteriis ſacrarum virginum monialium intus civitatem Neapolim, in quibus commiſſa fuerunt diverſa furta in maxima quantitate bonorum, ultra attentatus pudicitiæ, prout ex actis, & informationibus in eadem M. C. exiſtentibus &c.*. Quis igitur æquius rerum æſtimator in propoſita ſpecie iniquam dixerit condemnationem fuiſſe; eoque magis, cum graſſantibus delictis ſupplicia exacerbari debeant? vid. *l.* 6. *in fin. D. de pœnis*. At de Franchis *decif.* 333. refert, Julium Clarum improbaſſe eam; & judicio totius Italiæ viſam fuiſſe ſeveram & crudelem. Melius dixiſſet Clarus, legem ſeveram, non condemnationem, quæ fuit juſta, ut diximus, quia ſecundum legem. Imo nec dicetur recte ſevera lex, poſitis circumſtantiis, de quibus ſupra ex Grammatico. Hinc opinionum varietas ad deſtruendam legem; ſiquidem ex facto in *cit. decif.* 333. cum præter *ſcaliationem* duplex commiſſum fuiſſet ſtuprum, in virginem unum, alterum in viduam; poſt vanas rationes, argumentationeſque relatas a de Franchis, in Magna Curia fuerunt rei ſententia deportationis affecti. *Sed cum eſſet adpellatum ad Sacrum Conſilium* (inquit de Franchis) *fuit ſententia viſa rigoroſa; & licet unus ex Dominis dixiſſet, quod relegarentur pro certo tempore, nihilominus major pars Dominorum dixit, quod attenta eorum paupertate exularent per decennium extra Regnum; & fuit condemnatus is, qui defloravit virginem ad ſolutionem dotis*. Hæc ſane confirmant quod ſæpiſſime adnotavimus, leges inutiles fieri, dum regulæ negliguntur rectæ interpretationis. In ſpecie, quam pro-

Digitized by Google

proponit de Franchis, ſi iniqua videbatur lex, neceſſarium erat, ut referretur ad Principem pro illius abrogatione, aut mutatione: at, ſtante lege, nonne extra auctoritatem Magiſtratus eſt, in facto ad eam ſpectante, contrariam, aut diverſam pronunciare ſententiam? His adde, quod ætate de Franchis recens erat pragmatica, ejuſque occaſio adhuc vigebat. Sed ille, his omnibus prætermiſſis, tanquam levioribus, & pene puerilibus, totus eſt in referendis examinandiſque opinionibus Doctorum; & præſertim non ſemel provocat ad auctoritatem Baldi, qui fruſtra allegatur, dum agitur de nova lege: & quid opus eſt inquirere, utrum Baldus loquatur de ſtupro, & raptu cum *violentia*, an ſine *violentia*, cum quæſtio præcipua erat circa ſententiam pragmaticæ? Sed pergamus.

XI. Qui titulus in iiſdem libris pragmaticarum inſcribitur *de vagabundis*, *ſeu erronibus*, continet leges etiam pro avertenda futurorum criminum ſuſpicione. Vagabundi intelliguntur, qui ab exteris regionibus ad nos venientes, nullius artis, profeſſioniſve exercitio ſunt addicti; & tanquam errones incertis ſedibus modo huc, modo illuc tranſmigrando, ſuſpicionem præbent, aut hominum facinoroſorum, quique pro factis judicium timentes, domum, lareſque reliquerunt; aut furum, latronumve. Sub Regno Philippi II. Hiſpaniarum Regis, ad compeſcenda graviſſima crimina, aſſaſſinium, homicidium, furtum, quæ tunc facta erant frequentiora, viſum fuit convenire, edictis certam formam decernere, unde ab hac civitate, & provinciis Regni expellerentur ejuſmodi vagabundi, ſicut legitur in *prag.* 3. *cit. tit.*; idque ſæpius confirmatum fuit, cum malum non deficeret, nec antea promulgatæ leges ſervarentur, vid. *prag.* 1. 4. *& ult. eod. tit.*. Hæ leges nullum ferme uſum habent; ſed quæ poſſent aliquando, ob bonum publicum, habere, quoties abundante delictorum multitudine, ratio expoſcit, ut inquiratur contra ejuſmodi vagabundos erroneſque, *Pragm.* 2., quæ extat ſub *eod. tit.* aliena quidem eſt, ſed eandem continet rationem; ſiquidem promulgata fuit adverſus eos, qui finito tempore condemnationis ad triremes, otioſi, inutileſque divagantur per urbem; nam verendum eſt, ne id genus homines ad facinora propenſi, iterum ex otio atque indigentia adigantur ad delinquendum. Et propterea ſtatuit pragmatica, habendos eos eſſe tanquam vagabundos, eademque pœna afficiendos, nempe annorum quinque ad triremes, niſi intra certum tempus, artificio alicui, aut famulatui ſe addixerint. Superiori titulo conjungendus & titulus ultimus pragmaticarum, qui eſt de *Zingaris*, *ſive Ægyptiis*, ubi errones quoſdam, maſculos mulieribus immixtos, cum familiis, ſine lare, ſine tecto, qui creduntur ab Ægypto oriundi, & ab ignavo vulgo periti artis divinatoriæ; jubetur ab urbe, Regnoque expelli; neque apud nos amplius conſiſtere poſſe, niſi impetrata prius licentia a Principe.

XII. Demum ſpeciali commodo hujus civitatis proſpiciunt pragmaticæ in *tit. de locato & conducto*, ubi non agitur de contractu locationis & conductionis, ſed tantum ſtatuitur tempus, in quo apud nos locari ſolent domus, & de una habitatione in aliam inquilini ſeſe debeant

beant transferre. Antiquitus ejuſmodi migrationes fieri ſolebant die decimaquinta menſis Auguſti; quod cum videretur incommodum, ex *pragm.* 1. ſtatuta fuit prima dies menſis Maji; ubi & illud decernitur, cartulas, (quæ ex more in hac civitate affigi ſolent portis domorum, tanquam teſſeræ in ſignum domus locandæ) non ut antea affigendas eſſe prima die Maji, ſed Januarii, ut congruum interponatur tempus ad futuras locationes. Sed in *pragm.* 2. & 3. derogatur *dict. pragm.* 1. mandaturque, diem quartum Maji deinceps ſervandum pro migrationibus: quo jure hodie utimur. Quod autem ſtatuit eadem *pragm.* 3. prorogandas migrationes ad diem ſequentem, quoties dies quartus Maji Dominicus eſt, ſive Domino dicatus, ſervari non ſolet.

XIII. Pro moderando luxu, pompaque, tum circa veſtes, numerumque famulorum, tum circa ſuppellectiles; non ſemel, ſed bis, iterumque promulgatæ fuerunt pragmaticæ, quæ leguntur collectæ in *tit. de veſtium & famulorum prohibitione*, quæ licet generales ſint, tamen reſpiciunt hanc civitatem præcipue, utpote in quam ex multitudine incolarum, præſertim Baronum omnes confluunt totius Regni divitiæ, quæ ſunt incitamenta ad luxum, & ad ſumtuoſe apparateque vivendum. Earum legum ratio haud in obſcuro eſt, nam, ut mittamus hic refellere, utpote alienum ab inſtituto, errorem Scepticorum, quem nuper inculcavit *Auctor apum fabellæ*, aſſerentium, vitia privatorum civium, interque ea luxum, publico prodeſſe: quis ignorat, fraudes, calumnias, malam fidem, ſtellionatus crimina, quotidianas patrimoniis ceſſiones, ut nihil dicam de gravioribus criminibus, magna ex parte ab immodico luxu & voluptuariis impenſis procedere? Mortalium plerique ita comparati ſunt, ut alius alium ſuperare, tum auctoritate, tum divitiis continuo nitatur; & ubi eo vires deficiunt, æqualis eſſe, ſi non re ſaltem externa forma, adparatuque. Hinc falſa oritur nobilitas, falſæ ſapientiæ oſtentatio; denique immodicæ impenſæ in veſtitu ſuppellectili, famulatu; & cum deficit patrimonium, facile decurritur ad malas artes. At quoties jure publico certus modus ejuſmodi impenſis præfinitur, ceſſat nimium ſtudium pecuniæ adquirendæ; ſaltem homines non adeo acriter ſtimulantur ad eam habendam, ſive jure, ſive injuria: quippe divitiarum, inquit Juſtinus *lib.* 2., cupido ibi eſt, ubi & uſus. Hinc Romæ, & inter aliis prudentia civili præditas nationes, omni ferme ætate rogatæ fuerunt ſumtuariæ leges, quæ ſemper opus habuerunt novis remediis; ſiquidem abuſus hac in re primo videtur tolerandus, quia ſolet ex rebus minimis irrepere; ſed paulatim uſque adeo creſcit, ut malum ſtatui publico evadat intolerandum. In Oriente barbarici luxus deliciæque jamdiu Romanorum animos infecerant; ac proinde neceſſariæ fuerunt Imperiales leges pro moderandis veſtibus nimium ſumtuoſis. Hinc Valentinianus & Theodoſius in *l.* 1. & 2. *Cod. de veſtibus holoveris & auratis &c.* prohibuerunt privatis civibus auratas, & ſericas paragaudas auro intextas. *Paragauda* interpretatur Gothofredus genus inſtitæ, ſeu faſciæ, aut lori; quæ uſus tunc ferebat, ut veſtibus circumtexerentur. Hinc Cujacius in *cit. l.* 1. ex Vo-

piſco notat, ejus generis veſtes alias fuiſſe monolores, alias dilores, alias trilores, & pentelores, pro numero intextorum filorum aureorum. Notat etiam vir conſultiſſimus, Tribonianum interpolaſſe *cit. l.* 1., nam in Codice Theodoſiano ejus generis veſtes prohibentur tam viris, quam mulieribus: at Tribonianus viriles tantum veſtes nominat, quoniam Juſtinianus illas matronis conceſſerat. Et fortaſſis Imperatori erga mulierum pompas magis placuit ſententia Lucii Valerii, qui apud Livium *lib.* 34 acriter diſſeruit pro abroganda lege Oppia, qua ſancitum fuit: *ne qua mulier plus ſemuncia auri haberet: neu veſtimento verſicolori uteretur: neu juncto vehiculo in urbe, oppidove, aut propius inde mille paſſus, niſi ſacrorum publicorum cauſa, veheretur*: magis inquam placuit, quam ſeveri Catonis adverſus eum oratio, qui præ reliquis ait: *Vultis hoc certamen uxoribus veſtris injicere, Quirites, ut divites id habere velint, quod nulla alia poſſit? pauperes, ne ob hoc ipſum contemnantur, ſupra vires ſe extendant? Næ ſimul pudere, quod non oportet, cœperint; quod oportet non pudebit, quæ de ſuo poterit parabit; quæ non poterit, virum rogabit. Miſerum illum virum, & qui non exoratus erit, cum quod ipſe non dederit, datum ab alio videbit*. Quæ hic diſſerit ſapienter Cato, utinam & quotidiana experientia verum non monſtraret. Sed hæc omnia inutiliter jactantur, unde non ſolum ſapientum præcepta, ſed & ipſæ leges otioſæ factæ ſunt, apud nos præſertim; imo nec remedia amplius, nec vitia pati poſſumus. Accedit, quod ſive ex inventione novi Orbis, unde affatim divitiarum ad nos importatum eſt, ſive quod humanum ingenium magis magiſque vires ſuas exerit; præſertim in his quæ reſpiciunt delitias, mollitiemque vivendi; veſtium formæ innumeræ prope factæ ſunt; & quæ apud antiquos pretioſiores habeantur, veluti purpureæ, & ſericæ, unde prohibebantur privatis, tam viris, quam mulieribus, *l. ult. cit. tit.*; apud nos viliores, & quotidianæ habentur, ne dicam inter nobiles diviteſque, ſed & inter plebejos.

CAPUT V.

De Magiſtris artium, Architectis, Agrimenſoribus; iiſque, quos vulgo Tabularios dicimus.

Auctoritas Adminiſtratorum hujus civitatis extenditur etiam ad eligendos eos, qui Tabularii in legibus noſtris appellantur. Extat in libris pragmaticarum titulus *de Magiſtris artium*. Hoc nomine intelliguntur ſpeciales quidam artifices, quorum fraudibus occurrendum eſt, ob publicum damnum evitandum. In jure Romano de illis quoque agitur, ſed ratione longe diverſa: nam ad promovendas artes, Imperatores Orientales varias ediderunt leges, nominatim exemtiones, immunitateſque artificibus concedendo, prout videre eſt in utroque Codice *tit. de excuſationibus artificum*: at leges Regni utplurimum occupantur in removendo dolo

dolo malo, fideque bona reſtituenda, quantum fieri poteſt in moribus corruptiſſimis; nam apud nos cura publica, pro artibus promovendis, proque artificum præmiis, nulla eſt: & ſi qua cernitur aliquando induſtria & diligentia in artificiis, ad privatum ſtudium, atque ingenium referendum eſt artificis, ſive ad cupiditatem lucri. Utplurimum pragmaticæ ſub *cit. tit.* ad Architectos pertinent, quorum facultas non parum facit ad ornatum, decoremque urbium; imo & ad ſecuritatem publicam. Etenim fortuita, & male compoſita ædificia, non tantum publicum aſpectum deformant, ſed partim terræ concuſſionibus, partim mole ſua, ruinis facile ſunt obnoxia. Hinc prudenter Romani, quo libenter ingenii præditi cives architectonicæ operam darent, jure immunitatis voluerunt Architectos frui, vid. *l. ult. D. de jur. immun.* Plenius iisdem conſulit Conſtantinus Magnus in *l.* 1. *Cod. de excuſation. artific. lib.* 10., eos ab omnibus omnino muneribus eximendo, ubi & rationem his verbis reddit: *ſiquidem in diſcendis artibus otium ſit accommodandum, quo magis cupiant & ipſi peritiores fieri, & ſuos filios erudire.* In eadem *conſtit.* idem privilegium & quarundam aliarum artium profeſſoribus pro bono publico tribuit Imperator.

II. Ut veterum induſtriam ingeniumque, in ſtructuris præſertim ædificiorum, cerni poſſit, breviter has artes explicemus ex interpretatione Gothof. *l. c. C. T. eod. tit.*, unde *d. l.* 1. tranſcripſit Tribonianus, ſed more ſuo eam interpolando, non tantum tranſpoſitis artificum nominibus ſed plurium omiſſis, aliiſque ſubrogatis. Nos igitur ſequamur ordinem, qui eſt in *Cod.* Theod. Poſt *Architectos*, ſecundo loco nominantur *Laquearii*, *Albarii*, *Tignarii*, qui omnes tectis ædificiorum ſtruendis dabant operam. *Medici*: animadvertit diligentiſſimus Gothofredus mendum hic adeſſe; nam, ait ille, *quid hic faciant Medici in hoc circa ædificia occupatorum artificum recenſu, & ſitu? Imo in totum quid inter artifices medici iſti, qui non inter artifices, ſed profeſſorum numero fuere, de quibus ideo ſeparatus eſt titulus de profeſſoribus, & medicis?* Nec probat Cujacii opinionem, qui *medicos* legit, & interpretatur *chirurgos;* hi enim nec recte inter artifices collocantur. Accurſius in gloſſis difficultatem ſubodoratus legit *mulomedicos*, & intelligit medicos animalium: recte quidem in *Cod.* Juſtinianeo; ſed hoc non convenit verbis, quæ extant in *Cod.* Theodoſiano, ubi nono loco nominantur *mulomedici*. Gothofredus igitur emendat *Mediaci*; quo vocabulo intelligit eos, qui verſabantur circa *mediale*. Mediale in re lignaria ponitur pro parte intima arboris; unde *Mediaci* denominabantur qui inteſtina opera & minutiora faciebant; & ſic tignariis, & inteſtinariis (unde *inteſtinum opus* apud Vitruvium) proximi. *Lapidarii & Argentarii* qui ſint, res nota eſt. *Structores*: Gothofredus interpretatur, qui faciebant ſtructuras fundamentorum, parietum, murorum; id enim eſt ſtructura, & ſtruere; unde & *ſubſtructiones*. *Quadratarii*, lapidicidæ, qui quadratos lapides, quadratum ſaxum, & marmor adornabant, quadrabant marmora. Cujacius generaliter interpretatur eos, qui marmora expoliebant. *Barbaricarii*, quos idem Cujacius ex *Donato ad lib.* 11. *Æneid.* ſic explicat: *Barbaricarii dicuntur, qui ex auro coloratis filis, exprimunt hominum formas, & animalium, & aliarum ſpecierum, imitatam ſubtilitate veritatem.* Ejus generis artificia

Digitized by Google

metropolis Regni majori ornamento decoraretur, tum ut fraudes removerentur, quæ facilius in Provinciis intervenire poſſunt, ubi minor artificum, eorumque operum cura eſt. In *prag.* 9., mandatur iis, qui textrinam exercent ejuſdem artis, ut nomen ſuum deferant Adminiſtratoribus, qui *Conſules & deputati* nominantur; ſiquidem certum corpus horum artificum eſt; & ad fraudes evitandas ſciri debet quinam ſit, & quanam ratione artifex unuſquiſque in ea verſatur. Neque hac in re deſtituimur exemplo a Romanis legibus, nam *lib.* 11. *Cod. tit.* 7. agitur de *Gynæciariis*, qui textrinam exercebant: fortaſſis quod primitus muliebribus veſtibus texendis dabant operam, unde nomen acceperunt; deinceps generaliter accepti ſunt. Horum certa corpora, ſeu collegia fuerunt in variis Imperii provinciis; quidam autem ſpecialiter textrinæ Principis erant addicti, ut patet ex *l.* 6. *cit. tit. C. de Murilegulis & gynæciariis &c.* Quod ſtatuitur in *prag.* 11. adprime conduceret in utilitatem publicam, bonamque fidem negotiationis, ſi uſu ſervaretur; nam ibi imponitur, venditoribus cujuſcumque rei ex ſerico confectæ, aut argento aurove intermixto, ne vendant, niſi ea confecta ſit ſecundum normam jamdiu ſtatutam a peritis ejus artis. Et quamvis eadem pragmatica, utpote promulgata *an.* 1658. poſtquam a dira contagione Civitas, Regnumque liberata fuere; voluiſſet occurrere avaritiæ negotiatorum, artificumque varii generis, qui plus juſto pretia rebus imponebant: tamen vim ſuam perpetuo obtinere deberet; ſaltem ut modus aliquis fraudi, doloque malo imponeretur. *Prag. ult.* ex eadem ratione, ac ſuperior edita fuit *Pragm.* 7. occurritur fraudibus eorum, qui ſpecialiter dant operam ſcriniis, abaciſque conficiendis.

IV. Verum cum inter artes nulla ſit utilior, magiſque neceſſaria, quam quæ verſatur in conſtructione ædificiorum; ideo quæ leguntur in *cit. tit. de magiſtris artium pragmaticæ*, utplurimum agunt de fabris murariis, lignariis, ceteriſque, qui ejus generis artificio dant operam; necnon de Architectis, ut diximus, qui ſolent ædificiorum futurorum primas invenire formas, eaſque primis lineamentis deſignare. Quod cum olim fieri ſoleret in tabulis, ideo uſus apud nos obtinuit, ut ſpeciali nomine Tabularii adpellarentur. Sed cum poſtea eorum munus, & ad menſuras fabricarum, agrorumque pertinuiſſet, nec non ad juſtum pretium illis imponendum; ideo Tabularii, Architectorum, Agrimenſorumque verſantur in officio. Quemadmodum Architecti, ita & Agrimenſores publica ex facultate profitebantur, nam utrorumque rectum & fidele officium eſſe, publice intererat. Et propterea edictum Prætoris, relatum in *tit. Pandectarum*, *ſi Menſor falſum modum dixerit*, ſpectat tantummodo ad privatos Agrimenſores, hoc eſt qui privatim ex conſenſu contrahentium, aut litigantium eliguntur; & ideo in *l.* 1. Ulpianus ſcribit, eos teneri tantum de dolo; quo nomine & lata culpa includitur; non autem de negligentia, aut imperitia; & rationem his verbis reddit; *Viſum eſt enim ſatis abundeque coerceri menſorem, ſi dolus malus ſolus conveniatur ejus hominis, qui civiliter obligatus non eſt* (hic intelligit JC., non eſſe eum obligatum legibus civilibus, quæ ſunt de jure publico; ſed tantum lege naturali, quæ naſcitur ex pacto, & conventione privatorum). *Proinde ſi imperite verſatus eſt, ſibi imputare debet qui eum adhi-*

adhibuit. At quoties publice electus eſt Agrimenſor, ſive Architectus, tenetur de negligentia, & imperitia, quoniam privati nihil habent, quod ſibi Imputent. Sunt multæ, nec leves, quæ oriri ſolent controverſiæ finium regundorum, eæque indigent Agrimenſorum opera, quibus mandatur ab iis, qui præſunt juriſdictioni, vid. exempla apud Cujacium *lib.* 10. *obſerv. cap.* 2. Hinc ars agrimenſoria ſummam peritiam requirit. Apud antiquos majori ſtudio addiſcebatur, & propria vocabula habebat, quæ expendit Gothofredus ad *l.* 1. *C. T. fin. regund.* Et periti Agrimenſoris opera quam maxime publico utilis eſt. Huc faciunt verba Theodorici Regis apud Caſſiodorum, *lib.* 3. *epiſt.* 52., ubi dum eligendum Agrimenſorem mandat, ad quæſtionem finium terminandam, ſummis laudibus ejus artis neceſſitatem, & excellentiam extollit Rex; aitque: *Auguſti temporibus Orbem Romanum agris diviſum, cenſuque deſcriptum eſſe, ut poſſeſſio ſua nulli haberetur incerta, quam pro tributorum ſuſceperant quantitate ſolvenda*. Deinde addit: *Videant artis hujus periti, quid de ipſis publica ſentit auctoritas*.

V. Apud nos artis agrimenſoriæ, quemadmodum & architectonicæ, nulla adeſt publica cura, ſed utraque relinquitur ſtudio privatorum. Tantum hujus civitatis Adminiſtratoribus privilegium conceſſum eſt, Tabularios eligendi, quibus negotium datur in controverſiis judicialibus pretium definire rerum immobilium, necnon ad menſuram redigere prædia ſive urbana, ſive ruſtica. Hoc autem ea ratione factum videtur, ne hominibus omnino imperitis committeretur aliquando ea ſtatuere, quæ exequutionem ſuam habere deberent ex ſeutentiis Judicantium; nam præſumitur, ab Adminiſtratoribus electos idoneos, peritoſque. Et propterea uſus obtinet, ut antequam aliquis deſtinetur ad officium Tabularii, diligens de eo habeatur examen.

VI. Variæ prout viſum fuit neceſſarium, pragmaticæ editæ fuerunt circa Tabularios, ut videre eſt in *cit. tit. de Magiſtr. art.* In *prag.* 2. mandatur Judicibus omnium Tribunalium hujus civitatis, ne alios eligant pro æſtimatione rerum litigioſarum, aut pro deſignandis, inveſtigandiſque finibus agrorum, quam unum ex publicis Tabulariis. Ne autem electio Judicis, aut totius Tribunalis Collegii occaſionem præbeat ſuſpicionis, gratiæ aut odii, rectiſſime cautum fuit, ut haberetur ex *prag.* 3. & 5. *eod. tit.*, ut forte eligatur unus ex Tabulariis in quolibet negotio expediendo; ubi & ſtatuitur, poſſe ante ſortitionem allegari tanquam ſuſpectum unum, vel plures ex illis; dummodo id non fiat animo calumniandi; quod præſumitur eo præſertim caſu, dum omnes allegantur ſuſpecti; nam vix fieri poteſt, ut omnes Tabularii, qui novem ſunt, præter eos, qui veluti extra ordinem creantur, juſtam ſuſpitionis cauſam ſive actori, ſive reo præbuerint. Verum ſi quis a definitione, & relatione, quæ fieri debet a Tabulario electo, & præſentari in judicio, velit provocare, utpote injuſtam, aut erroneam illam exiſtimans, cavetur in *cit. prag.* 2. & *prag.* 4. id fieri poſſe: quo caſu, auctoritate Judicis, reviſio committitur *Primario*, ut ait *prag.*, hoc eſt qui inter Tabularios primum locum habet. Quod ſi nec *Primarii* ſententiæ

tiæ adquieſcent litigantes, tunc ſtatuitur, ipſum Judicem, cui commiſſum eſt negotium diſceptandum, debere ſuo judicio inveſtigare, utrum prior, an poſterior probanda ſit relatio, quoties diſcrepant inter ſe; nam ſi utraque cohæret, tunc videtur omnis ſublata quæſtio, niſi in utraque fortaſſis manifeſta adpareret iniquitas, tunc enim ad arbitrium boni viri æquitas expoſcit, ut negotium reducatur; ſcilicet ut adhibitis prudentibus & ſapientibus viris poſſit Judex melius rem cognoſcere, atque examinare. Neque alius videtur eſſe ſenſus pragmaticæ, ſi volumus æquitatis, & juſtæ interpretationis regulas adhibere, nulla ratione habita de uſu ſive *practica* forenſi, quæ utplurimum vel ex prava legum interpretatione procedit, vel ex modis, ſtrophiſque inveniendis, unde cauſæ protrahantur, involvanturque, & unde litigantes immodicis diſpendiis vexentur. Et ſane dum jubet *pragmatica*, *quoties partes reclamant*, hoc eſt ſe læſas aſſerunt, tum ex relatione Tabularii, tum ex reviſione primarii, debere *cauſæ Commiſſarium revidere*, hoc eſt ad examen eas relationes revocare; quid aliud jubet, niſi ut id fiat arbitrio boni viri? quod utique intelligendum eſt ſuo judicio, & prudentia, quando id commode atque utiliter fieri poteſt. At quoniam utplurimum controverſiæ hujuſmodi requirunt peritiam Architecti, vel Agrimenſoris, ideo arbitrium boni viri exigit, ut eorum adhibeat conſilium Judex ad dijudicandum, utranam ex relationibus probanda ſit. In jure Romano non deſunt exempla, ex quibus diſcimus, quædam ad jus dicentis arbitrium revocari: ſed quoties ille, rei, qua de agitur, imperitus eſt, adhibere debet peritos. In *l. ſi pater* 47. §. *ſi Sticho de fid. libertat.*, Julianus ſic ſcribit: *ſi Sticho libertas per fideicommiſſum data fuit ſub conditione, ſi rationes reddidiſſet: & is abſente herede paratus ſit reliqua ſolvere; Prætoris officio continetur, ut virum bonum eligat, cujus arbitrio rationes computentur &c.* Ex verbis Juriſconſulti colligitur, in propoſita quæſtione, Prætorem quidem inſpicere debere, utrum petitio ſervi, qui ad libertatem pervenire vult, juſta ſit an injuſta: ceterum ubi ille cognoſcit, juſtam eſſe, adhibere debet peritos, quoniam rationum computatio non ſolet pertinere ad officium jus dicentis. Id ipſum in ſpecie noſtra ſtatuendum eſt: jubet *pragmatica*, Commiſſarium revidere debere relationem Tabularii, & Primarii, quoties id petitur a litigantibus: inſpicere ille debet, utrum petitio juſta ſit, an ſecus, e. g., injuſta erit, quoties utraque relatio conformis eſt, aut una diſcrepat ab altera in re minima, & nullius momenti; aut in circumſtantiis *accidentalibus*, ut ita dicam, & quæ non faciunt ad ſummam negotii. At contra erit juſta, quoties diſſenſio inter utramque relationem adparet manifeſta. In hoc caſu quænam erunt Judicis partes? Fingamus, in menſura, in definitione pretii circa rem litigioſam inveniri in illis magnam diſcrepantiam, quid aliud æquus Judex efficere poteſt, niſi in rem præſentem venire, menſuram inſpicere cum peritis, ab eiſque etiam petere, num pretium, hoc vel illo modo impoſitum, ſit juſtum & legitimum; & demum proferre ſententiam? Neque dixeris, pragmaticarum prohibere, ne in controverſiis hujuſcemodi eligantur, niſi approbati, quo nomine intelliguntur publici Tabularii; unde

Digitized by Google

unde non poterit Judex, niſi & alios Tabularios adhibere; quod videtur abſurdum, dum extraneis committitur examinandum negotium jam definitum a Primario: etenim pragmatica loquitur de actu judiciali, ſcilicet, ut quando *judicialiter* fieri debet menſura, vel *appretium*, id non poſſit committi, niſi uni ex publicis Tabulariis: at quoties a relationibus Tabularii, & Primarii reclamatur, tunc controverſia redigitur ad reviſionem Judicis; hic autem, ut poſſit recte ſecum deliberare, & juſte pronunciare ſententiam, debet utique peritorum adhibere conſilium; quorum electio, utpote pertinens ad ſui inſtructionem, non ad actum judicialem, utique arbitraria eſt.

VII. Quod modo diximus, relationem Tabularii, vel Primarii actum judicialem conſtituere, ex eo manifeſtum eſt, quod jubet pragmatica, non poſſe alios eligi a quocumque Tribunali, ſive Sacro Conſilio, ſive Regia Camera, ſive Magna Curia. Hæc autem neceſſitas electionis ad bonum publicum referenda eſt, nam præſumitur, peritiam Tabularii, & Primarii ſatis ſuperque exploratam Adminiſtratoribus hujus civitatis; unde litigantes illorum diligentiæ, integritati, & peritiæ facilius poterunt confidere, & ſecuriores eſſe, quam ſi fortuito, & non ſemel privati commodi ſtudio, eligantur Architecti, & Agrimenſores. Imo his publicis Tabulariis, dum legibus noſtris eorum electio neceſſaria facta eſt, videntur aliquo modo & judicantium partes attributæ, quoniam eorum relatio actus judicialis eſt. Et confirmatur ex eo, quod uni tantum credatur; & propterea relatio Tabularii non cenſetur ſimplex atteſtatio coram Judice facta; nam aliter requireretur, ut non ab uno tantum, ſed a duobus ſaltem fieret: etenim ex generali juris regula unico teſti nunquam integra fides præſtatur, nec ex eo conſtituitur probatio ad proferendam ſententiam idonea; idque Donellus in *l. jurisjurandi C. de teſtibus*, docet verum eſſe, etſi teſtis deponat de re ſibi nota, & quam ſcit ex peritia ſuæ artis. Hinc in judicio criminali, quoties probandum eſt corpus delicti, ſive delictum in genere, ut in foro loquuntur, non unus, ſed duo periti examinantur: quia licet deponant ex peritia ſuæ artis, nomen habentur loco teſtium. At ex pragmatica, uſu confirmata, unus Tabularius relationem facit ſive de finibus rei controverſæ, ſive de menſura, ſive de pretio; & nihilominus actum judicialem conſtituit, unde Judex ſecundum eam poteſt quæſtioni finem imponere. Verum non debet Tabularius fines egredi ſui muneris, quod conſiſtit tantum in facto, e. g. illud prædium ea menſura conſtare, tanti valere, confines fundos ſic ſe habere &c., non autem in jure; ne videatur ejus relatio vim habere ſententiæ, cujus proferendæ auctoritas ad officium jus dicentis ſpectat. Adhæc videtur ultronea, ac proinde rejicienda Tabularii relatio, in qua de jure diſceptatur, vel definitur; nam præſumitur, Judicem peritum in jure, ac proinde de facto tantum Tabularium conſuluiſſe, in quo verſatur ejus facultas; nam ſi fingamus Judicem, qui opus habet Tabularii relatione, ut de jure cognoſcat, is nec Judex quidem dicendus eſt.

VIII. Ex his infertur, nimis inſolenter ſe geſſiſſe Tabularios ætate Antonii Capycii, dum in diſceptatione de jure ſervitutis, auctoritate pluſ-

pluſquam cenſoria ſententiam proferre ſolebant; & nimis patienter, ne dicam imperite, ſe geſſerunt eodem tempore Judices, qui id permittebant. Verba Capycii in *not. ad conſuet. Neapol. de ſervit.* §.1. ſic ſe habent: *Nota quia Tabularii Neapoli faciunt claudi feneſtras, quæ ſunt ſine cantonibus indifferenter. Et dixit mihi Hieronymus Squalia, ſe feciſſe claudere feneſtras ſine cantonibus, antiquiſſimas, ſi male non recordor, & quod illa camera remanſit obſcurata.* Hic non tantum cernitur arrogantia non ferenda Tabulariorum, & Judicum tunc temporis ſive inſcitia, ſive oſcitantia; verum etiam manifeſtus error contra juris regulas. Nec mirum, quoniam permittebatur Tabulariis definire; & non tantum definire, ſed etiam ad exequutionem perducere quod juris erat. Facultas Tabulariorum, in ſpecie ejus conſuetudinis, in eo tantum verſabatur, ut inſpicerent, utrum intermittebatur ſpatium duodecim palmorum inter feneſtras parietis, & novum ædificium conſtruendum: quo relato ad Judicem, ejus partes erant definire, utrum feneſtra claudenda eſſet, an vero novum ædificium extruendum ultra duodecim palmos ex præſcripto conſuetudinis. Neque dixeris, Tabularios id feciſſe ex uſu jam recepto, qui tunc vim legis obtinebat; etenim ſi talis uſus jam tranſierat in conſuetudinem, hæc proculdubio, utpote in jure conſiſtens, magis Judicis, quam Tabulario nota eſſe debebat: adhæc ſi fingamus, ea ætate talis uſus ignaros fuiſſe Judices, tenebantur Tabularii ad eos referre, ut videri poſſet, utrum adquiſiviſſet uſus vim conſuetudinis; & utrum conſuetudo eſſet rationi conſentanea: non autem propria auctoritate *claudere feneſtras antiquiſſimas ſine cantonibus*, ut ait Capycius. Et veroſimilius eſt, tunc nullam fuiſſe ejus generis conſuetudinem, quia, utpote de re non levis momenti, prætermiſſa non fuiſſet a Bartholomæo de Capua conſuetudinum Neapolitanarum collectore; nec ab Interpretibus, qui ante Capycium vixerunt, præſertim Napodano, cujus gloſſæ continent minutiſſimas factorum, quæſtionumque ſpecies. At tantum uſus claudendi feneſtras ſine *cantonibus*, noviter introductus erat a Tabulariis ſemidoctis in jure. Et ſane innumeras forenſes formulas in actus judiciarios, & in publicas ſcripturas induxerunt, dum vigebat barbara juriſprudentia, Scribæ, & Notarii ſemidocti, qui leviter aliquid de jure addiſcendo, vel audiendo ab aliis, credebant ingenium doctrinamque oſtentare, ſi quid congerie verborum plauſibile, & novum, ſi novas cautiones, novaſque agendi formas inveniſſent; unde poſtmodum formularii Doctores, dum ab eis quæritur hujus, vel illius uſus, ſive auctoritas juris, ſive ratio, nihil aliud tertio quoque verbo reponunt, quam: *hic eſt ſtylus Tribunalis, hæc eſt praxis inſtrumentorum, ſic ſemper in foro uſus obtinuit &c.* Et inutiliter operam, tempuſque teret qui monſtrare tentaverit, *ſtylum illum, praxim illam*, non tantum auctoritate juris, & ratione deſtitui; verum etiam publico privatoque civium commodo utilitatique obeſſe, dum lites foventur, earumque impendia evadunt immenſa, & jus bonumque, quod in civili ſocietate præ ceteris ſervandum eſt, ſubvertitur. His corruptæ juriſprudentiæ cauſis & aliquid Tabularii ſemidocti addiderunt, dum fines ſuæ artis tranſgreſſi, volebant & de jure pronun-

nunciare, ut in ſpecie, qua de agimus; nam in controverſiis ſubortis circa interpretationem ſuperioris conſuetudinis, dum Judices mandabant Tabulariis, ut accedendo ad locum rei controverſæ, inſpicerent referrentque ſtatum antiquæ domus, & ædificii noviter extruendi; fortaſſis primum aliquis ex iis leviter juriſprudentia adſperſus, cujus generis erat Hieronymus Squalia, quem meminit Capycius; gnarus ſervitutem adquiri longo uſu, cenſuit, non aliam rationem eſſe longi uſus demonſtrandi, quam feneſtras habere cum *cantonibus*, qui, cum ſoleant fieri marmore, aliave conſimili materia, ac proinde requirant tempus, commodumque pro ſtructura, oſtendebant, apertam feneſtram in alieno ſolo proſpicientem aut ex conſenſu domini ipſius ſoli, aut ex impoſitione ſervitutis: contra ubi *cantones* non aderant, nihil tale præſumebatur, quia ſimplices feneſtræ clam fieri poſſunt, & tempore quam breviſſimo. Hæc ratiocinatio ſemidocti Tabularii novum jus induxit, quod hodie apud pragmaticos ut certiſſimum adſtruitur, & ex illo lites dirimuntur. Sed vide quam male conveniat, & rationi, & legibus: Fingamus, me domum habere, ex qua feneſtræ proſpiciunt in hortum confinem a tempore antiquiſſimo, imo ex quo domus fuit ædificata; poſtmodum me vendere hortum Titio, eumque velle in horto ædificare: verba ſatis perſpicua ſunt conſuetudinis Neapolitanæ, qua efficitur, debere Titium intermittere ſpatium duodecim palmorum, ne lumen domui meæ auferatur. Sed ſi Titio placuerit mecum jure, judicioque diſceptare, prudens Judex mandabit Tabulario, ut referat de ſtatu, & qualitate locorum. Sed hic auctoritate pluſquam cenſoria, novum ædificium jubebit prope domum meam extrui, & feneſtras claudi: at quo jure? quia feneſtræ ſunt ſine cantonibus. Igitur ſi fortaſſis aut quia majores mei ob inopiam pecuniæ, non potuerunt marmor comparare ad *cantones* ſtruendos, affingendoſque feneſtris; aut quia tunc temporis talis uſus non erat, debebo deinceps inutilem domum habere, aut ſaltem nimis obſcuram? Si veteres Tabularii, aut potius Judices, qui debebant eos continere, ne in alienum irruerent, ſcilicet juris pronunciationem ſibi aſſerendo, ſolida imbuti fuiſſent civili diſciplina, ſtatuere debebant, *cantones* in feneſtris præſumtionem facere vel antiquæ ſervitutis, vel conſenſus præſtiti a domino, dum fuerunt conſtructæ; ceterum probationem certam non facere; nam evenire poteſt, ut domino ſoli peregre profecto, vicinus tempus commodumque habeat feneſtras aperiendi, eiſque cantones adponendi; nec propterea æquum erit, ut jus domino amplius non ſit ædificandi prope parietem, ubi ſunt feneſtræ. E diverſo cum ipſe probare voluero, vel a tempore, cujus memoria non extat, meas feneſtras, licet ſine *cantonibus*, proſpectum habuiſſe in ſolum vicini, quænam erit æquitatis norma, ut cogar eas feneſtras claudere; cum tempus longiſſimum non tantum proſpectus ſervitutem, quæ levior eſt, ſed & eundi, agendi, aquamve ducendi per alienum fundum mihi tribuere poſſit? Ad rem ſic nos docet Ulpianus in *l. ſi quis* 10. *D. ſi ſervit. vind. Si quis diuturno uſu, & longa quaſi poſſeſſione jus aquæ ducendæ nactus ſit; non ei neceſſe eſt docere de jure, quo aqua conſtituta eſt, veluti ex legato, vel alio modo: ſed utilem habet actionem,*

ut

Digitized by Google

ut oſtendat, *per annos tot uſum ſe non vi*, *non clam*, *non precario poſſediſſe*. Quapropter ſi a Judicibus, ſi a Juriſconſultis, non a Tabulariis ſemidoctis de ſuperiori controverſia cognoſcendum fuiſſet, non ſtatim definitum foret, claudendas feneſtras ſine cantonibus; ſed potius ſtatutum: *cantones* in feneſtris præſumtionem facere pro jure domini ædificii, ubi illæ ſunt: at ſi qui vult ædificare, paratus eſt oſtendere, illas noviter, & clam factas, cantones utique nihil proficiant. E diverſo ubi ſunt ſimplices, ideſt ſine *cantonibus*, transfertur onus probandi in dominum ædificii, nempe tenetur ille oſtendere, ſic primum fuiſſe domum ædificatam, vel ſic extitiſſe feneſtras a tempore, cujus memoria non extat.

IX. Electio Tabulariorum, quæ ad hujus civitatis Adminiſtratores ſpectat, bonum publicum reſpicere debet, ut diximus, non privatum ipſorum Tabulariorum. Verum quoniam in rebus hujuſcemodi utilitas publica, quæ occaſionem dat legi, paulatim vertitur in privatam: ideo experientia monſtravit, monſtratque quotidie, perſuaſos Tabularios, ex quodam veluti jure prohibendi, unde neceſſario Judices tenentur eos eligere in controverſiis judiciariis, magni emolumenti ſe munus adeptos & propterea exactiones arbitrarias eſſe, non boni viri judicio permittendas, dum negotium aliquod ſuſcipiunt definiendum, relationemque faciendam. Sed huic malo aliquod remedium allatum eſt ex *prag. an.* 1738. §. 3. *n.* 8. in qua mandatur, non poſſe Tabularios dum ſeſe conferunt in locum rei controverſæ, quidquam aliud exigere præter *dietas civiles*, & *naturales*: & pro opera amanuenſis in ſcribenda relatione, exigere tres aſſes in ſingulas paginas. Hoc ſane proviſum fuit a *pragmatica* ad fraudem coercendam, qua utebantur Tabularii, eaque communis eſt cum Notariis, Magiſtris actorum, Rationalibus, &c. a quibus dum aliquod negotium perficiendum ſuſcipitur, etſi vel jure, vel partium conventione ſalarium, honorariumve ſit præfinitum, tamen aſſeritur, id non pertinere ad confectionem relationis; pro cujus opera, arbitraria eſt exactio; quaſi quod abſque relatione aliquid ſolvendum, petendumve ſit juſte: ſiquidem dum non adeſt eorum relatio, nihil utilitatis partes habent; & propterea quidquid exigitur, non facta relatione, injuſtum eſt, utpote contra mentem, & abſque ullo partium commodo. Ne autem Tabularii negligentes ſint in relationibus faciendis, jubet eadem pragmatica, debere eos poſt quindecim dies, aut duos menſes, ſi agatur de feudis aliiſve rebus magni momenti, ubi diligentior, longiorque opera requiritur, relationes facere, poſtquam finis impoſitus eſt inſpectioni oculari in loco rei controverſæ. Illud etiam rectiſſime cavetur in pragmatica, ut quoties ſive feudum in controverſia eſt, ſive res alia, dummodo minoris ſit aureorum ſex mille; liberum arbitrium permittatur Judici, etiam alios peritos eligendi, non expectata Tabulariorum renunciatione; quæ uſu inducta fuit, prout & alibi diximus de *Examinatoribus Sacri Conſilii*, quaſi quod aliorum peritorum electio juri adquiſito & commodo pecuniario Tabulariorum officeret; unde requirebatur eorum conſenſus; ſiquidem ex generali regula nemo poteſt ſine propria voluntate jus ſuum amittere. Sed de his incommodis,

Digitized by Google

& malo uſu legum querelæ novæ non ſunt; nam legimus in *prag. 6. eod. tit. de Magiſtr. art.*, anno 1622. & deinceps. Regios Architectos per ſupplices libellos expoſuiſſe Principi gravamina, quibus ex *jure*, ut ita dicam, *prohibendi* Tabulariis competente, non leviter premebantur per univerſum Regnum ſubditi; interque ea illud præcipuum numeratur, quod jus electionis Adminiſtratorum hujus civitatis non poterat ultra fines territorii Neapolitani ſe extendi; & propterea Tabularii ab ipſis electi videbantur facultatem tantum habere poſſe circa bona in eodem territorio ſita; ceterum quæ ſunt in provinciis Regni debeant ſive pro menſura, ſive pro pretio imponendo, ad jus facultatemque pertinere Agrimenſorum, vulgo *Appretiatorum*, quos ſolent eligere cujuſque Univerſitatis Adminiſtratores. Et hæc ratio eo magis juſta adparet, quod pretia rerum ex diverſitate locorum ſolent diverſimode ſe habere; ac proinde peritiores cenſentur ipſimet cives electi, quam Tabularii utplurimum aut origine, aut incolatu cives Neapolitani. Quinimmo experientia ipſa hanc rationem confirmat, nam Tabularii cum ſe conferunt pro æſtimando aliquo in provinciis Regni prædio, aut minus recte æſtimationem ineunt, aut ſolent a peritioribus loci conſilium poſtulare. Sunt & alia, quæ exprimuntur in *ead. prag.*; adeout re maturius examinata, & diſcuſſa, demum viſum fuerit æquum definire: poſſe Judices, bonorum æſtimationes, ceteraque ad munus Tabulariorum pertinentia, committere & Regiis Architectis.

X. In *ead. prag. an.* 1738. §. 3. *n.* 7., ad abuſus removendos, qui paulatim irrepſerant, ob repetitas *reviſiones*, quæ a litigantibus peti ſolebant circa judicium peritorum; idque calumniæ tantum, proferendæque quæſtionis judiciariæ cauſa; rectiſſime ſtatuitur, peti non poſſe tertiam *reviſionem*, quoties duæ priores, nempe Tabularii una, Primarii altera, ſunt conformes. Hoc tamen neceſſarium non erat conſtitui, ſi ſua apud nos legum conſtaret vis, & auctoritas; necnon a ſolis juriſconſultis earum penderet interpretatio, atque exequutio; nam id ſatis ſuperque ſententia comprehenditur *pragmaticæ* 3., & 4 *de magiſtris art.*, quas ſupra explicavimus. Excipitur tantum in *cit. pragm.* quando alter ex litigantibus tertiam peteret *reviſionem.* ſuis ſumtibus; eamque faciendam præſente *Commiſſario cauſæ* in loco rei litigioſæ, quoties hic æquam judicaverit petitionem. Hic notandum, *acceſſum* Judicis, ut noſtri dicunt *ſuper faciem loci*; quoties agitur de negotio, quod ſimpliciter peritorum muneris eſt, ſuperfluum cenſeri, & non neceſſarium; idque & duplici ratione confirmatur, primo, quia inutilibus ſumtibus vexantur litigantes: ſecundo quia abſentia Judicis cedere ſolet in damnum publicum, ſiquidem ceterorum jurgiis definiendis mora interponitur. His adde, quod ſive civiles, ſive canonicas, ſanctiones inſpexeris, in quibus mandatur, peritorum opera fines deſignandos; aut quid aliud cognoſcendum; de Judicis præſentia numquam, aut raro mentio fit; niſi quoties in loco ipſo rei controverſæ finis imponendus ſit diſceptationi. Qua de re nobile extat reſcriptum S. Gregorii Magni Pontificis Epiſcopo Syracuſano, relatum in *cap. 9. de præſcript.* Sed hæc apud nos vix uſum habent, nam *acceſſus* non ſolum

ſolum in re præſenti lites terminare non ſolet,ſed aliquando novis controverſiis, contentionibuſque occaſiones præbent. Prudenter igitur Pontifex, dum ſtatuit, Agrimenſorem deſtinandum, ſic ſcribit Judici: *Hortamur ergo, ut cum eo ad loca, de quibus eſt contentio, debeatis accedere; & utraque parte cominus conſtituta, ea loca quæ in lite ſunt, veſtra faciatis præſentia terminari; quadraginta tamen annorum utrique parti præſcriptione ſervata. Quæcumque vero definita fuerint, ita ſervari fraternitas veſtra ſollicite ſtudioſeque provideat, ut denuo neque jurgium exinde aliquod excitari, neque querela aliqua ad nos, valeat pervenire*. Tantum, ex verbis ſuperioris *pragmaticæ*, Judicis interventus legitimus neceſſariuſque fit, quoties agitur de tertia reviſione, quæ cum remittatur ſententiæ Judicantis, hic juſte in rem præſentem accedit, ut melius, diligentiuſque cognoſcat; quod & ſupra adnotavimus. Imo in hac ſpecie jubet pragmatica, impenſas pro *acceſſu* Judicis fieri debere ab eo, qui petit. Et ratio eſt, quia adverſarius pro ſe habet duas relationes conformes, & propterea cenſetur bonum jus fovere: contra qui petit tertiam relationem, cavillationes potius ſtruere. Neque hic locum habet vulgaris regula forenſium, *ſumtibus petentis, in damnum ſuccumbentis*; etenim ſi impenſæ neceſſariæ, quæ fiunt in actibus judiciariis, eo tantum caſu tenetur victus victori, præſtare, cum ille temere litigavit, non autem cum lis dubia erat, & diſputatio in utramque partem legitima adparebat; multo minus in ſpecie noſtra, ſiquidem non temere litigat qui jus ſuum perſequitur ex duplici relatione conformi. Quod ipſum verius eſt, quoties in prima, vel altera relatione facienda a peritis, alter ex litigantibus petit acceſſum Judicis, nam expenſæ ſemper cedere debent damno petentis; etſi fortaſſis ſententia ejus favore proferatur; quandoquidem agitur de expenſis non neceſſariis, quoniam ob ſolam menſuram, ob æſtimationem rei, ob terminos cognoſcendos, ſolus peritorum interventus neceſſarius eſt, cum agatur de re extra Judicis peritiam; neque hic ſi adeſt, aut menſura, aut æſtimatio, aut terminorum recognitio melius ſe habebit.

XI. Tabulariis præcipue legibus noſtris commiſſum eſt inſpicere de arte, & diligentia fabrorum murariorum, ceterorumque, qui ædificiis conſtruendis neceſſarii ſunt; etenim eorum imperitia fraudeſque non leviter publico nocere, & quotidiana experientia docet, & exprimit *prag. 1. de magiſtr. art.*; & propterea jubet, neminem poſſe *fabricatoris* artem exercere, niſi antea examinatus ſit a Primario, Tabulariiſque, & ab uno ex Regiis Architectis, a quibus privilegium, ſive approbatio in ſcriptis petenda eſt; aliter imponitur pœna decem unciarum auri. Qui autem tale privilegium habet, poteſt, ut exprimitur in *prag.*, quodcumque opus faciendum conducere, eoque & quoſcumque operarios addere, dummodo ipſe teneatur de eorum *culpa, & defectibus*. In §. 3. jubet pragmatica, teneri unumquemque ex fabricatoribus adprobatis in id, quod intereſt, quoties fabricæ ſtructura male ſe habet: & præterea ſolvere Fiſco in pœnam decem uncias auri, quarum tertia pars cedit lucro accuſatoris: quod ſi accuſatus nihil habet in ære, triremibus addicendus eſt, uſque dum

ſuis

Digitized by Google

ſuis laboribus tantum pecuniæ conficiet, quantum ſatis erit pro damno reſarciendo. Æquiſſima ſane lex, & quam fortaſſis mirabuntur poſteri, utpote præſeferentem Laconum, aut Athenienſium ſpeciem quandam antiquæ ſeveritatis prudentiæque civilis. At majori afficientur illi admiratione, ſi noverint, & eam legem & alias ejuſdem generis peſſime perductas ad uſum, nec alibi majores fraudes admiſſas, quam in hac Urbe, Regnoque circa fabricarum ſtructuras. Creſcet autem eo magis admiratio, ſi noverint, duplici ex ratione id factum fuiſſe, primo, quia veluti contagione quadam privato ex lucro utplurimum publica tunc temporis corrumpebantur; deinde quia juris Interpretum ea communis erat ſententia, *leges ſeveras conditas cenſeri ad terrorem*; quaſi quod ſeveræ leges per uſum neglectæ, terrorem poſſint parere in animis hominum, & non potius occaſionem ridendi. Quæ ſequuntur in *ead. prag.* optime ſtatuta quoque ſunt: in §. 4. injungitur Primario, Tabulariiſque, ut quoties ſine cauſa deſiſtit fabricator ab opere jam incœpto, ei mandent, opus perficiendum, aliter interdicatur deinde quodcumque aliud opus. Hoc ideo ſtatutum fuit, quia ex fabrorum malitiis, veluti conjuratione quadam inita, nemo alius de eorum numero inveniri poterat ad opus perficiendum, quod ab uno fuerat incœptum. In §. *6.* & deinceps, modus præfinitur, qui ſervari debet a peritis tum circa menſuram, tum circa pretium, qualitatemque fabricæ, omniſque operæ ceterorum artificum pro ſtucturis ædificiorum.

C A P U T. VI.

De Pharmacopolis, & Aromatariis.

QUÆ in libris pragmaticarum extant leges ſub *tit. de pharmacopolis & aromatariis*, ſunt nominatim pro ſtatu utilitateque hujus civitatis; verum, ne pluribus in locis eadem repetenda ſint, explicabimus hic etiam quæ ad univerſum Regnum porriguntur. Quod idem a nobis factum eſt ſupra, ubi egimus de Magiſtris artium. In *prag. 1. de pharmacop.* agitur de viſitatione facienda ab eo, qui inter medicos primum locum tenet, quique creatur a Rege, diciturque Protomedicus. In legibus Romanis eodem ſenſu dicitur Archiater. Verum animadvertit doctiſ. Mercurialis *lib. 4. var. c. 1.*, Archiatros non eo ſenſu primum dictos, quod Principes medicorum eſſent, ſed qui erant Principis: hoc eſt Imperatoris medici. Non autem omnes Archiatri pro Aula erant, ſed tantum qui dicebantur Sacri Palatii, quique ſolebant Comitum dignitate honorari, vid. *tit. in Cod. de Comitibus & Archiatris Sacri Palatii*; nam erant & Archiatri populares hoc eſt qui populo Urbis Romæ, & Conſtantinopolis ſpecialiter erant addicti, quibus annonæ, ſive certæ mercedes tribuebantur, vid. *l.* 4. *&* 8. *C. T. de Medicis & Profeſſoribus*. Præcipua, quæ legibus noſtris & conſuetudine Protomedico cura demandata eſt: verſatur circa viſi-

Digitized by Google

viſitationem quotannis faciendam in officinis pharmacopolarum. Quod utique perquam neceſſarium fuit inſtitui ex quo ars medicamentorum conficiendorum, neſcio in utilitatem, an in detrimentum publicum, ſupra modum crevit; ſiquidem verendum eſt, ne ſive ob ignorantiam, ſive ob malitiam pro medicamine malum ægrotis præbeatur venenum. Antiquitus hac de re opus non fuit ſpeciales rogare leges, tum quia ſimplicia magis, quam compoſita medicamenta in uſu erant, tum quia eorum confectio peculiare artificium non erat, ſed ut plurimum comitabatur ipſam medicorum artem. Quod & adhuc noſtris temporibus fieri videmus ab iis, qui empirici, vulgo experimentales medici adpellantur. Sed poſteriori ætate, primum ex medicina inter Arabos recepta, deinde multo magis ex ea; quæ a chymicis adinventa fuit, mirum quantum vires accepit medicamentorum conficiendorum induſtria. Dum imperabat Fridericus II., pauci admodum erant, qui ſpecialiter medicamentis conficiendis dabant operam, utplurimum ſecundum Araborum medicinam; unde ſatis ſuperque fuit Imperatori eorum curæ providere in conſtit. *quia numquam tit. de medicis*, ubi cum primo loco ſic ſtatuiſſet de ipſis medicis: *Iſte medicus viſitabit ægrotos ſuos ad minus bis in die, & ad requiſitionem infirmi ſemel in nocte* (æquum eſt quod hic ſtatuitur, nam cum publica neceſſitas incumbat certis in caſibus habendi medicos; qui publicæ hanc artem profitentur, debent huic incommodo ſubeſſe; quod tamen male ſervatur, dum creditur vulgo, arbitrarium, non neceſſarium eſſe medicorum munus, & officium) *a quo non recipiat per diem, ſi pro eo non egrediatur civitatem, vel caſtrum, ultra dimidium tarenum auri. Ab infirmo autem, quem extra civitatem viſitat, non recipiet per diem ultra tres tarenos cum expenſis infirmi, vel ultra quatuor tarenos cum expenſis ſuis*. Deinde hæc addit: *Confectionarii vero facient confectionem expenſis ſuis cum teſtimonio medicorum; nec admittentur ad hoc, ut teneant confectiones, niſi præſtito juramento: omnes confectiones ſuas ſecundum prædictam formam facient ſine fraude*. Voluit denique Imperator & pretium medicamentorum definire; quod poſtmodum uſus immutavit, ob varii generis medicamenta noviter reperta, ſingulis ex conſilio peritorum certa æſtimatio data eſt, eaque publicis literis conſignata, vulgo adpellatur *tariffa*.

II. Ex verbis conſtitutionis infertur, munus Protomedici pro viſitatione pharmacopolarum nullum fuiſſe imperante Friderico; quod deinde receptum fuit majoris commodi, utilitatiſque gratia. Verum Protomedico adjunguntur octo peritiores ex pharmacopolis; qui antiquitus erant perpetui, poſtea ſtatutum in *cit. prag.* 1., ut ſingulis annis mutarentur ex liberis ſuffragiis pharmacopolarum hujus civitatis, vid. *prag*.5. *eod.*, ubi licet numerus octo redigatur ad quinque, tamen in notis habetur, antiquum inſtitutum ſervandum ex Regiis *inſtructionibus*. Hi octo erant olim exemti a generali ceterorum viſitatione; quod, utpote bono publico contrarium, abrogatur in cit. *prag.* 1. & 5. §. 5. Viſitatio non tantum in urbe fieri debet, ſed etiam in pagis, ab ea non longe poſitis, qui tanquam exiſtentes in territorio Neapolitano, communi jure utuntur: vulgus adpellat *caſalia & diſtrictum Neapolitanum*. At quoniam juſto aliquando detinetur Protomedicus impedi-

pedi-

pedimento, ideo in cit. *prag.*5. §.6. datur ei facultas vicarium, ſive *ſubſtitutum* eligendi, unumque ex octo deſignatis, eoſque mittendi ad viſitationem. Quod attinet ad pharmacopolas Regni, idem Fridericus II. hæc juſſit ſervari in conſtit. *in terra qualibet: In terra qualibet Regni noſtri duos viros circumſpectos, & fideles dignos volumus ordinari; & corporali per eos præſtito ſacramento teneri quorum nomina ad curiam noſtram mittentur, ſub quorum teſtificatione electuaria, & ſyrupi, ac aliæ medicinæ legaliter fiant, & ſic factæ vendantur &c.* Fortaſſis experientia docuit, male hac ratione cum publico actum eſſe, ſiquidem perſonæ electæ colludentes cum pharmacopolis, ſive pecunia, ſive gratia, probabant quæ fuiſſent rejicienda. Hinc viſitatio per Regnum auctoritate ejuſdem Protomedici inductum fuit ut fieret; idque per aliquot medicos ab eo deſignatos ut monet Tapia in not. *ad cit. conſtit. quia nunquam*. At æquus rerum æſtimator vix ætate noſtra invenietur, qui tuto adfirmabit, hanc novam methodum inquirendi in pharmacopolas commodiorem, utilioremque antiqua eſſe; cum omnia redacta videntur ad externam quandam formam inutilemque adparatum; præſertim poſtquam tale jus viſitandi inter conductiones publicanorum adnumeratum eſt: & propterea, modo certa pecuniæ quantitas his perſolvatur, qualiſcumque ſufficit inquiſitio; & ſcrutinium medicamentorum factum eſt theatralis quædam pompa ad faſtum, atque oſtentationem. Quod ſtatuitur in *prag.* 3. *cit. tit.*, nempe ut facta viſitatione in una officina, ab ejus domino alteri medicamenta non commodentur in fraudem, vix uſum habet. Ex *prag.* 2. injungitur iis, qui aromatarii dicuntur, ut viſitationi ſubſint ejuſdem Protomedici circa res ad medicinam pertinentes: præterea quædam obſervanda ab eiſdem præſcribit pragmatica in detentione, & venditione earum rerum, quæ veneni naturam, & vim in ſe habent; deſerviunt tamen tum confectione certorum medicamentorum, tum aliis neceſſitatibus.

III. Præ ceteris medicamentis, quæ in Regno producuntur, haud levis momenti eſt quod magna ex parte colligitur in Apulia Daunia ex quibuſdam arboribus inciſis, adpellamusque vulgo *manna*. Sed quoniam fraudes in collectione ſolebant olim intervenire, non ſine publico damno: ideo ſtatutum fuit in *prag.*1. *de manna colligenda*, ut non antea illa vendatur, quam auctoritate Magiſtratus deſignati, necnon Protomedici, a peritis inſpectum ſit, utrum ea genuina ſit, an ſecus. Solet ſingulis annis tale medicamentum, quod apud nos affatim colligitur, ad exteras quoque nationes tranſmitti per mercatores: hinc certum vectigal impoſitum eſt; pro cujus ſolutione, atque adminiſtratione varia decernuntur in *prag. cit. tit.*

CA-

CAPUT VII.

De immunitatibus, ſeu privilegiis civium Neapolitanorum. Et primo de ratione jus civitatis Neapolitanæ adquirendi.

IN volumine gratiarum, necnon in reliquis juris noſtri, varia extant privilegia generaliter conceſſa tum huic Civitati, tum Regno: ſed illa, & plura ſunt, & majoris momenti, idque duplici de cauſa; primo quia æquum viſum fuit Regibus noſtris ornare majoribus prærogativis caput, & metropolim univerſi Regni: deinde quod cura *gratiarum* petendarum cum jamdiu extitiſſet propria Neapolitanæ univerſitatis Adminiſtratorum, magis fuerunt illi ſolliciti in procurandis ſuæ patriæ peculiaribus privilegiis, quam generalibus etiam pro commodo Provinciarum. Hinc aliquod diſcrimen vertitur inter civem Neapolitanum, & Regnicolam; quemadmodum apud Romanos diverſo jure utebantur Cives, Latini, Italici, Provinciales. Sed hæc perſonarum diſtinctio, dum ſtetit libertas, & Reſpublica, ſtudioſe, diligenterque ſervata fuit: ſub Imperatoribus vero ſenſim defecit, ſiquidem apud illos nulla cenſebatur tam idonea ratio, ut magno diſcrimine ſubditorum alii ab aliis ſejungerentur. Antoninus quidem Caracalla (huic Imperatori Spanhemius tribuit *l. 17. D. de ſtat. homin.*, non Antonino Pio, ut eſt communis ſententia, vid. *Heinec. append. ad antiq. Rom. cap. 1. n. 16.*) viceſimam hereditatis ab Auguſto ſtatutam pro locupletando Ærario, auxit ad decimam; & ut a quamplurimis penderetur, omnibus, qui in Orbe Romano erant, civitatem dedit. Sed quoniam a malo Principe leges raro ſolent condi, niſi ejus aliquod commodum contineant; ideo prudenter advertit Dio in *excerpt. Valeſ.*, ſpecie quidem honorem ſubditis tributum, ſed revera ut augeretur Fiſcus; quippe cum peregrini utplurimum illud vectigal non penderent. Qui ſequuti ſunt Imperatores ſuſtulerunt tale onus, remanſit tamen jus civitatis Orbi Romano ſemel datum. Verum non ideo ſequentibus temporibus peculiaria quædam privilegia Principes non dederunt uni potius, quam alteri ex civitatibus Imperii, nominatim Romæ, Conſtantinopoli, Alexandriæ &c. Quod ipſum & in Regno noſtro cernere licet, nam omnes ſubditi æquo jure cenſentur ſub ejuſdem Principis dominio; & propterea leges, quæ feruntur, generales ſolent eſſe pro univerſo Regno. Excipiuntur tamen ſive quæ ſpecialem rationem habent pro hac civitate; ſive quæ privilegium aliquod continent; quemadmodum, & non deſunt aliæ civitates in Provinciis, quæ & ſua habent a Regibus conceſſa privilegia. Dum privilegii verbo hic utimur, intelligitur immunitas, ſive exemtio tum ab oneribus, muneribuſque; tum a legibus generalibus. Utriuſque ſpeciei habemus exempla in jure noſtro. At in Romano utplurimum immunitas ab onere, & munere publico accipitur, ut in *tit. Pandect. de jure immunitatis*; eaque & pri-

Digitized by Google

& privilegium, & beneficium adpellatur, ut in *l. 26. C. T. de annon. & tribut.*, in quo legitur notabile Honorii reſcriptum per Gallicanas provincias, ubi infirmiores tunc ſolebant a potentioribus gravari circa ſolutiones tributorum; nam juſſit Imperator, ut *omni amoto privilegio beneficiorum*, hoc eſt immunitatum, quas ſibi potentes aſſerebant, poſſeſſores univerſi tributis adſtringerentur; & addit hæc verba: *Nullum gratia relevet: nullum iniquæ partitionis vexet incommodum, ſed pari omnes ſorte teneantur*. Eleganter hic dicitur *iniqua partitio*, quæ utplurimum ſolet eſſe inter infirmiores, & potentes; nam hi gratia, & pecunia facile ſe ab oneribus communibus aut in totum, aut pro parte eximunt. Hæc non inutiliter a me dicta volo, ut quorundam Doctorum error redarguatur, aſſerentium, nonnulla publica onera ſpectare non debere ad eos, qui nobiliter vivunt; quaſi quod homines otioſi, & divites, quales utplurimum ſolent eſſe nobiles debeant eximi ab iiſdem tributis, quibus tenentur plebeji, genus hominum quotidianis ferme laboribus victum ſibi procurans. Sed hac de re fuſius infra.

II. Primum omnium hic videndum, quinam proprie intelligantur cives Neapolitani. Et qui in civitate naſcuntur, & qui inde originem habent, extra omnem dubitationem eſt, eos cives eſſe: origo intelligitur reſpectu patris, & nam ex patre Neapolitano natus, Neapolitanus eſt civis. Verum licet pater adquirere poſſit civitatem ratione domicilii, ea tamen ad filium non extenditur; idque Ulpianus ſic exprimit in *l. aſſumtio 6. §. filius D. ad municip.*: *Filius civitatem, ex qua pater ejus naturalem originem ducit, non domicilium ſequitur*. Domicilium autem, ſive incolatus facit civem, ſed tunc, cum quis in aliquem locum ſeſe transfert cum omnibus bonis ſuis, ibi continuo permanſurus; ſive, ut ait *l. 7. C. de incol. lib.* 10., ubi larem, rerumque, & fortunarum ſuarum ſummam conſtituit, unde rurſus non ſit diſceſſurus. Hinc ſequitur, ratione incolatus nunquam jus civitatis adquiri, quoties alicujus negotii cauſa quis alicubi commoratur; & nec etiam ſtudiorum, *l. 2. C. cit. tit.*: Imo licet Imp. Valentinianus in *l. 1. C. T. de ſtud. liberal. urb. Rom.* plura dediſſet privilegia ſtudiorum cauſa commeantibus; tamen nominatim voluit, ne diutius ibi commorando propriæ fraudem facerent patriæ oneribus; niſi Corporatorum numero adſcripti eſſent. Corporati, de quibus eſt *tit. 15. lib. 11. Cod.*, intelligebantur adſcripti certo corpori, ſive collegio ad miniſteria neceſſitatibus Urbis conſulentia, ut ait *novel. 26. Valent.* Verum quoniam *cit. conſtit.* Valentiniani in Codicem Juſtiniani translata non fuit, ideo reſcriptum, ſive epiſtola Imperatoris Adriani, cujus fit mentio in *d. l. 2.*, habet locum, qua definitur, poſt decennium adquiri jus domicilii, ſive incolatus, etiam ab iis, qui ſtudiorum cauſa alicubi morantur; nam præſumitur, poſt ejuſmodi temporis ſpatium animus perpetuo ibi permanendi. Hæc autem omnia ad jus Romanum referuntur; etenim leges Regni aliter ſeſe habent. Qui Reges noſtri Ferdinandum primum Aragonenſem præceſſerunt, jus civitatis Neapolitanæ ipſi tantum concedebant; nec unquam illud adquirebatur ex longiſſimi temporis domicilio, aliiſve modis, unde præſume-

re-

retur voluntas perpetuo permanendi; niſi expreſſus adeſſet Principis conſenſus in ſcripturam redactus, vulgo nunc dicimus *privilegium expeditum*. At Ferdinandus, quod ſolebat antea pro beneficio impetrari, transferre voluit in jus ordinarium; hoc tamen modo, ut habetur in *prag.* 1. *de immunit. Neapolit.*: *Omnes cujuſcumque etiam exteræ nationis, Neapolim venientes ad habitandum, ſi uxorem Neapolitanam duxerint, ibique domum emerint, aut ædificaverint*, adquirunt jus civitatis, iiſdemque privilegiis, atque immunitatibus fruuntur, ac ii, qui ex nativitate tales ſunt.

III. Ex his, quæ modo diximus, manifeſtum eſt, quodnam ſit inter conſtitutionem Ferdinandi, & Romanas leges diſcrimen; nam ſolum domicilium, licet diuturnitate temporis firmatum, non tribuit ex ea conſtitutione jus civitatis, niſi & uxor ducatur Neapolitana, & domus ematur: quæ duo manifeſtiſſima cenſentur ſigna voluntatis Neapoli permanendi. Neſcio autem quid ſibi voluit Rovitus, dum in *com. ad d. prag.* 1. ſic ſcribit: *Et eo ipſo, quod quis in aliquo loco habet domum propriam, & ducit uxorem, ex diſpoſitione juris communis efficitur vere civis, circumſcripta hac pragmatica l. aſſumtio §. filius D. ad municipal. l. libertus §. patris eod. tit. Grammaticus &c. adeo quod hæc pragmatica non eſt novi juris inductiva, ſed confirmat jus commune*. Quas hic Rovitus allegat leges, aut omnino non vidit, aut, quod deterius eſt, non percepit. Sed non mirum, quia hic eſt mos jamdiu inter Pragmaticos receptus, ut dummodo ſcriptoris alicujus inveniatur auctoritas, ſtatim tranſcribitur, & allegatur, ratione nulla habita, utrum ille verum ſcripſerit & ſecundum juris principia, an ſecus. Et hoc in foro adpellatur *doctrinas invenire*; quibus & juriſprudentia forenſis conſtat, & negotia ſolent forenſia tractari. Quod ait hic Rovitus ex Grammatico, eſt in *dec.* 103. *n.* 111. at minor videtur Grammatici negligentia, qui aliud agebat in ea *deciſ.*, quam Roviti, cujus inſtitutum erat pragmaticam explicare, & diligenter inquirere, an eſſet Romano juri conſona. Verba *l. aſſumtio §. filius* ſupra a nobis relata, ſunt aliena. Quod habetur in *l. libertus §. patris*, non minus eſt alienum; nam ibi Papinianus confirmans quod ex *d. §. filius* jam diximus, nempe filium, ſequi civitatem, ex qua pater ejus originem ducit, non domicilium; addit, hoc ita verum eſſe, quando filius alibi domicilium habet; nam permittitur filiofam. ubicumque voluerit, etiam extra patris domum, ſibi domicilium eligere *l.* 3. & 4. *eod. tit.* Denique Juriſconſultus rationem proponit his verbis: *cum in patris quoque perſona domicilii ratio temporaria ſit*; hoc eſt, ut explicat Cujacius, filius non eſt certus de incolatu patris; & propterea non ſequitur incertam, & temporariam ſedem patris; ſed eam, quam ipſe ſibi delegerit. Quid hoc ad pragmaticam Regis Ferdinandi? ubinam in reſponſo ſive Ulpiani, ſive Papiniani mentio fit uxoris ducendæ, domus emendæ ad adquirendum jus incolatus? Quod autem ait idem Rovitus de domo, quam quis accepit in emphytheuſim, licet ſit contra verba *pragmaticæ*, ubi nominatim dicit *domum emerint, ſive ædificaverint*; tamen ſententiæ convenit; ſiquidem præſumitur quoque animus perma-

Digitized by Google

nendi, dum Neapoli uxorem quis ducit, & eodem tempore emphytheuſeos jure domum adquirit. Et eadem ratio efficit, ut & domus dotalis tribuat jus domicilii: etenim dum maritus in ea habitat cum uxore Neapolitana, ſatis ſuperque oſtendit animum permanendi; quemadmodum, & domus emta ex lege commiſſoria, ſive ut vulgo dicitur, *cum pacto de retrovendendo*; idque deciſum in Regia Camera notat Moles in *deciſ. R. C.* § 8. *q.* 4. Sed male occaſionem deciſioni dedit *l. ſciendum* §. *ſi fundus D. qui ſatiſd. cogant.*, ut refert idem auctor. Nam ea ad rem nihil facit: pragmatica enim non ſolam poſſeſſionem requirit, ut eſt ſpecies *d. l.*, ſed dominium; nec refert quod maritus revera dominus non ſit, nam dominium requirit pragmatica ad præſumtionem inducendam perpetui domicilii, quæ utique etiam adeſt, ubi quis permanet in domo dotali. Quoniam lex Ferdinandi pro hac civitate tantum eſt, ideo ad provincias Regni non pertinet, in quibus ſervatur jus Romanum, nempe ut ex domicilio per decennium adquiratur civitas, ut ſupra diximus. Imo ex ritu R. C., cujus meminit idem Moles, *d.* §. 8. *q.* 1. *n.* 21. *mercatores exteri eo ipſo, quod habitaverint, ſaltem per triennium, & præſtiterunt cautionem de continuando habitationem, tractantur ut cives*. Ratio hujus ritus videtur eſſe favor mercaturæ, ſcilicet, ut alliciantur mercatores jure civitatis; quoniam eorum incolatus publicum commodum ſive populi, ſive fiſci augeat.

IV. Jure quidem Romano civitas non amittitur, etiamſi quis in alium locum transferat domicilium. vid *l. Senatores* 11. *D. de Senatoribus*: imo nec etiam expreſſa voluntate *l. ult. C. de municipib. & orig. lib.* 10. Et propterea duplici in loco cenſetur quis civis, & ubi natus eſt, & ubi habitat. Sed civitas, quæ adquiritur ex incolatu, tamdiu durat, quamdiu manet quis in loco domicilii; nam ſi alio ſe transferat ad habitandum, illa amittitur. Nec ratio hujus diverſi juris obſcura eſt, ſiquidem civitas originis eſt a natura, quæ facto noſtro mutari non poteſt: quo pertinent verba *l.* 4. *C. cit. tit.*: *origine propria neminem poſſe voluntate ſua eximi manifeſtum eſt.* At civitas incolatus conſiſtit in facto, quod utique mutatur, mutato domicilio, quemadmodum & adoptione; idque his verbis nos docet Cujacius *in not. ad l.* 4. *Jus incolatus mutatur, mutato domicilio jus originis non mutatur, quia naturale eſt; nec igitur translatione domicilii mutatur, nec adoptione; proinde is, qui adoptatur, duarum civitatum eſt municeps, in patria ſua jure naturali, in patria adoptatoris jure civili. Naturalis patria non amittitur, civilis amittitur ſola adoptione.* Hoc autem diſcrimen quoniam & leve non erat, ideo & in antiquis inſcriptionibus aliquando notabatur, prout a Gothofredo in *l.* 12. *C. T. de Decur.* referuntur exempla. Neque civitas originis, mutato domicilio, retinebatur tantum nomine, ſed re, & effectu, ſcilicet quoad onera; & proinde honores, & privilegia, nam *ſecundum naturam eſt*, ait Paulus in *l.* 10. *D. de reg. jur.*, *commoda cujuſque rei eum ſequi, quem ſequuntur incommoda.* Imperator quidem Antoninus primum ea de re cavit reſcripto in *l.* 1. *C. cit. tit. de municip.* nam cum in Syria-Phenicia quidam originem Biblius (Biblus eſt urbs ejus provinciæ) domicilium

lium tranſtuliſſet Berytum, ſic ei reſcripſit Imperator: *Cum te Biblium origine, incolam autem apud Berytios eſſe proponis: merito apud utraſque civitates muneribus fungi compelleris:* Idem jus confirmavit deinde Conſtantinus Magnus in *l. ult. cit. tit. de municipib.*, ubi & duo notabilia proponit Imperator: primo, nec reſcripta Principis in contrarium valere, ut ceteroquin omnia adverſus publicam utilitatem: ſecundo, legem ſervandam, ſive ex majore civitate quis ad minorem confugerit, prout a quibuſdam fieri ſolebat minoris ſumtus gratia; ſive ex minori ad majorem, quod majoris honoris captandi gratia quibuſdam aliis placebat.

V. Hæc clariſſima Romani juris principia ſi magis conſideraſſent Doctores noſtri; quam vanas antiquorum Interpretum diſtinctiones, argumentationeſque, occaſio nulla fuiſſet, cur tantopere diſceptaretur ætate Matthæi de Afflictis, qui *deciſ.* 374. refert, in Sacro Conſilio quæſtionem agitatam: *utrum adhoc, ut quis dicatur civis civitatis Neapolis, & gaudere debeat privilegiis, & immunitatibus ejus civitatis, ſufficiat ibi eſſe natum, licet habeat domicilium extra civitatem: an requiratur, ut etiam habeat domicilium in illa civitate, in qua eſt natus.* Et uſque adeo in utramque partem propoſita, & diſcuſſa fuerunt argumenta, ut demum idem auctor ſic concludat: *Super dicto dubio Domini de Conſilio diviſi fuerunt per medium, quia alii dicebant ut ſupra, alii vero dicebant &c.* Nec quidquam deciſum, definitumque fuit. Imo nec poſtmodum eadem de re defuerunt contentiones in Regia Camera, ubi de privilegiis Neapolitanorum extra civitatem degentibus ſolet tractari; ut videre eſt apud eundem Moles *cit. q. 1. n. 7.*, qui tamen ait, in eo Tribunali, tanquam jus certum haberi, nunquam amitti civitatem adquiſitam ratione originis. At omnis pene dubitatio ſublata videtur ex *prag. 4. de immunit. Neapolit.*, ubi mandatur, eos, qui noviter adquirunt jus civitatis, ſtatim illud amittere, ex quo alibi domicilium ſtatuunt. Hæc conſtitutio ſupervacanea eſt, quoniam id Romanis legibus jam fuerat cautum; & ſupervacanea quoque declaratio poſtmodum facta, cujus meminit idem Moles, nempe pragmaticam non procedere in oriundis, ſed reſpectu aliorum, qui ſunt cives per incolatum, vel per allectionem; etenim, præterquamquod verbis ipſius pragmaticæ id continetur, eſt ſecundum jus Romanum, quo diximus, naturalem civitatem nunquam amitti, aliunde adquiſitam amitti per non uſum, hoc eſt quando quis alium ſibi eligit incolatum. Hæc præbent exemplum pluſquam manifeſtum de eo, quod non ſemel monuimus, ignorantiam, & neglectum Romani juris innumeras quæſtiones in foro peperiſſe, & novis legibus juriſprudentiam oneraſſe. Et quoniam ſemper jactantur Forenſes novis dubiis, noviſque ambiguitatibus, nec certum jus apud eos conſiſtit de eo, quod alias judicatum, ſtatutumque fuit, vid. notata a Rovito in *d. prag.* 4.

VI. Sed hic non dum finis quæſtionum; etenim contentio fuit non levis inter Doctores de iis, qui Ordini Nobilium hujus civitatis ſunt adſcripti, & vulgo dicuntur *Nobiles de Sedilibus*; nam quibuſdam placuit, generaliter ſtatuere, ejus generis nobiles jura civitatis retinere, etiamſi degant in locis provinciarum; imo & in locis extra Regnum. Non deſunt tamen qui contrarium magno conatu

tu

tu adſtruunt, vid. *Rovitum conſil.* 83. *Marcian. diſput.* 43. *Galeot. reſp. fiſc.* 9. Sed hi omnes, aut vanis argumentationibus utuntur, aut Romanas leges in tranſverſum perducunt, unuſquiſque ſtudio partium pro juribus nobilitatis Neapolitanæ ſive tuendis, ſive impugnandis. At ſi volumus ad regulas ſolidæ juriſprudentiæ hanc quæſtionem redigere, ſuperior diſtinctio adhibenda eſt, inter civitatem adquiſitam ex nativitate, vel ex incolatu, aut allectione; nam primi generis non amittitur, mutato domicilio, quod ſecus ſe habet in aliis; etenim adſcriptio inter nobiles majus transferre poteſt jus ratione ordinis, ſcilicet ut adſcriptus adquirat privilegia nobilitatis; non autem ratione civitatis, quæ iiſdem modis adquiritur, & retinetur, ſive nobilis ſit quis, ſive ignobilis. Nec idonea reddi poteſt ratio, cur nobilitas adquiſita e. g. a cive campano, & ad poſteros translata, non debeat prodeſſe, dum nec natus eſt Capuæ, nec ibi domicilium habet: contra debeat adquiſita in collegiis, ſive Sedilibus hujus Civitatis. Confundunt hic DD. jus nobilitatis cum jure civitatis: jus nobilitatis tribui poteſt etiam exteris, alibi degentibus: at jus civitatis non datu, niſi iis, qui naſcuntur in civitate; qui autem illud jus adquirunt ex incolatu, aut allectione, retinent uſquedum in civitate domicilium habent; quod ſi alio trasferunt, ſtatim civitatem amittunt, ut diximus ex *prag.* 4., quæ, cum generalis ſit, etiam nobiles comprehendit; ſiquidem Nobiles Sedilium, dum ſuo Ordini aliquem adſcribunt, non poſſunt eum eximere a legibus generalibus. Quin ipſimet in more habent, ut quoties exterum aliquem jure civitatis donant, in privilegio addant hanc clauſulam, ut in *cit. prag.* 1. *n.* 7., refert Rovitus: ***dummodo venerint ad habitandum cum familia in hac civitate.*** Et recte, ſiquidem habent illi facultatem concedendi jus civitatis, ſed non legis abrogandæ, quæ civitatem adimit, quoties allectus alibi habitat. At quænam eſt ratio, cur iidem nobiles, jus nobilitatis tribuendo, poſſint legem abrogare, quæ jubet, non habere jus civitatis eos, qui alibi orti, in civitate non commorantur? Quamvis autem hæc ita ſe habeant; tamen contrariam ſententiam uſus judicandi probavit; fortaſſis, quo pluribus prærogativis nobiles Neapolitani decorarentur, quoniam & majorum imaginibus, & ſummis opibus inter ceteros totius Regni eminent. Hunc uſum judicandi probant exemplum relatum a Blaſio Altimari *obſerv. ad cit. conſil.* 83. *Rovit.* his verbis: ***Quamvis non conſtaret, D. Aurelium Sanſeverinam fuiſſe natam Neapoli, & ſic non poſſet gaudere privilegio Neapolitanis conceſſo pro aſſenſu ſuper dotibus; tamen quia ipſa erat de ſedili Nidi, fuit judicatum in ejus favorem &c.***

VII. Illud autem ferendum utique non eſt, quod pragmaticorum nonnulli, licet & ratio deficiat, & auctoritas, generaliter aſſerant, omnes Barones Regni cives Neapolitanos eſſe. Etenim quid commune habet, feudum poſſidere, & inter cives Neapolitanos numerari? Hinc adfirmaverim libenter, aliud cogitaſſe, dum commentaria ad pragmaticas de Baronibus conſarcinando Capiblancus *in prag.* 12. *n.* 1. hæc notavit: ***Et eſt ſingulare, quod Baro omnibus ſuis terris dicatur civis; nam de jure in loco originis, & domicilii quis civis effici poteſt . . . . . quamquam proprie Barones cives***

ves dicantur Neapolitani, *ac ibi aſſerant teneri ad decimas Doctores*, *cap. Regni* 93. Doctores equidem iſti ſuis ſomniis auctoritatem quærendo, facile inveniunt auctoritates legum, ſed quæ ad propoſitum omnino non faciunt, ut eſt *cit. cap.* 93., quod tantum loquitur de obligatione Baronibus impoſita circa ſolationem decimarum. Hinc axiomata proficiſcuntur, quæ paſſim pro jure uſurpantur; prout videre eſt apud *Auct. juriſpr. forenſ.*, qui, præpropere tranſcribendo modo hujus, modo illius auctoris verba, ut brevi temporis ſpatio ingentia vulgaret volumina, tanquam certiſſimum jus proponeret, *tom.* 4. *cap.* 6. *n.* 8. ſcribit: *Et Neapolitanus dicitur Baro poſſidens feuda in Regno*, *Capiblancus &c. Et quod Baro ſit vere*, *& proprie civis*, *non per allectionem*, *ſed intrinſece*, *& neceſſarie*, *& habeat omnia privilegia civium*, *dicemus in tract. de feud. &c.* Hic equidem deliciæ juriſprudentiæ forenſis cernuntur. Et ſane quænam eſt *intriſeca neceſſitas*, ut qui in Hiſpaniis, Gallis, aut ſi mavis longius procedere, in America degens, feudum poſſidens in una ex provinciis hujus Regni, dici debeat, e. g. Brutius, aut Lucanus. Hæc intriſeca neceſſitas non aliunde procedit, quam ex prava ratiocinandi methodo pragmaticorum; etenim dominium utile, quod transfertur in Baronem ob adquiſitionem feudi, nihil commune habet cum jure civitatis; quemadmodum nec ipſum dominium directum; nam qui dominus eſt civitatis alicujus, aut provinciæ, aut Regni, longe majus jus habet ratione ſummi imperii. Procedit multo magis ex interpretatione legum perverſa, ut cernere licet in his verbis Roviti *in prag.* 12. *de Baronib. n.* 3. *Et quod in caſu noſtro Baro efficiatur primus civis ex diſpoſitione juris*, *patet ex textu in l. cives C. de incolis lib.* 10., *ubi connumerantur ii*, *qui ſunt allecti*, *hoc eſt electi ad dignitatem*, *prout interpretati ſunt Gloſ. Bart. &c.*, *qui propterea dixerunt per illum textum*, *quod Præſes*, *ſive Capitaneus alicujus loci*, *efficiatur vere civis illius loci*. *Ex quibus præcitati Doctores Regnicolæ voluerunt quod multo fortius idem ſit dicendum in Barone*, *qui habet dominium* (rectius juriſdictionem) *in proprietate*, *& non exercitium officii temporalis tantum*. Quem hic allegat Rovitus textum, male interpretati ſunt antiqui Doctores; nam ibi diſcrimen ſtatuitur inter cives, & incolas: incolæ enim ex ſolo domicilio jus civitatis adquirunt; at cives fieri poſſunt origine, hoc eſt nativitate, manumiſſione, e.g. ſervus manumiſſus a Neapolitano, Neapolitanus eſt; allectione, ut ſi quis in civitatem aliquam receptus ſit, ut ait Cujacius; adoptione, nam adoptatus tranſeundo in familiam patris adoptantis, adquirit etiam civitatem illius. Idem Cujacius notat, quoſdam Codices habere *allectio*: *ideſt adoptio*. At antiqui Doctores manifeſto errore, allectionem explicant electionem ad aliquam dignitatem; quæ non tribuit jus civitatis: & incognitum eſt in legibus Romanis, Magiſtratus temporales in locis ſuæ juriſdictionis civitatem adquirere. Excipiebantur tantum Senatores ex *l.* 8. *C. cit. tit.*, *qui* ut ait idem Cujacius, *in antiqua*, *& Conſtantinopolitana Roma domicilium habent ratione dignitatis Senatoriæ*; *quod eo pertinet*, *ut intelligamus*, *eos in Urbe conveniri poſſe*, *quod indicat l.* 2.

D. ubi

Digitized by Google

D. ubi Senator. vel clariſ. &c. Ex hoc errore innumeræ quæſtiones cum damno publico ; nam & agitatæ fuere , & agitantur quotidie diſceptationes in foro circa jus Baronum , utpote qui cenſentur primi cives in ſuis feudis . Quod autem attinet ad axioma propoſitum , Barones cenſeri cives Neapolitanos , præter ea , quæ annotavimus , oſtendit manifeſte illud erroneum eſſe *prag.* 22. *de Baronib.* , nam cum Neapolitanis conceſſum fuiſſet privilegium ex *prag. ult. de immunit. Neapolit.* , ut non poſſent , niſi prævia diſpenſatione , torqueri ex *proceſſu informativo* ; petitum fuit, ut illud ipſum ampliaretur ad Barones ; quod & ſtatutum fuit in *d. prag.* 22 Hoc utique fuiſſet ſupervacaneum , ſi Barones pro civibus Neapolitanis haberentur . Sed amplius in his erroribus immorari me piget . Ad privilegia Neapolitanorum exponenda veniamus .

C A P U T - VIII.

Quænam ſint Neapolitanorum privilegia.

Ex antiquis Neapolitanorum privilegiis circa publicorum vectigalium ſolutiones, quædam ſive uſus, ſive novæ leges , paulatim abrogarunt , alibi diximus : & nominatim poſtquam vectigalium quorundam redditus translati fuerunt in privatos cives ; & propterea , ut aliquo modo publicis neceſſariiſque impenſis occurreretur , ipſorum Neapolitanorum petitionibus effectum eſt , ut ejus generis immunitates abrogarentur , vid. *prag.* 21. §. 11. *de vectigal.* Quædam tamen levioris momenti remanſerunt, ut exemtio a vectigali, quod ſolvitur *de omni frumento , ordeo , leguminibus , & aliis victualibus* , ut loquitur Moles in *deciſ. R. C.* §. 12. , *quæ intrant in hanc civitatem* ; *& dicta eſt gabella delle sbarre* ; *quia poſitæ erant olim trabes in medio plateæ* in locis quibuſdam deſignatis ; de quibus eſt aditus in urbem . Idem Moles in *quæſt. ſeq.* , de Neapolitanis ſic ait : *Quæſtiones , quæ in iſta gabella oriri ſolent in Camera ſunt reſpectu immunitatis Neapolitanorum , cum quibus alias me referente an.* 1567. , *fuit proviſum , quod pro uſu Neapolitani ſint immunes indiſtincte , & in quocumque loco veniant , ſint nata , vel emta victualia. De hoc non vocatur in dubium , quia notorium eſt privilegium Neapolitanorum pro uſu , ut in capitulo civitatis Neapolis Regis Catholici ſub die* 5. *Octobris* 1505. *c.* 27. Mirum autem eſt , cur cit. Auctor ad firmandam definitionem Regiæ Cameræ , provocat ad capitulum Regis Catholicinam potius dicere debuiſſet , ſuperiorem exemtionem uſu, & conſuetudine , introductam : ſiquidem Regia Camera , ſi voluiſſet ea ætate exemtiones Neapolitanorum decernere ex *cit. capitulo* , non debuiſſet ea reſtringere ad illam ſpeciem tantum , quæ levior eſt ; cum capitulum loquatur generaliter de omni re emta in *dohana* , vel extra , ſive unitim ſive in partes , tam pro uſu proprio , quam familiarum . Sequitur idem Moles : *Pro caſu commercii diſtin-*

diſtinguitur, ut ſi frumentum, ordeum, & ſimilia nata ſunt in territorio Neapolitano, quia territorium Neapolitanum eſt immune, ſunt immunes merces; ſolvit tamen Neapolitanus corraturam quatuor denariorum pro ſalma, quando id conduxit cum beſtia aliena, ſecus cum ſua, per text. in l. cum in plures 62. §. vehiculum D. locat. . . . Si frumentum factum eſt extra territorium Neapolitanum, tunc ſi emtum illud frumentum, & exportatur cauſa commercii, ſolvitur medietas gabellæ; quod etiam fuit ampliatum per Cameram, ut procedat etiamſi pervenires ex affictu terrarum extra territorium, quia totum eſt induſtria & commercium, vid. Bartolum conſil. 226. in fin. lib. 1. in his Regiæ Cameræ definitionibus magis Bartoli, quam legum prævaluit auctoritas; nam in *cit. cap.* immunitas conceditur pro rebus *ad uſum proprium, & familiæ*: quod utique excludit commercium, negociationemque. Neque ibi quidquam dicitur de immunitate territorii Neapolitani; nam immunitas perſonalis ſtatuitur, hoc eſt quæ datur perſonæ de quacumque re emta in *dohana*. At in ſuperioribus deciſionibus contraria ſtatuuntur; nam ſi immunitas eſt pro territorio Neapolitano, quid hoc ad res extra territorium? Sin autem eſt pro perſonis Neapolitanorum, cur ſolvi debet medietas *gabellæ*? Quæ deinceps proponit Moles, omnia nituntur opinionibus, non legibus. Eſt & aliud privilegium Neapolitanorum, de quo ſic ſcribit idem Moles §. 9.: *Iſta gabella eſt antiquiſſima, nempe jus dohanæ pro animalibus equinis, quæ venduntur in civitate, & ejus diſtrictu; pro quibus equis non ſolvitur jus fundici, quia nunquam conſuetum fuit, ut dicit Andreas in conſtit. magiſtros; ſed bene exigitur jus dohanæ. Et ideo eſt, quod hæc gabella non exigitur a civibus, quia cives in patria ſua non ſolvunt jus dohanæ.* Ex his poſtremis verbis infertur, privilegium hoc ſpeciale non Neapolitanorum, ſed magis ordinarium jus, ſiquidem idem obtineret erga quoſcumque alios, quoties emeret quis equum in propria patria, ubi tale vectigal eſſet in uſu.

II. Diximus ſuperiori *capite*, cives Neapolitanos origine, ideſt nativitate, jus civitatis retinere, etiamſi alibi degant; ac proinde habent illi ſua privilegia, quoties domicilium conſtituunt in aliquo loco ex provinciis Regni; idque ſic exprimit idem Moles §. 7. *q.* 9. *circa fin.*: *Et ex hoc eſt, quod Neapolitanis parum proficit hoc privilegium duodecim liberorum, quia in Regno etiam circa privilegium ipſi tanquam Neapolitani ſunt immunes &c.* Non inutilis autem hic eſt inquiſitio de immunitate ob numerum liberorum, quæ apud nos novum induxit, licet legibus Regni incognitum, & tantum opinionibus Doctorum, & mala Romanarum legum interpretatione ſubnixum. Extat hac de re diſputatio apud eundem Moles in §. 7. *q.* 1., ubi proponuntur quæ diſcuſſa fuerunt ea de re in Regia Camera; ſed omnia ex ſententia Accurſii, aliorumque Bartoli, Baldi. Ab eruditis Interpretibus non uno in loco explicatum eſt, quodnam jus, ſive mavis privilegium ex antiquis Romanis legibus numerus liberorum tribuerit parentibus: illud tamen pertinebat ad exemtiones ab oneribus publicis perſonalibus, ut tutela, *l.* 2. *D. de excuſat. tut.*: a realibus nunquam *l.* 2. *§ numerus, l. ſunt munera* 11. *D. de vacat. muner. l. reſcripto* 6. §. *quæ munera D. de muner. & honor.*, ubi ſic ſcri-

Digitized by Google

ſcribit Ulpianus: *Quæ munera patrimoniis injunguntur, vel intributiones* (hoc eſt contributiones, collationes, quæ in poſſeſſionibus fiunt, ait *l.* 4. *D. de veteran.*, ſcilicet quæ imponebantur ratione prædiorum), *talia ſunt ut neque ætas ea excuſat, nec numerus liberorum, nec alia prærogativa, quæ ſolet a perſonalibus muneribus excuſare*. Eadem ferme repetuntur, & confirmantur legibus Imperialibus, vid. *l.* 5. *C. de munerib. lib.* 10. *l.* 1. *C. de iis qui numer. liber. eod.*: Verum nec ab omnibus perſonalibus oneribus vacationem tribuebat numerus liberorum, ſed tantum ab iis, quæ operam, diligentiamque quotidianam requirebant, prout eſt tutela, vel cura: raro autem ab iis, quæ ſolebant imponi ratione publicæ adminiſtrationis, niſi ex cauſa, ſcilicet conſiderata prius qualitate oneris injuncti, & numero liberorum. Hoc manifeſte probant verba *l.* 5. §. *demonſtratur D. de jure immunit.*: *Demonſtratur varie, nec abſciſſe, numerum liberorum ad excuſationem municipalium munerum prodeſſe ex reſcriptis Divi Ælii Pertinacis; namque Salvio Candido in hæc verba reſcripſit* . . . . *Etſi non ab omnibus muneribus dimittit patrem natorum numerus; tamen quia ſedecim pueros habere te per libellum notificaſti, non eſt irrationabile, ut concedamus filiorum educationi, remitti tibi munera*. Non diſſimile quid ſtatutum fuit in muneribus Curialibus, nam cum varia eſſent Curiarum in Municipiis onera, nonnulli ea detrectabant, & propterea præmiis alliciebantur; unde filiorum legitimatio per oblationem Curiæ. Ipſimet Decuriones, otio & quiete allecti, non ſemel excuſationes proponebant, quæ auctoritate Principis, prout æquius videbatur, modo probari, modo rejici ſolebant. Inter eas autem juſta, & legitima videbatur cauſa quoties extraordinario numero liberorum pater gravabatur; ſiquidem familiaris cura ſatis eum avertebat a quocumque alio munere; idque viſum fuit Juliano generali conſtitutione ſic definire in *l. qui pater* 55. *C. T. de Decurionib.*: *Qui pater ſit tredecim liberorum, non modo ad Curiam non vocetur; verum etiam ſi ſit Decurio, honeſtiſſima quiete donetur*. Eadem conſtitutio refertur in *Cod. Juſtin. l. ſi quis Decurio* 24. *de Decurionib lib.* 10., ſed interpolata, & in vulgatis legitur *duodecim*: verum ex errore librariorum; nam in Codicibus manuſcriptis, ut notat Cujacius, habetur XIII. In eo tamen vir doctiſſimus reprehenditur a Gothofredo, quod reponendum cenſeat XVI. *arg. ex d. l.* 5., nam hoc mere divinatorium eſt; & ſpecies ſunt longe diverſæ: quod enim ſtatuitur in *l.* 5. pertinet ad quoſcumque municipales; at Juliani Edictum ad ſolos Decuriones. Non poſſum autem Gothofredo aſſentiri, dum myſterium Pythagoricum cenſet adeſſe in numero tertiodecimo; nam videtur abſurdiſſimum, ejus generis vanitates occaſionem dediſſe Imperiali Edicto. Dicendum igitur potius videtur, ex facto, unde occaſio fuit legi, tredecim fuiſſe liberos, qui munerus cum extraordinarius videretur Imperatori, ac proinde opportunus ad excuſationem tribuendam, effecit, ut deinceps generaliter haberetur pro omnibus cauſis ejuſmodi. Quod utique manifeſtius apparet ex reſcripto Imperatoris Pertinacis, modo relato. Quæ omnia ſi advertiſſent Doctores noſtri, malas interpretationes non affinxiſſent Romanis legibus, ut videre

eſt

eſt apud Moles *loco cit.*, qui deciſionem Regiæ Cameræ circa immunitatem duodecim filiorum, dum auctoritate juris firmare ſtudet *n.* 8. ſic ait: *ſed tertia opinio verior, & communior eſt, quod numerus ſive ſexdecim ſive duodecim liberorum excuſet a muneribus omnibus realibus, ordinariis, & extraordinariis, per prædicta jura in d. l. ſi quis Decurio.* Hæc lex, qua nititur deciſio Cameræ, non ſolum id non probat, ex iis, quæ expoſuimus; verum etiam manifeſtis verbis contrarium ſtatuit, dum ait; *honeſtiſſima munerum quiete donetur;* quæ denotant munera perſonalia; nam qui poteſt dici, honeſtiſſima quiete frui eum, vel non frui, qui ſolvit, vel non ſolvit onera impoſita ſuper prædiis, vectigalia, tributa &c. Nolim autem, quemquam exiſtimare, me ſubvertere velle, quod jamdiu obtinuit in Regno, & in aliis provinciis Italiæ, favore patrum, qui vulgo dicuntur *onuſti*; ſed tantum hæc expoſui, ut verus conſtaret Romanarum legum ſenſus; & ut æquitatis norma ſervaretur; etenim ex ſuperioribus legibus, ſi recte volumus argumenta deducere ad exemtiones reales, inquirendus eſt non ſolus numerus filiorum ſed & qualitas perſonarum; nam ſi fingamus, patrem decem, aut minus filios habere, ceterum fortunis eum deſtitutum, quique debeat quotidianis laboribus victum quærere, immunitas erit juſta, licet duodenarius deſit: contra injuſte petatur exemtio, ubi adeſt idem numerus, ſed paterfamilias eſt dives, præſertim ubi filii oneri non ſunt patri, ſed potius lucro, ſi quando ætate provecti, patrimonio augendo incumbunt. Et ſane quoties legum verba deficiunt, novum quid ſtatuendum eſt potius ex norma æquitatis, quam ex legibus male intellectis, ut generaliter faciunt Pragmatici.

III. Jure Romano ex publicis criminibus multoties bona reorum aut omnia, aut ex parte redigebantur in fiſcum; præſertim quod antiquitus deportationis pœna frequenter rei afficiebantur, unde tanquam peregrini ἀπόλιδες ait *l.* 17. *D. de pœnis*, hoc eſt ſine civitate, bona amittebant. In legibus Regni publicationis, ſive confiſcationis pœna aliquando imponitur. Verum gravis admodum ea viſa fuit majoribus noſtris; etenim quod pœna afficere debeat auctorem criminis, æquitati conſonum utique eſt: at quod eodem tempore liberos, conſanguineoſque afficiat, non ſemper æquum videtur, niſi pro bono publico cavendum eſt, ut parentes abſtineant a criminibus, ne & pœna ſequatur filios innoxios. Quapropter *an.* 1503., ut legitur *vol.* 1. *privileg. c.* 38. *pag.* 58. nomine civitatis petitum fuit, dum Regis vices obibat Conſalvus Cordubenſis, vulgo *Magnus Capitaneus*, ut deinceps bona reorum non publicarentur, ſed conſervarentur in familiis, ne ad inopiam redactæ publico eſſent oneri; niſi tantum ex crimine læſæ Majeſtatis *in primo capite*, quo caſu publicatio fieri debeat in bonis tantum feudalibus. Verum petitioni non videtur annuiſſe Proregem; nam reſpondit generaliter, jura, conſtitutiones, & capitula Regni ſervanda. Fortaſſis vel quia privilegium ſatis grave cenſebatur fiſcalibus commodis, vel quia generalibus verbis univerſum comprehendebatur Regnum. At quod impetrari tunc temporis non potuit, duos poſt annos conceſſum fuit immediate ab ipſo Rege Ferdinando Catholico *an.* 1505., *dict. vol.* 1. *pag.* 66. *c.* 14.

Digitized by Google

& repetitum *an.* 1507., dum idem Rex Neapoli degebat *eod. vol. pag.* 98. *c.* 6., hoc tamen modo: Excepto crimine læſæ Majeſtatis *in primo capite*, necnon hæreſis, bona civium Neapolitanorum ſive feudalia, ſive burgenſatica, non publicentur: & quando in caſibus exceptis publicatio fiet, bona dotalia, & reliqua, quæ mulierum nuptarum lucro cedunt ex rebus mariti, ſerventur illæſa. Idem privilegium refertur in *prag.* 3. *de immunit. Neapolit.* Quod ait pragmatica de crimine læſæ Majeſtatis *in primo capite*, eſt ſecundum vulgarem loquendi uſum; nam in jure Romano ea vocabula non leguntur; ſed tantum diſtinguitur crimen perduellionis a crimine læſæ Majeſtatis; illo proprie denotabatur, cum quid hoſtili animo adverſus Principem, Remque publicam machinaretur, id enim hoſtium proprium eſt, qui & apud veteres dicebantur perduelles, per eam adjectionem indicantes cum quibus duellum, hoc eſt bellum geritur, vid. *l.* 234. *D. de verb. ſignif.* At crimine læſæ Majeſtatis, quod levius eſt, comprehenduntur & ceteræ ſpecies, quibus indirecte Principis, aut ſtatus publici majeſtas læditur, & auctoritas, veluti ſi quid moliatur adverſus Miniſtrum Principis; ſi privatum carcerem quis habeat &c., vid. *l.* 1. & 2. *C. de privatis carcerib.*; & hoc proprie noſtri dicunt crimen læſæ Majeſtatis *in ſecundo capite*. Quod additur de hæreſi, etiam receptæ opinioni conſonum eſt, diſtinguendo læſam Majeſtatem in Divinam, & humanam; unde qui in hæreſim incidit, dicitur vulgo a noſtris, commiſiſſe crimen læſæ Majeſtatis Divinæ. Sed nihil quidquam ejuſmodi legitur in Romanis legibus, imo nec in conſtitutionibus Principum Chriſtianorum, qui, ut advertit Antonius Matthæus *de crimin. tit. ad leg. Jul. Majeſt. c.* 1., ſeveriſſimis pœnis puniebant hæreticos, nunquam autem eorum crimen adpellarunt læſæ Majeſtatis Divinæ. Invaluit hic uſus loquendi ex Pontificiis conſtitutionibus, vid. *cap.* 10. *de hæret.*, ubi Innocentius III. hæreſim adpellans crimen læſæ Majeſtatis, addit: *cum longe ſit gravius æternam, quam temporalem lædere Majeſtatem*.

IV. Publicatio bonorum licet ex condemnatione proveniat, tamen cum ex legibus noſtris poſſit aliquando eſſe etiam ex contumacia, ut in ſpecie *conſtit. pœnam eorum*, quam ſuo loco explicabimus: ideo privilegium Neapolitanis conceſſum intelligitur in utroque caſu, vid. *dec.* 102. & 213. *de Franchis*. Notabile autem eſt, quod habetur in *vol.* 2. *privileg. pag.* 274. *c.* 40., ſcilicet petitum fuiſſe nomine Civitatis, bonorum publicationi ex crimine hæreſis locum amplius eſſe non poſſe, poſtquam diplomate Julii III. Pontificis *an.* 1554., talis pœna ſublata fuit; & præterea, vetandum deinceps, ne mandata ſub pœna pecuniaria fiant amplius civibus Neapolitanis, ſiquidem eo modo indirecte privilegium læditur, cum, non ſervato mandato, bona publicari debeant. Verum huic petitioni generaliter reſponſum fuit: *Placet ut obſerventur conſtitutiones*, & *capitula Regni*. Quibus iiſdem verbis reſpondit Carolus V. *an.* 1550., vid. *vol.* 1. *privileg. pag.* 229. *c.* 8., dum petebatur, non debere Magnam Curiam in *citatione ad informandum* imponere pœnam centum unciarum auri, quoties non fuerit obtemperatum mandato; ea ratione, ne privilegium Neapolitanorum

Digitized by Google

rum infringeretur, cum poſſet evenire, ut talis pecuniæ quantitas non aliunde confici debeat, quam ex publicatione bonorum contumacis.; idque eo magis, quod antiquæ leges Regni contumaciæ pœnam non aliam ſtatuerunt, quam amiſſionem tertiæ partis bonorum mobilium..

V. In *ead. prag.* 3., quemadmodum & in *volum. grat. loc. cit.*, aliud exprimitur privilegium favore Neapolitanorum; ſcilicet ut nemo ex illis poſſit in carceres detrudi; *niſi ſervata forma juris, conſtitutionum & capitulorum Regni, ſublata circa hoc præeminentia M.C.V.* Quid ſibi volunt hæc verba *gratiæ* non omnino expeditum eſt;& fruſtra noſtrorum Interpretum explanationes requires; etenim quænam iſta tunc temporis erat Magnæ Curiæ præeminentia, ut non ſervata forma juris homines carceribus addiceret? Fuit ſane antiqua inter Pragmaticos controverſia, utrum citatio capturam inquiſiti præcedere debeat; an vero id remittendum arbitrio judicis. Hæc poſterior opinio generaliter eſt recepta. Verum, ut animadvertit Julius Clarus *lib. 5. ſent. §. ult. q.* 28., prudentia, diligentiaque hac in re adhibenda eſt, ſcilicet inſpectis indiciis, qualitate delicti, & perſonarum; nam in atrocioribus delictis nec citatione ulla opus eſt; & indicia vel leviſſima ſufficiunt; quod ſecus ſe habet in levioribus, niſi agatur de plebejis hominibus, quique facile ſe in fugam proripiendo, poſſent eludere judicis mandatum. Nunquam autem carceribus detinendus eſt reus, ubi crimen admiſſum non meretur pœnam ultra relegationem, ut definiunt generaliter Doctores, & ille paratus eſt fidejuſſores dare ex *l. 3. D. de cuſtod. reor.* Et ratio manifeſta eſt, quia non præſumitur, reum ante ſententiam velle ſe pœnæ ſubjicere, judicium fugiendo; quod utique voluntarium exilium eſſet. Non autem hic videtur rejicienda Bartoli ſententia, qui in *l.2. D. cit.tit.* docet, quoties dubium eſt, utrum pœna corporali, an mitiori afficiendus ſit reus, non eſſe eum interea fidejuſſoribus tradendum, ne ſtatuta demum pœna corporalis fiat irrita ob fugam inquiſiti. Hæ Romani juris, & æquitatis regulæ, utpote rationem habentes., ſervari debent apud nos. Et quamvis videatur quibuſdam Fridericum Secundum in *conſtit. humanitate tit. qui fidejuſſores dare poſ. ne incarcerentur*, ab illis receſſiſſe; tamen ſi diligenter in Imperatoris mentem inquiramus, nihil videtur ibi ſtatutum contra rationem juris; niſi tantummodo quod contra ſuperiorem Bartoli opinionem decreverit, fidejuſſoribus idoneis inquiſitum tradendum eſſe, ubi dubitatur de ejus reatu; ſecus ubi probationes exiſtunt; idque denotare videntur illa verba: *niſi crimen adeo vel confeſſione ſua, vel ipſa flagranti deprehenſione ſit evidens, aut publice facta inquiſitione ſit publicum, aut notorium habeatur, ut jam conſtet, reum ad nihil aliud inficiari propoſita, niſi ut pœnam differat, quam levis, & infamatæ perſonæ temeritas, & propoſitæ qualitas accuſationis expoſcit*. Ceterum cur ita ſtatuerit Imperator, accuſatorum malitia fuit in cauſa timor carceris, & eorum, contra quos inſtituebatur accuſatio, necnon Judicum negligentia, qui abſentibus accuſatoribus, etiam fraudulenter, ut accuſati diutius carcerum ſquallore afficerentur, nolebant ad actus judiciales procedere, & demum

mum ſententiam pronunciare. Hæc omnia exprimuntur in *conſtit.*, licet verbis, ſenſuque nimis involuto. Credendum eſt, legem Friderici occaſionem procedente tempore Judicibus dediſſe, ut nimium arbitrio ſuo tribuerent, unde in quocumque caſu, in quocumque delicto paſſim admittebantur fidejuſſiones Quinimo uſus etiam tunc invaluit, ut licet confectis judicialibus actis conſtaret de reatu alicujus, tamen extra carceres ad defenſiones proponendas ille admitteretur. Quod cum videtur bono publico adverſari, cenſuit Carolus II. Andegavenſis, nova lege lata, quæ habetur in *cap. ab illo* 140. *tit. de inquiſitionibus*, aliqua ratione moderari; ſtatuit etenim, in criminibus, quorum pœna eſt mors naturalis, vel civilis, vel membri abſciſſio (in foro vulgo dicunt pœnam corporis afflictivam) debere Judicem *capere de perſona* inquiſitum, ſecundum qualitatem, & conditionem ipſius, quoties conſtitit de delicto, ſive, ut eſt forenſis loquendi forma, capta eſt informatio, *non expectata publicatione inquiſitionis, aut teſtium accuſatoris., aut probatione defenſionum notati* (inquiſiti), *qui in vinculis poſitus, in ſuis defenſionibus audiatur*. Judicandi autem conſuetudo, & fortaſſis non ſine ratione, ne poſt crimen admiſſum facile rei ſe in fugam proriperent, invaluerat in Magna Curia, ut in gravioribus delictis, carceribus manciparentur rei ex ſolis indiciis, aptis tamen, ſecundum regulas juris communis *ad capturam perſonæ*, ut eſt unus teſtis, fama publica &c. Hoc ſane denotant illa verba *ritus* 41.: *Item ſi accuſetur aliquis, vel ex officio contra eum procedatur de aliquo crimine: ſtatim quod conſtat per unum teſtem contra eum de viſu, & perſona alias de fama publica, detinetur; in talibus tamen, in quibus ipſa Curia conſuevit ponere ad torturam reum*.

VI. Verum enim vero, quoniam in perniciem legum, & juris ſcientiæ, in foro jamdiu obtinuit, obtinetque adhuc, ut plurimum tribueretur Judicantium arbitrio, unde methodus procedendi in criminum inquiſitione, & ipſæ pœnæ utplurimum arbitrariæ factæ ſunt: ideo tum Romanæ, tum ſuperiores, quas expoſuimus Regni leges, modo lenius, modo ſeverius ad exequutionem perducebantur. Et propterea aliquando Judices inſtituebant adverſus reos criminum, etiam graviſſimorum, judicia, perficiebantque, conſtitutis illis extra carceres; eoque reſpexit pragmatica *un.* 1726. *die* 30. *menſ. Octobr.* qua jubetur, in homicidiis defenſiones dandas non eſſe, niſi ubi reus in vincula conjectus eſt. Contra aliquando qui nimiam ſeveritatem affectabant, etiam ubi minus erat neceſſarium ob qualitatem criminis, perſonæque delinquentis, ſtatim ab initio, & fortaſſis deficientibus indiciis ad capturam, inquiſitos detrudebant in carceres. Unde remedio legis opus fuit. Quod utique manifeſte adparet ex conſtit. Ferdinandi I. Aragonenſis, quæ extat in *prag.* 1. *de cuſtod. reor.*, ubi ſic ait prudentiſſimus Rex: *Inolevit, ut fida relatione percepimus, abuſio removenda, quod Officiales, nullo juris ordine ſervato, nec perſonarum qualitate diſcreta, ad detentionem, & capturam perſonalem procedunt, in damnum grave, & injuriam ſubditorum: ideo mandamus, conſtitutiones, & capitula Regni providentes* intellige leges Friderici, & Caroli II., quas modo expoſuimus) *ſive providentia ſuper prædictis, & maxime, quod antequam*

quam incipiat conſtare de maleficio, idonee cavens de perſona non detineatur, inviolabiliter obſervari &c. Solebat autem hæc ſanctio male ſervari aliquando a Judicibus, aut imperitis, aut minus æquam ſeveritatem affectantibus; unde exiſtimarunt Adminiſtratores Civitatis, ſuperiorem *gratiam* petere a Ferdinando Catholico, ſcilicet, ut non poſſet Neapolitanus civis *de facto*, ut noſtri dicunt, hoc eſt non ſervato juris ordine, in carcerem detrudi; quod idem eſt, ac exequutio *d. prag.* 1. Id ipſum petitum quoque fuit a Carolo V. *an.* 1532. vid. *vol.* 1. *privileg. pag.* 139. *c.* 13. Unde adparet manifeſtiſſime, nihil novi ſtatutum *in gratia*, ſed tantum quod jus bonumque exigit in ſpecie, qua de agimus. Et adparet eodem tempore, quot novas, ſuperfluaſque leges pariat imperitia, & malus uſus ſcripti juris.

VII. Privilegium quoque Neapolitanorum eſt, ne hoſpitium in ſuis domibus, aut villis præbere militibus cogantur, aut pro ea re quidquam ſolvere, vid. *vol.* 1. *privileg. pag.* 57. *c.* 31., & in *cap. ſeq.* eadem immunitas ampliatur ad domos, villaſque ſitas etiam extra Neapolitanum territorium. Idem privilegium confirmatum fuit a Ferdinando Catholico, *d. vol.* 1. *pag.* 66. *c.* 12., & ſub Regno Caroli V. *pag.* 130. *c.* 4. Verum idem Carolus V., dum Neapoli erat *an.* 1536. confirmavit eandem immunitatem; addidit tamen hanc exceptionem, *pag.* 160. *c.* 5. *Reſervat tantum ſua Majeſtas pro familiaribus, & curialibus, ſequentibus Curiam, quibus non convenit, neque decet longe a M. S. habitare domos in præſenti exiſtentes, & quæ pro tempore erunt extructæ in Burgo S. Spiritus nuncupato, in platea Incoronatæ: cum quarterio vulgo dicto Sancti Joſephi, necnon domus, quæ ſunt, & fuerint in via, quæ dicitur* la Rua Catalana, *& via, quæ dicitur Bancorum, cum platea Ulmi, quæ recte vergit uſque ad fontem S. Petri Martyris, cum aliis domibus, quæ ſunt a dicta via verſus mare. In quibus villis, & domibus tantum liceat libere Fureriis, ſive Officialibus vulgo dictis Appoſentatoribus Suæ Majeſtatis, ſuorum ſucceſſorum, libere aſſignare, & dividere hoſpitia prædictis familiaribus & Curialibus, prout ipſis bene fuerit. Pro quibus volumus, quod ſolvatur merces juſta, taxanda per duos expertes, unum per Suam Majeſtatem, alterum per Civitatem.* Qui in territorio Neapolitano, & in pagis ſunt homines rei rusticæ operam dantes, privilegium habent a Ferdinando I. Aragonenſi *d. tr.* 1. *pag.* 30. *c.* 51., ne inviti cogantur ad ſervitia ſive perſonalia, ſive cum jumentis; & ut, ſi quando neceſſitas aliter expoſtulaverit, competens eis perſolvatur ſalarium. Sunt & alia Neapolitanorum privilegia, veluti circa forum competens, obligationes pecuniæ dotalis ſuper fundis &c., quæ a nobis opportunius ſuis locis exponentur, cum magis privati, quam publici juris ea ſint.

CA-

Digitized by Google

CAPUT IX.

De Adminiſtratoribus, qui in ſingulis provinciarum Regni locis conſtituuntur; quique generaliter Syndici, & Electi adpellantur.

Quemadmodum hæc Civitas, totius Regni metropolis, ſuos habet publicos Adminiſtratores; imo & reliquæ in provinciis Regni: imo & in unoquoque ſive oppido, ſive vico non deſunt, quibus publicarum rerum cura incumbit. Sed auctoritas utrorumque longe diverſa eſt, nam qui ſunt in Regno, præter curam publicæ pecuniæ, quæ Fiſco quotannis debetur, quæque deſervit aliis oneribus, & impenſis neceſſariis, vix aliquam juriſdictionem habent circa annonam, & victualia; exceptis enim quibuſdam locis ex ſpeciali privilegio in reliquis notio tantum ea de re pertinet ad Adminiſtratores; ceterum juriſdictione, & imperio non poſſunt uti, niſi accedente auctoritate eorum, quibus publica juriſdictio competit. Hoc ſane non tantum ea ratione probatur, quia ubi ſummum imperium penes populum non eſt, nequit ille abſque conſenſu Principis juriſdictionem ſibi vindicare; verum etiam noſtrorum Interpretum auctoritate; nam poſt Iſerniam ſic docet Matthæus de Afflictis *q. 3. ad proœm. conſtit.*: *Et hæc procedunt in Univerſitatibus non habentibus juriſdictionem, ſicut communiter ſunt Univerſitates terrarum hujus Regni, quæ non habent juriſdictionem, cum omnis juriſdictio ſuper omnibus civitatibus, & terris, & caſtris Regni eſt Domini Regis, & illorum, qui habent a Rege; ut dicit hic Andreas &c.* Idem autem de Afflictis notat, poſſe ab Univerſitatibus *fieri ſtatuta ſuper victualibus, & rebus, quæ ſunt ad uſum Univerſitatis, ſine quibus non poſſet vivere*; verum ſine pœna, quia id ex juriſdictione eſt; & propterea, ut quod ſtatuitur pro bono publico, ſervari poſſit, neceſſarium eſt, Magiſtratuum, Gubernatorumque auctoritas, atque imperium. Sed quoniam hæc in re certum jus deficit, ſiquidem temporibus Romanæ juriſprudentiæ rerum publicarum in provinciis Imperii adminiſtratio aliter ſeſe habebat; & leges Regni nihil ſpeciale definiunt: ideo conſuetudines cujuſque loci ſervanda ſunt, aut privilegia; nam in quibuſdam major, in quibuſdam minor Adminiſtratoribus competere ſolet facultas.

II. Primus inter Adminiſtratores Univerſitatis adpellatur Syndicus. Quod vocabulum origine græca in Romanis legibus occurrit: ſed apud nos eo munere major auctoritas comprehenditur, quam olim erat. Quoniam antiquo Romanorum jure actiones judiciariæ certis formulis includebantur: nullæ autem ex iis extabant, ut animadvertit Gerardus Nood *com. ad Pandect. tit. de Procuratoribus*, ut petere quis poſſet alterius nomine: ideo tenebatur unuſquiſque ex ſe judicio intervenire. Verum in certis cauſis neceſſitas contrarium ſuaſit veluti quoties agendum, aut excipiendum erat nomine Collegii; aut Univerſitatis; tunc enim conſuerunt vete-

res,

Digitized by Google

res, de communi corpore aliquem eligendum eſſe, ut judicio adeſſet; cui paulatim & ceterarum publicarum rerum cura commiſſa fuit. Diſerte Cajus in *l. 1. §. quibus D. quod cujuſq. univerſ.*: *Quibus autem permiſſum eſt corpus habere collegii, ſocietatis, ſive cujuſque alterius, eorum nomine proprium eſt, ad exemplum Reipublicæ, habere res communes, arcam communem, & Actorem, ſive Syndicum, per quem tanquam in republica, quod communiter agi, fierique oporteat, agatur, & fiat.* Qui autem pro civitate eligebantur, ſolebant & Defenſores adpellari, ut in *l. 1. D. munerib. & honorib.*, ſcilicet quia negotia publica tuebantur. Unde longe aliud erat horum Defenſorum munus ab eo, quod ſubibant Defenſores Civitatum, de quibus mentio fit in legibus Imperialibus; horum enim & aliqua erat publica juriſdictio, prout expoſuimus *lib. 2. c. 13.* Qui igitur in Regno ſunt Syndicis, non tantum actorum, procuratorumque Univerſitatum munere funguntur, ſed & aliquam curam habent plebis tuendæ, eorumque, qui munere aliquo funguntur in Univerſitate, ne quid officiatur publico; quale proprium erat officium Defenſorum Civitatum; quod præ ceteris deſcribitur eleganter duabus Theodoſii Magni conſtitutionibus, relatis in *Cod. de Defenſor. civit. l. 4. & 5.*, quarum verba utile erit hic apponere, ut inde exempla deſumant rerum agendarum noſtrates Syndici, ad commodum univerſale. *Lex* 4. Theodoro cuidam Defenſori directo ſic ſe habet; *In Defenſoribus univerſarum provinciarum erit adminiſtrationis hæc forma . . . ſcilicet, ut inprimis parentis vicem plebi exhibeas: deſcriptionis* (hoc eſt contributionibus, oneribus fiſcalibus) *ruſticos urbanoſque non patiaris affligi; Officialium inſolentiæ, & Judicum procacitati, ſalva reverentia pudoris, occurras; ingrediendi, cum voles, ad Judicem liberam habeas facultatem; ſuper exigendi damna, vel ſpolia plus petentium ab iis, quos liberorum loco tueri debes, excludas; nec patiaris quidquam ultra delegationem ſolitam ab his exigi, quos certum eſt, niſi tali remedio, non poſſe reparari.* In *l. ſeq.*: *Defenſores nihil ſibi inſolenter, nihil indebitum vindicantes, nominis ſui tantum fungantur officio: nullas infligant mulctas; ſæviores non exerceant quæſtiones; plebem, vel Decuriones ab omni improborum inſolentia, & temeritate tueantur: ut id tantum quod eſſe dicuntur, eſſe non deſinant.* In pragmaticis ſanctionibus, quæ de officio Syndici agunt, utplurimum cavetur; ne fraudes interveniant in publicarum rerum adminiſtratione. Ceterum nihil ferme ſtatuitur de reliquis, quæ inſpicienda ſunt in ejus generis munere, & propterea ad generales juris communis regulas eundum eſt; nominatim ubi agitur de electione tum Syndici, tum reliquorum Adminiſtratorum, qui ex more, & conſuetudine locorum vel duo, vel tres, aut plures adjungi ſolent Syndico; & generali nomine adpellantur Electi.

III. Quamvis electionum formæ variæ poſſint eſſe; attamen quas conſuetudo adprobavit, non videntur rejiciendæ; dummodo tumultus, motuſque popularis avertatur. Hinc prudenter Carolus V. in ſpecie, quam tractamus, nihil definiendum cenſuit in *prag. 2. de Adminiſtr. univerſit.*, niſi firmando, quæ moribus introducta erant; verba Imperatoris notatu digna ſunt:

Volumus, ut Syndici, & alii Officiales Univerſitatum eligantur libere per cives ipſorum Univerſitatum; intervenientibus tamen iis, qui ſecundum dictarum Univerſitatum conſuetudinem intervenire debent: ac ſecundum ordinem, & modum in ipſa Univerſitate ſervari conſuetum: & Officiales ipſi debent confirmari per eos, ad quos confirmatio de jure vel antiqua, & legitima conſuetudine ſpectat. Quod ait Imperator de interventu eorum, qui ex conſuetudine intervenire debent, intelligendum utique eſt de iis, qui præſunt juriſdictioni. Etenim moribus, & ratione ſuadente ad ſedandas rixas, & altercationes, & ut omnia pergantur ordine ſuo, inductum eſt, ut in ejuſmodi electionibus præſentes ſint Gubernatores locorum; vid. *de Franchis dec.* 446. tamen, dum ad jus Romanum, ſuæ aſſertionis probandæ gratia, confugit, mire hallucinatur; nam citat *l. omni notatione C. de Epiſc. & Cler.* quæ omnino non extat in eo titulo; nec ulla alia ad propoſitum faciens. De Luca in *obſervat.*, tanquam ſi legem illam inſpexiſſet, eaque eſſet ſpecialis pro re, quam tractamus, ſecundum conſuetam methodum Forenſium, aliud cogitando, ſcribit: *& quod intervenire debeat licentia Officialis ad juſtitiam deputati, probat Dominus meus ex textu in l. omni notatione C. de Epiſc. & Cleric.* Quis crederet, hunc Auctorem, dum ſcribit deciſionem de Franchis, quæ in foro habetur tanquam jus ſcriptum, niti *cit. l.*, allegaſſe quod in rerum natura omnino non eſt? Nec ipſe feliciorem ſe oſtendit citando *l. 2. C. de Decur. lib.* 10., quæ ad rem nihil facit: ibi enim tantum ſtatuitur, Duumviros in Coloniis, & Municipiis nominationem ad munera civilia facere debere, ex more, vel lege municipali, convocata Curia; *eamque nominationem ſtatim in notitiam ejus, qui fuerit nominatus perferendam curare per Officialem publicum.* Si ex hac lege volumus argumentum deſumere, & Magiſtratus Municipales, ſive Duumviros comparare Gubernatoribus noſtris, inde efficitur, nominationem ad officium Syndici & Electorum pertinere ad Gubernatores. Quod falſiſſimum eſt, & directe adverſatur *cit. prag.* 2. Neque dixeris, in *ead. l.* mentionem fieri de Præſide; ſiquidem adpellandi ad Præſidem datur tantum ibi facultas nominato, ut ille inſpiciat, utrum nominari potuerit, an ſecus. Solebant aliquando Præſides nominationibus, ſive electionibus intereſſe, ut manifeſtum eſt ex *l. 1. §. ſunt plerumque in fin. D. quando adpelland. ſit*; ſed id non ſemper neceſſarium cenſebatur: adpellatio tantum ab electione ad Præſidem interponebatur, etiamſi ille fuiſſet præſens. Ex his colligitur, interventum Gubernatoris in electione Syndici requiri tantum apud nos ex conſuetudine, prout innuitur in *cit. prag.* 2., non ex ſcripto jure. Verum hac in re, nec quod docent Pragmatici, uſu ſervaretur: unde patet quam confuſiſſima ſit, & nullis regulis, nullaque methodo circumſcripta juriſprudentia forenſis; etenim dum de Franchis, ceterique, qui eum ſequuntur Doctores ſtatuunt, *interventum Officialis ad juſtitiam deputato* (ſic loquitur *cit. deciſ.*) requiri in electione Syndici, idque probant ex Romanis legibus; cur quæſo non minus a Tribunalibus hujus Civitatis, quam Regiarum Audientiarum, quotidie mittuntur ſcribæ, & actorum magiſtri, ut interſit electionibus Syndicorum? Hoc equidem non tantum eſt peſſimi exempli, quod homines ejus generis ſeſe efferant ſupra

pra auctoritatem jus dicentium; ſed & illud habet incommodi, quod utplurimum pecunia corrupti, factioſorum partibus ſolent potius favere, quam publicæ utilitati. At dices: idem incommodum provenire poteſt a Gubernatoribus: ad hæc illi aliquando a civibus allegantur ſuſpecti, unde dum auxilium imploratur a Tribunalibus, neceſſario & alteri tale negotium mandari debet. Quod ad primum, reſpondetur: quoniam mala, & incommoda in civili ſocietate evitari non poſſunt, prudentia expoſcit; ut inveniatur ratio minoris mali; quod utique minus præſumendum eſt in illis, qui præſunt jurisdictioni, utpote honeſtioris conditionis, quam in ſcribis, actuariiſque, quorum omne ſtudium in conquirenda pecunia poſitum eſt. Quod attinet ad ſecundum: propoſita juſta cauſa ſuſpectionis adverſus Gubernatorem, nulla ratio eſt, cur potius ſcribis, quam Gubernatoribus vicinioribus interventus in electione committi debeat: niſi placet vocibus adhærere vulgi, qui ejus generis, ſimileſque, quas dicunt, *commiſſiones*, adpellat regalias Tribunalium, unde a ſolo arbitrio dependent, non autem a bono, honeſtoque.

IV. In *ead. prag.* 2. dicitur, Officiales confirmandos per eos, *ad quos confirmatio de jure, vel antiqua, & legitima conſuetudine ſpectat*. Quod attinet ad confirmationem, quæ dicitur de jure, fortaſſis intelligendum eſt de Præſidibus provinciarum, qui Romano jure confirmare ſolebant, ut notat Cujacius in *cit. l.* 2.; idque probat ex *l. ſi quos* 59. *eod. tit.*, ubi ſtatuitur, nominationes factas Duumviris ad munera civilia, ratas eſſe debere, etiamſi non acceſſerit conſenſus Præfecti Auguſtalis; qui tamen invitus, eas confirmare cogitur; videlicet utriuſque partis, ideſt nominantis, & nominati concurrente conſenſu. Verum hujus generis confirmatio non ſervatur. At quæ dicitur ex legitima conſuetudine, videri poteſt ad Barones pertinere; ſcilicet ut quoties illi in ſuis feudis ex legitima conſuetudine jus adquiſiverunt confirmandi Syndicum, Electoſque, in eadem debeant permanere; nam abſurdum non eſt, ut ſciat, confirmetque Baro quos in ejus feudo noviter Univerſitas ſibi elegit Adminiſtratores. Verum hac in re duo notanda ſunt, primo confirmationem Baroni competere tantum, ubi tale jus adquiſivit ex legitima conſuetudine; ſcilicet & ubi tempus legitimum effluxit ad inducendam conſuetudinem, & ubi nulla adfuit vis, dolus, aut fraus. Et propterea ſecundum regulam generalem pragmaticæ, cum electio libere competat Univerſitati, quoties Baro confirmandi jus ad ſe pertinere aſſerit, ipſe probare tenetur ea de re legitimam conſuetudinem. Secundo, confirmationem Baronis neceſſariam non eſſe ad vim electionis, quæ valet etiam ſine ea, quoties requiſitus Baro conſentire noluerit; nam, ut diximus ex *cit. l.* 59. Præſides Provinciarum, qui ſolebant electiones confirmare, etiam inviti id facere cogebantur. Nec videtur, majus Baronibus competere jus, quam olim Præſidibus; etenim horum confirmatio legibus erat præſcripta: at quam ſibi aſſerunt nonnulli Barones, ex conſuetudine tantum eſt, quæ non poteſt majorem vim habere, quam ſcripta lex. Hinc ſequitur, omnino eſſe contra formam juris tum Romani, tum noſtri, ac proinde rejiciendum uſum inductum in quibuſdam Univerſitatibus, cujus & exemplum ponit de Franchis *deciſ.*

 210.

Digitized by Google

210. *num.* 3. , ut ab Univerſitate nominetur certus numerus civium , iſque præſentetur Baroni , a quo poſtmodum ex arbitrio ſeligantur qui adminiſtrationem ſuſcipere debeant . Rejiciendus omnino eſt hic uſus , quia tunc electio non dicitur libera , prout requiritur in pragmatica ; nec eſt ſecundum formam juris , quia confirmatio ſuperioris , ut diximus , mera ſolemnitas eſt , quæ etiam ab invito exigitur : at ex uſu prædicto non tantum fit neceſſaria confirmatio, ſed etiam habet naturam electionis. Et fruſtra allegatur hac in re conſuetudo , quæ nunquam legitima eſt , ubi manifeſte adverſatur juri ſcripto, & ubi præſumitur vim, aut metum interveniſſe; prout ſolet eſſe in omnibus iis , quæ a Baronibus peraguntur adverſus jura , & libertatem vaſſallorum . Scio Pragmaticis contrarium hac de re placuiſſe : ſed qui veræ juriſprudentiæ ſectatores ſunt facile eorum dogmata rejiciunt; præſertim in ſpecie , quam tractamus ; nam dum illi diſtinctionem faciunt inter ſolitum , & conſuetum verba captantes ex *l. Mela* 14. §. *ſed ſi alimenta D. de alim. & cibar. legat.* , vide Rovitum in *prag.* 5. ſolitum explicantes , *quod obſervatum eſt in ultimo actu præcedenti*, facile fuit Baronibus illud jus ſibi aſſerere, ſiquidem dum ſemel petierunt ab Univerſitatibus nominationem certarum perſonarum , ſi deinde ea de re quæſtio moveretur , ſtatim illi provocabant *ad ſolitum*, ex quo paulatim ortum habuerunt jura adquiſita per conſuetudinem. Et quamvis ipſe Rovitus quæſtiones proponat nonnullas, ubi tale jus competit Baronibus ex privilegio a Principe conceſſo ; tamen utplurimum ejus generis privilegia allegantur , non exhibentur; & dum dicunt Barones privilegia , intelligunt ferme quæ proveniunt ex conſuetudine ; nam raro ſolet Princeps Baronibus concedere , quod lædit jus commune, & præſertim libertatem ſubditorum.

V. Quemadmodum in ſpecie, quam diximus , conſuetudo ſervanda non eſt ; ita nec ſervandam decreviſſe Sacrum Conſilium , refert de Franchis *cit. deciſ.* 210., utpote corruptelam, quæ in quibuſdam Univerſitatibus inducta erat , ſcilicet , ut Sindicus eligeret Syndicum , Electi Electos ſequentis anni ; eoque modo pauci ex potentioribus , & factioſis in ſe transferebant univerſam adminiſtrationem publicarum rerum ; unde rationes aut omnino non reddebantur, aut reddebantur cum colluſione. Et inde fortaſſis majori ex parte Univerſitates Regni peſſumdatæ, & tot oneribus gravatæ ſunt , idque tantum ob commodum paucorum ; nec creditoribus ſunt ſolvendæ imo perpetuis jurgiis diſcordiiſque agitantur tum cives inter ſe , tum litibus, controverſiiſque judicialibus. Et fruſtra noviſſimæ leges, quas infra explicabimus, tentarunt his malis occurrere, quæ jam inverterata ſunt , & tantum indigerent extraordinario remedio Principis. In eadem *deciſ.* animadvertit quoque de Franchis, ne detrimento afficiantur Univerſitates, finito anno adminiſtrationis debere alios eligi ; nec poſſe eaſdem perſonas , niſi legitimo tempore tranſacto , iterum eligi. Quodnam autem tempus intercedere debeat a munere jam finito ad novum ſuſcipiendum, legibus Regni ſtatutum non eſt; & propterea idem de Franchis , ceterique Doctores, auctoritate utuntur juris Romani ex *l.* 2. *C. de muneribus & honor. non contin. &c. lib.* 10. , ubi præſcribitur quinquennii

Digitized by Google

nil intervallum ad eoſdem honores, eademque munera; triennii ad alia ſive diverſa. Notat Cujacius ex Dione *lib.* 53., fuiſſe olim & ab Auguſto ſtatutum quinquennium a Magiſtratu urbano ad provincialem; adeout qui functus erat Romæ officio Ædilis, e. g., non poterat Præſes provinciæ creari, niſi poſt quinquennium. Apud Livium *lib.* 7. *&* 10. legimus, fuiſſe & antiquam legem, ne quis eundem Magiſtratum intra decem annos caperet. Inde Cicero *lib.* 3. *de legibus* hanc legem condidit: EUNDEM MAGISTRATUM, NI INTERFUERINT DECEM ANNI, NE QUIS CAPITO. Superiorem igitur *l.* 2. ſic interpretati ſunt noſtri, ut qui functus eſt officio Syndici, niſi tranſacto quinquennio non poſſit iterum Syndicus eligi; ſed ſi creatur Electus, poſſit; quia hoc caſu impedimentum adeſt, ſi nondum effluxerunt anni tres, cum munera cenſeantur diverſa. Verum hæc interpretatio minus recta videtur. Syndicus, & Electi, qui dicuntur Univerſitatis, unum idemque corpus, ſive collegium conſtituunt, & propterea non poſſunt proprie dici diverſa eorum munera. Nec refert quod major ſit auctoritas Syndici, cui datur, quædam peragere, quæ aliis prohibentur; nam quod in uno, eodemque corpore plus licet Præfecto, ſive omnium capiti, non efficit, ut ejus munus dicatur ab aliis diverſum. Potius diverſum cenſetur officium, quoties licet publicum, non pertinet tamen ad adminiſtrationem Univerſitatis. Et propterea nulla idonea ratio reddi poteſt, cur ab eodem de Franchis *cit. deciſ.* 210. *in fin.* ſtatuatur, nullum temporis intervallum requiri, quoties quis functus eſt munere aut Syndici, aut Electi, & eligitur Ærarius pro Barone; etenim munus Ærarii etiam publicum eſt; nam licet reſpiciat peculiare commodum Baronis, nihilominus, quia agitur de exigendis fructibus feudi, qui antea erant Regis, & poſtea tranſlati ſunt in Baronem, Univerſitatis quoque onus eſt, perſonam idoneam nominare, eamque Baroni præſentare ad illud munus obeundum, quod & ipſi Pragmatici docent, vid. *Capyc. deciſ.* 118. Et propterea in hac ſpecie officia, licet publica, ſunt tamen diverſi generis, unde ſpatium triennii obtinere debet. His adde, quod tempus ſive quinquennii, ſive triennii, favore perſonæ nominatæ potiſſimum eſt, ut colligitur ex verbis *cit. l.* 2. *Ab honoribus ad honores eoſdem quinquennii datur vacatio, triennii vero ad alios:* vacatio accipitur pro exemtione, pro immunitate quæ favore perſonæ eſt. Cæſar *lib.* 6. *de bello Gallico: militiæ vacationem, omniumque rerum habent immunitatem*. Unde ſequitur, non poſſe invitum aliquem cogi ad aliud munus ſuſcipiendum, quoties legitimum tempus nondum eſt tranſactum. Quod autem proponit idem de Franchis *deciſ.* 264. Officialem Univerſitatis, etiamſi non contradicat, non eſſe in eodem officio confirmandum, quoties illud annuum eſt; non videtur ratione carere, nam rectiſſime idem Auctor advertit: *quia in dies videmus in multis Regni univerſitatibus quaſdam familias potentes, quaſi per viam ſucceſſionis tranſmittere officia ad ſucceſſores: unde maxima oritur clades Univerſitatum*. Hoc malum cernitur præcipue, ubi, ſive ex privilegio, ſive conſuetudine, ſive potius abuſu ob potentiorum vim & calliditatem, majoris momenti munera publica obire ſolent tantum ex ordine nobilium cives; quorum familiæ cum ſenſim deficiant, & ob inſitam a majorum imaginibus ſuperbiam, novarum al-

lectio

lectio reſpuatur ; evenit , ut publica adminiſtratio paucorum facta ſit . Et non deficit Doctoribus forenſibus ad defendendum ejuſmodi iniquum inſtitutum auctoritas juris ; ſiquidem dum illi aſſerunt , ab uno ad aliud officium tempus legitimum intercedere debere , addunt ſtatim exceptionem ex *l. honor.* 14. *in fin. D. de muneribus & honor.* , ſcilicet neceſſarium non eſſe , totum illud tempus expectari, quoties omnes ex ordine nobilium eodem impedimento temporis , vel alio detinentur. At abutuntur illi æquitate legum Romanarum cum damno publico ; nam in *cit. l.* 14. ſtatuitur tempus non expectandum , cum alii idonei non reperiuntur ; & propterea inſpicitur publica utilitas ; quandoquidem utilius eſt ; rationem non habere de impedimento temporis, quam perſonis minus idoneis adminiſtrationem publicam committere . Quid hoc ad opinionem Doctorum ? Et quid intereſt Reipublicæ , a nobilibus magis , de jure impeditis , res communes adminiſtrari , quam ab aliis , quibus nullum obſtat impedimentum , & ceteroquin ſunt apti , ideoneique ? Adhæc in *cit. l.* 14. agitur tantum de iis , qui recuſant munera publica ſubire , non autem qui affectant , & tantum dominationi , & ambitioni conſulunt: *Si alii non ſint* inquit Calliſtratus, *qui honores gerant , eoſdem compellendos , qui geſſerunt , compluribus conſtitutionibus cavetur . Divus etiam Hadrianus de iterandis muneribus reſcripſit in hæc verba: Illud conſentio , ut ſi alii non erunt idonei , qui hoc munere fungantur , ex iis , qui jam functi ſunt , creentur .*

VI. Sunt, & aliæ ſpecies , ex quibus ad adminiſtrationem Univerſitatis non poteſt qui eligi: eæque ſunt communes cum ceteris electionibus , nec quidquam peculiare habent , unde neceſſarium non eſt , ut de illis hic diſſeramus : præſertim quod in libris Forenſium paſſim tractantur . Tantum notanda ſunt impedimenta ad ad electionem , quæ proponuntur in *prag. 5. de adminiſt. univerſit.* pro colluſionibus, fraudibuſque removendis . In §. 16. ſtatuitur , non poſſe uno , eodemque tempore eligi patrem , & filium , aut fratres . Quoniam pragmatica generaliter loquitur , nullum ſtatuendum eſt diſcrimen , ſitne filius in poteſtate patris , an ſui juris ; ſiquidem colluſio , quæ timetur cum damno publico ; inter perſonas arctiſſimo neceſſitudinis vinculo conjunctas , poteſt eſſe in utroque caſu . Quod pertinet ad fratres , intelligit Rovitus germanos , ſive utrinque conjunctos . Verum ſi rationem pragmaticæ conſideremus, & uterini, & conſanguinei videntur eo nomine comprehenſi , qui cum nati , atque educati ſint ſub eodem tecto , mutua affectione tenentur , ſaltem majori, quam quæ inter ceteros conſanguineos intercedit; unde verendum eſt, ne quid detrimenti Univerſitas capiat . His adde , quod pragmatica utitur verbo *carnali* , quo intelligimus quidem vernaculo ſermone fratres utrinque conjunctos; ſed aliquando opponimus conſobrinis, & patruelibus, intelligimus, his exceptis, omnes fratres, ſive ex utroque parente conjunctos, ſive ex uno tantum . In §.17. ſtatuitur, nullam eſſe electionem ejus ; qui ex munere antea geſto pro univerſitate , nondum rationes reddidit ; aut ex rationibus redditis adparet debitor Univerſitatis . Denique eadem generali prohibitione decernitur

tur teneri omnes debitores Univerſitatis ex quacumque cauſa; niſi prius & redditæ ſint rationes, & quod debetur ſolutum, vid. *l.* 1. *C. de debit. civit. lib.* 11. In §. 18. idem decernitur de iis, qui litem habent cum Univerſitate. Ratio hujus prohibitionis eadem videtur eſſe, quæ in *novell.* 72. Juſtiniani: nam cum jure veteri neque a tutela, neque a cura excuſabatur debitor aut creditor pupilli, aut minoris *l.* 7. *C. de excuſat. tutorum*; nec qui litem habebat, niſi de omnibus bonis, aut plurima parte eorum controverſia fuiſſet, *l. propter litem* 23. *D. eod. tit.* Imperator tamen generaliter vetuit, quoſcumque creditores, aut debitores minorum, ad tutelam, vel curam admitti, ea ratione, quia eveniebat ſæpe, ut tutores vel curatores, quorum in poteſtate erant omnia, redimerent inanes, infirmas, inutiles actiones adverſus minores; vel ex cauſa donationis eas ſibi cedi procurarent, ac deinde ſupprimerent apochas, quibus ſe defendere, & agentem excludere minores poterant. Eadem, inquam, eſt ratio pragmaticæ, nam facile eſt, Adminiſtratores in rem ſuam componere, quæ vel facerent contra ſe, vel favore Univerſitatum. Tantummodo pœna prohibitionis eſt diverſa, nam Juſtiniano placuit, ut ſi quis adverſus ea tutor, vel curator creari paſſus fuerit, ſiquidem creditor, amittat actiones ſuas, ſin autem debitor, non liceat ei dicere, tempore, quo tutelam, vel curationem gerebat, ſe liberatum ſolutione, aut alio modo, ab obligatione, qua tenebatur ante ſuſceptum munus. Sed in pragmatica nulla declaratur electio, utpote contra formam juris. Ex ratione, quam adduximus, ſequitur, non tantum eligendos non eſſe, qui in præſenti cum Univerſitate litem exercent; verum etiam qui in ea cauſa ſunt, ut habere poſſint in futurum; nam in utroque caſu verendum eſt, ne Adminiſtrator res componat in ſui favorem: idque & verba pragmaticæ in *cit.* §. 18. innuere videtur, dum dicitur, qui habent, aut habituri ſunt litem. Sed in *fin.* §. anceps oratio eſt, nam dicitur, prohiberi, ne eligantur durante lite; quaſi quod poſſint, ubi lis nondum eſt, licet futura erit, finita adminiſtratione. Verum ſi hoc admittimus, adverſatur ſententiæ pragmaticæ, qua occurritur, ut diximus, fraudibus ejus, qui eſt in adminiſtratione, dum omnia ad ſui favorem accommodare tentabit. Et propterea, dum dicitur, eos eligi non poſſe *durante lite*, intelligendum eſt, quamdiu adeſt cauſa litigandi; adeout poſſint tantum poſtquam lis finita eſt, vel tranſactione, vel ſententia judicis.

VII. Poſtremo loco videndum, Adminiſtratores Univerſitatum cujuſnam judicis. juriſdictioni ſubjecti ſint. Extat ritus M. C. 49., cujus & ſupra *lib.* 2. *c.* 12. meminimus, in quo ſtatuitur, Magnam Curiam cognoſcere *de exceſſibus officialium; aliorumque delinquentium in eorum officiis*. Idem repetitur in *rit.* 51. & 61. Officialium nomine Doctores intelligunt Judices inferiores, qui conſtituuntur in provinciis Regni, licet vocabulum generale ſit de omnibus, qui publica exercent officia. Neque hæc interpretatio ratione caret, etenim Magna Curia cum jus dicat tantum in cauſis civilibus, & criminalibus privatorum civium recte cognoſcit de omnibus his, quæ male ab inferioribus judicibus geruntur circa munus ſuæ juriſdictionis. At quod fit ab aliis Officialibus, qui non præſunt juriſdictioni inter privatos, extra ejus munus atque auctoritatem eſt. Obtinuerat

Digitized by Google

rat autem uſus in Magna Curia, & in Sacro Conſilio, ut ritus prædictus ampliaretur etiam ad Syndicos, & Electos Univerſitatum: quod cum videretur minus ferendum ob damna, & incommoda, quæ inde proveniebant, non minus privatim ſingulis civibus, quam publice ipſis Adminiſtratoribus: propterea, precibus oblatis nomine Civitatis, & Regni edita fuit *pragmatica* 47. *de offic. Magiſtr. Juſtit.*, qua ritus ſecundum veterem interpretationem reſtrictus fuit ad officiales, qui exercent juriſdictionem; ac proinde ſtatutum, Syndicos, Electos, Camerarios baronales, vulgo *Camerlenghi*, & Bajulos juriſdictioni ordinariorum Judicum cujuſque loci ſubjectos eſſe; etiam in his, quæ pertinent ad eorum officium: Sin autem dicti officiales aut ex privilegio, aut ex conſuetudine juris dicendi facultatem habent, hoc eſt juriſdictionem exercent; tunc ritum obtinere; ſcilicet ob delicta in adminiſtratione juriſdictionis commiſſa, Magnæ Curiæ eos ſubeſſe; idque intelligendum non minus in locis demanialibus, quam baronalibus. Hic autem videtur locus eſſe noſtrorum Doctorum diſtinctioni, de qua etiam diximus *cit. lib.* 2. *c.* 12., inter ejuſmodi officiales, nam qui ſunt in locis demanialibus, immediate ſubſunt Magnæ Curiæ; qui in baronalibus, Regiis Audientiis.

C A P U T X.

Exponitur quid noviſſimis pragmaticis ſtatutum ſit circa munus Adminiſtratorum cujuſque Univerſitatis.

QUONIAM experientia docuit, utplurimum Adminiſtratores Univerſitatum privatæ utilitati ſtuduiſſe, unde pleraque ſibi permittebant; quæ nec ratione, nec lege conceduntur iis, qui procurant, geruntque aliena negotia: ideo opus fuit remedio legum ſpecialium, quibus decerneretur quid permiſſum, quid prohibitum ſit Syndicis, Electiſque. Quod utique non fuiſſet neceſſarium, ſi ex bona fide, & ex præſcripto legum generalium circa adminiſtrationem rei alienæ actum foret. Sed quoniam nec novis legibus vis ſua tribuitur, ſive incuria, ſive malitia exequutorum; propterea confuſio rerum agendarum, & mala adminiſtratio in Univerſitatibus permanet adhuc. Ut autem ſatis inſtituto noſtro faciamus, & ut cognoſcatur, nihil deeſſe legibus Regni pro bono publico, breviter eas conſtitutiones explicemus.

II. Primum omnium diligens de publica pecunia habenda eſt cura, ne privatis impendiis deſerviat. Quo reſpicit *prag.* 5. *de adminiſtr. Univerſ.*, qua mandatur, ſuſceptores, vulgo *Exactores*, peculiarem habere debere arcam, ibique deponere *in ſpecie* pecuniam ſuſceptam, *exactam*; eamque duabus clavibus clauſam, quarum unam ſervabit ipſemet *exactor*; alteram perſona communi conſenſu Univerſitatis ad id electa. Quamvis *pragmatica* munus exactionis innuat vel Syndici eſſe poſſe, vel alterius perſonæ deſtinatæ; attamen in oppidis, & vicis id potius permittendum eſt;

eſt; at in locis frequentioribus videtur utilius, ſi Suſceptor diſtinctus ſit a Syndico. Quod in exactione indictionis pro ſingulis familiis, vulgo focularibus, decernitur in *prag.* 14. *eod. tit.*, ubi tale onus imponitur, ut qui pretio conducti homines ex cultura agrorum vivunt, ſolvere teneantur carolenos quindecim in annos ſingulos; qui dant operam rei ruſticæ, triginta; reliquum vero pro virili parte præſtare teneantur qui honeſtioris conditionis ſunt cives. Decernitur, inquam, in hac pragmatica, ut Arcarius, vulgo *Caſſiere*, eligatur pro pecunia conſervanda ex indictione ſupradicta. Hujus generis officium novum non eſt, etenim in Codice Theodoſii, & Juſtiniani legitur titulus, *de Suſceptoribus*, *Præpoſitis*, & *Arcariis*. Suſceptores, hoc eſt qui ſuſcipiebant collationes a provincialibus, ſive poſſeſſoribus fundorum, diverſi generis erant ſub Imperio Orientali: quidam dicebantur ſpecierum, ſive canonis, hoc eſt certæ præſtationis, quæ fiebat in frumento, vino &c. quidam auri, argenti, hoc eſt pecuniæ. Præpoſiti dicebantur cuſtodes horreorum, in quibus ſpecies fiſcales, inquit Cujacius, deponebantur. Arcarii, quibus tradebantur ſervandi redditus ſuſcepti, ſive exacti, in arca publica: hinc legimus *fiſcalis arca*, *ratiocinium arcæ* in *l.* 13. *C. cit. tit.* Multæ extant prudentiſſimæ Imperatorum Orientalium leges in *eo tit.* circa diligentem curam, adminiſtrationem, redditionem computorum &c. de pecunia publica; unde poſſent & ab illis ad rem noſtram exempla peti. Sed pergamus, explicando reliquas leges Regni. In *eadem pag.* 5. præcipitur, publicam pecuniam ſeparatim habendam, nec miſceri poſſe cum privata Adminiſtratorum: ne detur occaſio promiſcui uſus. Hinc in §. 2. injungitur pœna quatrupli adverſus eos, qui pecunia Univerſitatis utuntur ſive pro ſe, ſive pro commodo amicorum, aut conſanguineorum. Et quo facilius hæc fraus poſſit detegi, ſtatuitur, quartam partem pœnæ accuſatori dandam; reliquum vero inter fiſcum, ipſamque Univerſitatem dividendum. In §. 3. adimitur facultas ſive Syndico, ſive Arcario quidquam erogandi ex pecunia publica abſque mandato Electorum, in ſcripturam redacto, in quo exprimi debet juſta cauſa erogationis, ſcilicet pro neceſſitate, aut utilitate Univerſitatis. Quod ſi cauſa non adpareat legitima, non tantum pecunia erogata periculo erit Electorum, qui ſubſcripſerunt mandatum, ſed etiam illi præſtabunt duplum, dividendum eadem ratione, ac modo diximus, inter Accuſatorem, Univerſitatem, & Fiſcum. Permittitur tantum Syndico, ſua tantum ex auctoritate, modicas impenſas facere, ſcilicet quæ non excedunt carolenos quinque. Ut autem hæc omnia diligenter ſervarentur, ſtatutum eſt in §. 4, ut qui rationibus examinandis deſtinati ſunt, omni cura inſpicere debeant, utrum mandata ab ſolvendum facta ſint ex juſta cauſa ab Electis; & utrum quid impenſum ſit abſque mandato ultra prædictam ſummam; quibus caſibus ſtatim certiorem facere debeant Officialem pro exactione pœnæ. Quod ſi ſecus factum fuerit, ipſi Rationales de ſuo tenentur; & præterea ſolvent in pœnam negligentiæ, aut malitiæ, uncias auri vigintiquinque. In §. 5. in quatruplum condemnantur Syndicus, aut quivis alius deſtinatus exactioni & conſervationi pecuniæ Univerſitatis, præter aliam pœnam arbi-

Digitized by Google

arbitrio Principis, quoties libros computorum bona fide non fecerint, præſcribendo quidquid exegerint nomine Univerſitatis, & quidquid ex vera, & legitima cauſa impenderint.

III. Quæ ſequuntur in *eadem pragm.* pertinent etiam ad evertendas, coercendaſque uſitatas fraudes Adminiſtratorum. In §. *6.* mandatur, in locationibus rerum Univerſitatis, ſive publicorum redditeum, omnem diligentiam, bonamque fidem adhibendam; nec poſſe admitti in partem conductionis ipſos Adminiſtratores aut directe ſuo nomine, aut alieno. Non diſſimilis prohibitio ex jure Romano colligitur, vid. *l.* 2. §. *& ideo D. de adminiſtr. rer. ad civit. pertin.*, *& l. non licet* 46. *D. contrah. emt.* Locationes autem ejuſmodi, mandatur in §. 8., fieri debere ſubhaſtationibus ſolemnibus, & conſuetis in quacumque venditione, aut locatione rerum publicarum; necnon præſtitis idoneis fidejuſſionibus, ne damno Univerſitates afficiantur: quod ſi acciderit ex culpa Adminiſtratorum, ipſi tenentur in omne id quod intereſt. Culpa variis modis deprehenditur, veluti ſi fidejuſſores minus idoneos, ſi rem obligatam, aut fideicommiſſo, aut aliis oneribus obnoxiam, diligenter non perſpexerint, unde penſiones locationum exigi non poſſunt. Tenentur autem illi & diligenter inquirere in ipſos conductores, repellendo nominatim, qui ex aliis conductionibus ſatis non fecerint Univerſitati. Qua in re verba Pauli expendenda ſunt in *l. 9.* §. 1. *D. de public. & vectigal. Reliquatores vectigalium* (intellige qui ex conductione vectigalium integrum non ſolverunt, ſed aliquid reliquum eſt, ut ſolvatur) *ad iterandam conductionem, antequam ſuperiori conductioni ſatisfaciant, admittendi non ſunt. Debitores fiſci, itemque Reipublicæ, vectigalia conducere prohibentur; ne ex alia cauſa eorum debita onerentur: niſi forte tales fidejuſſores obtulerint, qui debitis eorum ſatisfacere parati ſunt.* Vide & *l. 6.* §. *debitores D. de munerib. & bonor.* Solutiones ex debitis fiſcalibus ut promtæ ſint, paratæque, varia decernuntur, ut videre eſt in *tit. pragmaticarum de Commiſſariis & Exequutoribus*, præſertim in *prag. 7. ejus tit.* ubi in §. 4. 5. *& 6.* præſcribitur modus ea de re Adminiſtratoribus, nempe aſſignando certa corpora vectigalium, de quibus in poſterum nihil detrahere poſſunt ad alium uſum; & quo ſciatur, quænam ſint corpora aſſignata, debent Adminiſtratores ea deſcribere in tabella, atque in æde publica omnibus inſpicienda collocare. Hoc autem ideo proviſum eſt, ut *Commiſſarii* deſtinati ad exactionem, ſtatim poſſint adverſus ipſos conductores vectigalium ſeſe dirigere pro exequutione: quibus deficientibus & ipſi Adminiſtratores tenebuntur. Debent autem hi Commiſſarii ab injuſtis exactionibus abſtinere, prætermittendo quod ſui muneris eſt; idque proviſum adparet in *pragm. 6. cit. tit.*, in qua jubetur, præter legitimum ſalarium carolenorum duodecim in ſingulos dies, nihil amplius eis præſtandum ab Univerſitatibus; præſertim obtentu dilationis ad ſolvendum. Imo ſi quid datum ſit eo nomine, gravis pœna ibi decernitur, quam uſus abrogavit; ſcilicet relegationis per triennium adverſus nobiles, triremium adverſus ignobiles. Verum addit pragmatica, a pœna exemtum eſſe eum, qui ad ſuperiores retulerit quidquid illegiti-

me

me ſolutum eſt; idque ea ratione, quia in his caſibus cenſentur ſolutiones factæ vi, metuſve cauſa. Quemadmodum & in alia ſpecie ejuſdem *pragmaticæ*; ubi prohibetur ab Adminiſtratoribus Univerſitatum, & particularibus civibus quidquam dari perſonis publicis commeantibus, veluti Scribis, Apparitoribus, Commiſſariis &c. ſub gravi pœna relegationis, aut triremium, quam evitabunt qui certiores fecerint ſuperiores. In *ead. pragm. 6.* imponitur Gubernatoribus locorum, ut ſi perſonæ ejuſmodi contra formam juris aliquid admiſerint, diligenti inquiſitione habita, & in ſcripturam redacta, ſtatim eam ad Principem tranſmittant. Cavetur etiam, ut pœna falſi, & publicationis bonorum coerceantur Adminiſtratores, quoties in libris computorum, quod dederunt ſupradictis Commiſſariis, annotaverint ſub aliis nominibus, hoc eſt aliis cauſis ſolutionum adjectis.

IV. Quæ Univerſitati debetur, iiſdem legibus ſubjicitur, ac pecunia debita fiſco; ſiquidem præcipue onera Univerſitatibus impoſita ſunt pro pecunia fiſcali perſolvenda; unde in *cit. prag.* 5. §. 15. ſtatuitur, ut ex redditibus vectigalium, aliarumque rerum cujuſque Univerſitatis primo loco præſtetur quidquid aſſignatum eſt Fiſco Principis, vel creditoribus, qui ex venditione, aliove modo in locum fiſci ſucceſſerunt, & vulgo a noſtris dicuntur *Fiſcalarii*. Deinde quod debetur ſingulis annis aliis creditoribus uſurarum nomine. Demum quod ſupereſt, ſit pro liberatione nominum; hoc eſt, ut vulgo dicimus, *ad extinguenda debita* Univerſitatis. Ubi vero hæc nomina nulla ſunt, ne pecunia publica ſit otioſa, impendi debeat in emtionem rerum frugiferarum; excepto tantum, niſi neceſſitas expoſtulet pro reparatione murorum, pontium, aut pro aqueductibus reſtituendis. Et pœna additur quinquaginta unciarum auri, quoties adverſus ea factum fuerit. Illud autem notandum eſt ex *prag.* 18. §. 3. *eod. tit.*, ubi agitur de ſolutione facienda creditoribus, inter eos præferri, qui contraxerunt cum Univerſitate per publicum inſtrumentum, vulgo *creditores inſtrumentarii*, idque ſecundum formam, & rationem juris; nam licet ex generali regula, primus creditor præfertur poſteriori; tamen exceptio habetur ex *l. ſcripturas* 11. *C. qui potiores*, qua efficitur, ut ſi duo ſint creditores ejuſdem debitoris, quorum uni fuerit cautum privata ſcriptura, alteri publica, ſive inſtrumento legitimis ſolemnitatibus confecto, & hi agant actione perſonali; tunc præferatur qui prius confecit ſcripturam; ſin autem actione reali, præferatur creditor ex publico inſtrumento. Ratio vel eſt favor publicæ ſcripturæ, cui major fides adhibetur; vel quia privata ſcriptura non poteſt tertio præjudicium adferre, *l. 5. & 6. C. de probation.* Quod utique eveniret, cum debitor, & creditor poſterior inter ſe colludentes, diem appoſitum in privata ſcriptura facile poſſent immutare, aut noviter eam formare. Quod non timetur in inſtrumento confecto ſolemniter per perſonas publicas. Additur in *ead. l.* 11. exceptio, niſi ſcriptura privata tribus teſtibus idoneis ſit ſubſcripta, tunc enim ceſſat ratio ſuſpicionis, unde præfertur creditor ex ea, ſi fuerit prior tempore. Hæc exceptio, moribus noſtris non ſervatur, fortaſſis quia facile inveniri poſſunt teſtes pretio, aut alio modo corrupti, unde in utilitatem poſterio-

Digitized by Google

ris creditoris conficeretur ſcriptura. Quæ eadem ratio efficit, ut *apocha*, quæ dicitur *bancalis*, licet ſcriptura ſit publica, quoties fit per publicum Notarium; nihilominus hac in parte conſideretur, ut privata, quia creditores ex ea nunquam præferuntur creditoribus ex inſtrumento: ſiquidem, cum Notarii, ut diximus *lib. 5. cap. 6.* non ſoleant apochas in publicos libros redigere, ſeu in protocollum, ut fit de inſtrumentis, facile poſſunt noviter confingi, & falſo fidem facere de negotio antea geſto. Et propterea *d. l.* 11. uſus fori intelligit tantum de illis ſcripturis, quæ ſpecialiter adpellamus inſtrumenta; etſi hoc vocabulum generaliter comprehendant omnes ſcripturas, unde Judices inſtruuntur ad cauſam. Igitur cum in *cit. prag.* 18. §. 3. ſtatuatur, inter creditores primo ſolvendum *inſtrumentariis*; id intelligitur, quoties pro ſe habent publicum, ſolemne. & *guarentigiatum* inſtrumentum.

V. Ut exactio pecuniæ Univerſitatis promte fiat, & incontinenti, poſtquam venit dies ſolutionis, ne inde occaſio præbeatur Adminiſtratoribus, cur ſuo loco, & tempore non ſolverint fiſco, & creditoribus; in *cit. prag.* 5. §. 11. hic modus præſcribitur: Debent illi adire Judicem ordinarium loci, ab eoque petere per libellum, ut cives debitores Univerſitatis compellantur ad ſolvendum: Judex poſtquam cognovit petitionem eſſe juſtam, tenetur *ſtatim* (ſunt verba pragmaticæ,) *& in continenti, ſummarie, ſimpliciter, & de plano, ac ſine ſcriptis & figura judicii, etiam non ex ſcripto juſtitia mediante*, non minus in rem, quam in perſonam adigere ejuſmodi debitores ac ſatisfactionem debiti. Nec proinde quidquam ſportularum nomine Judici, apparitoribuſque præſtandum eſt. Quod ſi ille id facere neglexerit, condemnabitur judicio Syndicatus. In *prag. ult. ejuſd. tit.*, quo facilior, atque expeditior inveniatur metodus promtæ ſolutionis pro debitis Univerſitatum, varia ſtatuuntur; præſertim ut uſuras tantum quinquunces creditoribus præſtentur, licet majores in inſtrumentis promiſſæ fuerint. Quod non videtur iniquum, tum quod licet aliquando Principi pro bono publico; præſertim ubi neceſſitas exigit, (ut erat tempore ejus pragmaticæ, cum ex contagio nuper Regnum liberatum fuerat) aliquid decernere cum damno privatorum; tum quod partim negligentia, & malitia, ſub immodicis uſuris redditus Univerſitatum aſſignati fuere. Jubet præterea pragmatica, pro ejuſmodi annuis redditibus exteros creditores teneri ad onus quod vulgo dicimus *bonatenenza*. cui omnes exteri obnoxii ſunt, poſſidentes bona, in territorio Univerſitatis; idque non eſt contrarium æquitati, quoniam exteri in loco, ubi poſſident bona, non commorantes, cum ſoluti ſint a communibus oneribus, ſaltem aliquid præſtare debeant ratione bonorum. Ipſimet vero cives tenentur ad ordinarium *onus collectarum*. Hæc diſtinctio inter exteros, & cives ratione onerum realium; non videtur legibus, moribuſque Romanis convenire; etenim cenſus ſive æſtimatio, taxatio, qua modus continebatur tributi, fiebat pro quantitate poſſeſſionis, nec mutabatur, mutato poſſeſſore; nam onus reale jam impoſitum erat; & nihil referebat, utrum civis prædium jam cenſitum poſſideret, an alius. Quod autem ſcribit Auctor *juriſpr. forenſ. tom. 4. c. 14. tit. de collect. bonaten. &c.* ægri inſomnia ſunt.

Digitized by Google

ſunt. *Bonatenentia non datur ratione uſus rei, prout dantur gabellæ collectæ, & alia vectigalia; ſed ſolummodo ratione ſoli, & fuit cognita etiam antiquitus a primis Juriſconſultis, ut conſtat ex l. 2. §. ſi quis nemine prohibente D. ne quis in loco publico, ibi ſolarium ei imponere &c.* Si huc ab inferis evocari poſſet Ulpianus per necyomantiam Stephani Forcatuli, acerrimis ſane verbis inveheretur adverſus Auctorem prædictum, utpote qui ejus verbis alienum, atque abſonum ſenſum affinxerit. Et ſane agit ibi Juriſconſultus de interdicto Prætorio, *ne quid in loco publico fiat*, cujus exequendi gratia & privato cuicumque licet opus novum nunciare, quia agitur de damno publico; & ſi quid fiat poſt nunciationem in publico, demolitur *l.* 1. §. *nunciatio ſit D. de novi oper. nunciat.* Multo magis ſi prohibeatur ab ipſo Prætore. Sin autem nec nunciatum ſit, nec prohibitum, habetur pro illicito ædificium extructum in loco publico; verum non demolitur ex ſententia Juliani in *l. ult. D. ne quid in loco publ.* ea ratione, *ne urbs deformetur ruinis*. Ulpianus in *cit. l.* 2. id ipſum confirmans ſic nos docet: *Si quis, nemine prohibente, in publico ædificaverit, non eum cogendum tollere, ne ruinis urbs deformetur; quia prohibitorium eſt interdictum, non reſtitutorium. Si tamen obſtet ædificium id publico uſui, utique is, qui operibus publicis procurat, debebit id deponere: aut ſi non obſtet, ſolarium ei imponere; ſic enim vectigal hoc adpellatur, ex eo quod pro ſolo pendatur.* Nonne Ulpianus riſu exciperet, ſi cui in mentem veniret, ex his verbis deducere, quod ab exteris ſolvitur pro prædiis in beneficium Univerſitatum? Solarium in uſu juris intelligitur quod ſolvitur ratione ſoli, quod cum ſit alienum, penditur ab eo, qui ædificium in eo habet. Nec diſſimile eſt quod idem auctor allegat ex *l. cum ſervus* 39. §. *heres D. de legat.* 1., ubi Juriſconſultus proponit, onera prædiorum, quæ ſolvere debuiſſet teſtator utpote debita hereditaria, ad heredem, aliter vero deinceps, poſtquam dies legati ceſſit; quia cum prædia jam facta ſunt legatarii, ad eum pertinent, tanquam ad dominum, eundemque poſſeſſorem: dum autem quæ ſint onera docere vult, his exemplis utitur: *vectigal, tributum, vel ſolarium, vel cloacarium, vel pro aquæ formia*. Pro ſolario intelligitur quod ſingulis annis præſtatur aut publico, aut privato, ratione ſoli (vulgo nunc dicimus ſive *cenſum*, ſive *redditum*) Cloacarium erat penſio annua, quæ ſolvebatur a dominis ædium pro cloacarum purgatione. Pro *forma aquæ* aquæductus publicus intelligitur, cujus reficiendi gratia erat quoque annua præſtatio impoſita. In *l. ſi pendentis* 33. §. *ſi quid D. de uſufructu* dicitur *forma aquæductus*. In *Cod. Theod. formæ* ſimpliciter nominantur aquæductus publici, aut *formarum meatus*. Fortaſſis inde uſus loquendi in hac civitate, ut loca, in quibus privatarum ædium aquæ e publico deductæ conſervantur, dicantur vulgo *formali*, quaſi aquæ deductæ e formis publicis.

VI. In *ead. prag. ult.* §. 5. prohibentur alienationes, atque hypothecæ ſuper vectigalibus Univerſitatum; necnon locationes ultra annum, ſolutis ante tempus penſionibus. Et ratio illa videtur: quia utplurimum ejuſmodi contractus fiunt cum damno publico; nam Adminiſtratores, ut pecuniam habeant in præſenti, conſentiunt facillime ejuſmodi contractibus,

Digitized by Google

bus, etiam cum remiſſione juſti pretii, aut penſionis. In §. 7. prohibitio alienationis, atque hypothecæ ampliatur ad omnia, quæ propria ſunt Univerſitatis, bona. Additur & pœna, ut contractus ipſo jure ſit nullus, ut repetitio pecuniæ ſolutæ non detur emtori, & ut eadem quantitas ſolvatur ab ipſis Adminiſtratoribus, qui illicitæ conventioni conſenſerunt. Permittuntur tantum ejuſmodi alienationes, atque obligationes, juſta cauſa exiſtente, licentia impetrata ſit a Principe. Providetur etiam in §. 11. *eod. tit.*, ne ab Adminiſtratoribus accipiatur pecunia ſub uſuris annuis, vulgo *a cenſo*, obligatione conſtituta ſuper bonis particularium civium, cum conditione tamen *aſſenſus Regii impetrandi* pro obligatione Univerſitatis, qui aſſenſus poſtmodum non impetratur. Recte quidem hoc prohibetur, & contractus ſit quoque nullus, utpote in damnum & publicum & privatum, quia, ut exprimitur in *pragmatica*, qui obligantur cives, ſolent ex ditioribus, & potentioribus eſſe, unde curabunt alio modo excerpere ex redditibus Univerſitatis quod ipſi ſolverunt: ſi nequibunt, redacti ad inopiam etiam graves erunt publico. Prohibetur in *ead. prag.* pecuniam dare Adminiſtratoribus, conventione inita ſecundum pretium imponendum frumento, oleo &c. vulgo *alla voce*. In *prag.* 10. eadem ratio, ne ex ejuſmodi contractibus nimium ære alieno graventur Univerſitates, (quod olim fieri conſueverat quotidie: unde hodie tanti mali patiuntur incommoda, quibus miſerandum remedium allatum eſt ceſſionis bonorum) efficit, ut contractus collybiſtici prohibeantur Adminiſtratoribus, ſive pecuniam accipere ad cambium, ut ait *prag.*, etiamſi fuerit ex cauſa urgentiſſima; idque ſub pœna amiſſionis pecuniæ, cujus duæ partes vindicantur fiſco, reliquum datur accuſatori, præter corporalem pœnam arbitrio Principis infligendam ei, qui pecuniam dedit, & Adminiſtratoribus; necnon Notario, a quo conficitur inſtrumentum. In *prag.* 12. jubetur, Adminiſtratores, & *deputatos* Univerſitatum congregari non poſſe abſque Regis licentia, ad donandum quid, etiam favore piæ cauſæ, vel ſalarium alicui conſtituendum, & poſt licentiam, quod pro iis cauſis decretum eſt, tenentur illi referre ad Principem, ut conſenſum præſtet.

VII. Quoniam in *cit. prag.* 5. §. 20. commiſſum fuit Baronibus, utpote qui a noſtris dicuntur primi cives in ſuis feudis, ut invigilarent, quo omnia legitime peragerentur ab Adminiſtratoribus, & rationes diligenter ſuo tempore redderentur: ideo illi plus juſto cœperunt negotiis publicis ſe immiſcere, unde experientia docuit, eos utplurimum curam pro Univerſitatibus transferre in ſuam utilitatem. Et propterea neceſſarium fuit, novam legem rogare, quæ eſt *prag.* 19. *eod. tit.* (*in nova editione*, eaque primo loco ſtatuitur, liberam facultatem relinquendam Adminiſtratoribus circa vectigalium locationes, capitationes, & reliqua, unde redditus publici proveniunt; nec poſſe Barones ſive directe per ſe, ſive indirecte per alienas perſonas iis negotiis ſeſe immiſcere. Deinde nullus ipſo jure abſque Regio aſſenſu decernitur eſſe contractus inter Barones, & Univerſitates initos, præſertim pro conſtituendis defenſis in prædiis publicis, vulgo in demanio Univerſitatis. Barbara ſunt hæc vocabula *defenſæ*, & *demanium*, ſive loci dema-

maniales. Demanium ſequiori ætate abſolute pro *dominium* dixere Galli, & Angli, vid. Cangium in *gloſ.*; poſtmodum tale vocabulum in legibus noſtris aptatum eſt ad res immediate ſub dominio Regis, & ad res Univerſitatum, ut diſtinguerentur ab illis, quæ datæ erant in feudum. Defenſæ apud Longobardos, & Normannos dicebantur ſylvæ Principis, quæ cuſtodiebantur, & ab aliorum ingreſſu defendebantur. Lex Longobardorum *lib.* 3. *tit.* 35. ſic ait: *De foreſtis noſtris ut ubicumque fuerint diligentiſſime inquiratur, quomodo ſalvæ ſint, & defenſæ.* Hinc notat idem Cangius, inter conſuetudines Normanniæ *art.* 81. legi prata defenſa, ſcilicet in quæ non licet immittere animalia pro paſcuis. Eodem ſenſu in capitularibus Caroli Magni legitur; *herbæ defenſæ, vineæ defenſæ venatio defenſa, mare defenſum,* hoc eſt ſtagnum, ſive ſinus maris, qui poteſt eſſe in dominio privato. Igitur cum loca damanialia omnibus civibus communia ſint, quoties ex iis locis certa portio includitur, & prohibetur uſus communis: vulgo adpellatur *Defenſa*. Quod utique licite ſit ab Univerſitate, ubi publica neceſſitas, aut utilitas id expoſtulat; verum non licet Baronibus, nec etiam ex conſenſu vaſſallorum, niſi impetrata prius ea de re facultas fuerit a Rege, prout ſtatutum legimus a Carolo V. in *prag.* 11. *de Baronib.*, cujus ætate abuſus factus erat intolerandus, unde ſic præfatur Imperator, *Audivimus, quamplures Barones in dies in territoriis Univerſitatum, vel communibus* (intellige communibus cum aliis Univerſitatibus vicinis) *novas defenſas, ſive foreſtas, aut clauſuras facere per Regni capitula, & pragmaticas, prohibitas*. In *notis ad d. prag.* citatur capitulum *item boves* 85., quæ eſt conſtitutio Caroli I. Andegavenſis: in qua tamen agitur non de defenſis in territoriis Univerſitatum, ſed in territoriis Regiis; eæque intra certum modum permittebantur *Magiſtris Foreſteriis* (hi erant Præfecti omnibus paſcuis, nemoribus, ſylvis, ad Regale patrimonium ſpectantibus) quemadmodum & Juſtitiariis provinciarum: ſed Carolus I. prohibuit, ne deinceps novæ conſtituerentur; fortaſſis quia ſua facultate illi abutebantur cum damno Regiæ Curiæ. Citatur etiam in notis *pragmatica* 1. §. 4. *& 9. de ſalario eor. &c*; quæ tamen eſt generalis ſanctio Ferdinandi I. Aragonenſis, ubi libera facultas, quæ antea ceſſaverat, reſtituitur civibus cujuſque Univerſitatis utendi paſcuis, nemoribus communibus; *illis dumtaxat exceptis* (ſunt verba pragmaticæ) *quæ noſtris ſolatiis ſunt deputata* (intellige pro venatione) *& pro uſu noſtrorum Aratiorum* (Regia equaria dicitur in notis; hoc eſt loca ubi equi, & equæ paſcuntur, & detinentur ad fœturam pro commodo domus Principis, & pro reſtituendo, inſtaurandoque militari equitatu: vulgo dicimus *Razze Regie*). Statuit præterea Rex, omnes defenſas noviter inſtitutas, *ab omnibus cujuſvis conditionis, dignitatis, gradus, prærogativæ,* dimittendas eſſe, hoc eſt abolendas, fundoſque publicos in priſtinum ſtatum reſtituendos. Demum hæc addit notabilia verba: *ita ut liber ſit illis uſus, quibus ante competebat; quoniam & ſi qua ſuper illis inſtituendis a nobis conceſſio forte fuerit obtenta, eam tenore præſentium de noſtra certa ſcientia revocamus: cum noſtræ intentionis non fue-*

fuerit, *neque ſit*, *id concedere*, *quominus ſuo jure uterentur hi*, *quibus in illis jus antea competebat*.

VIII. Ne Adminiſtratoribus, obtentu publicæ neceſſitatis, liceat privatis commodis ſtudere, cautum fuit, & recte in *prag.* 4. *cit. tit. de adminiſtr. Univerſit.*, ut quoties in hanc civitatem, aliumve in locum mittendus aliquis e numero civium ſit, ſive ad litem, ſive ad aliud negotium Univerſitatis expediendum, id fieri non poſſit privata auctoritate Adminiſtratorum; ſed in publicis comitiis, ut idonea perſona deſtinetur, quæ nullo neceſſitudinis vinculo conjuncta ſit ipſis Adminiſtratoribus; aliter ſalarium ei aſſignatum cedet damno ipſorum, non Univerſitatis. In *prag.* 6. *eo tit.* additur, procuratorem nomine Univerſitatis non admittendum ſub pœna unciarum auri centum, aliaque arbitraria, niſi habeat mandatum in ſcriptis, conſueta forma confectum, & auctoritate publica firmatum. Neceſſarium fuit & aliis fraudibus occurrere; nam ſolebant civium nonnulli, procuratores pro Univerſitate electi, eodem tempore aut ſuis, aut amicorum, conſanguineorumque negotiis vacare, pro quibus expediendis mora longi temporis interponebatur; cum e diverſo negotium publicum breve ſpatium requireret: quo facto ſalarium pro *dietis* petebant, obtinebantque, colludendo cum Adminiſtratoribus, idque ampliſſimum, licet res Univerſitatis, utpote levis momenti, componi potuiſſet modico diſpendio. Et propterea in *prag.* 1. *cit. tit.* jubetur, non poſſe hujuſmodi procuratoribus deinceps ſalaria decerni ab Adminiſtratoribus; ſed id fieri debere, cauſa cognita, a Judicibus eorum Tribunalium, ubi actum fuit de negotiis, pro quibus procurationem ſuſceperunt; perpenſa ſcilicet diligenter tum qualitate perſonarum, tum laboris, tum mora neceſſaria. Eadem ferme confirmantur in *prag.* 7., ubi & graviſſima pœna decernitur, ſcilicet relegationis per triennium nobilibus, triremium ignobilibus; idque tam adverſus ipſos Adminiſtratores, quam procuratores, qui contra eam conſtitutionem fecerint: præter reſtitutionem ejus, quod datum, acceptumque eſt. In *ead. prag.* advertitur, mittendos non eſſe hujuſmodi procuratores, niſi ex cauſis *urgentiſſimis*; cum ordinaria negotia, liteſque committi poſſit advocatis, procuratoribuſque, qui ſolent ab unaquaque Univerſitate haberi cum annuo ſalario tum hic, tum in civitatibus Audientiarum. Quoties res ipſa expoſtulat, ut ipſemet Syndicus pro negotio publico ſeſe debeat in hanc civitatem conferre, ne ſuo arbitrio in rationes publicas referat impenſas pro itinere, & victu, prout olim fieri ſolebat; decernuntur ea de re in *prag.* 3. *eod. tit.* caroleni quinque in ſingulos dies. Additur, nec eam quantitatem ei perſolvendam eſſe, niſi habeat litteras Regias, exprimentes juſtam cauſam, & dies moræ.

IX. Cum generaliter quicumque rei alienæ adminiſtrator ſit: teneatur de adminiſtratione rationes reddere; multo magis id faciendum eſt, ubi agitur de publica re. Hinc omiſſis iis, quæ communi jure ſtatuuntur tum circa publicos adminiſtratores, tum privatos, ut ſunt tutores, curatoreſque, in rationibus reddendis: videamus poſtremo loco quid leges Regni peculiariter injungant Syndicis, Electiſque Univerſitatum. In *cit. prag.* 5. §. 12. injungitur iis, qui noviter Electi ſunt pro regimine, ut ſtatim prædeceſſores ſuos adigant ad redditionem com-

computorum, idque perficiendum jubetur intra menſem: qui, ubi debitores declarantur, ſtatim compellendi ſunt ad reliqua ſolvenda; ne damnum Univerſitati inferatur ex mora. Quod ſi facere neglexerint noviter Electi abſque juſta, & legitima cauſa, tenentur ipſi in omne id, quod intereſt. In §. *ſeq.* coercentur pœna unciarum auri viginti quinque, qui a debitoribus Univerſitatis non exegerint integram quantitatem, pro qua fuerunt condemnati (*ſignificati* ait *prag.*). Imo ſtatuitur, nullas eſſe conventiones, licet totius Univerſitatis nomine initas, ex quibus ceditur reliquorum petitioni. Eadem ferme in *prag.* 8. §. 8. & 9. *de commiſſariis & exequutoribus* confirmantur. Quoniam ex *cit. prag.* 5. §. 3. decernitur non poſſe ſive Syndicum, ſive quemcumque alium, cui publicæ pecuniæ conſervatio commiſſa eſt, impendere ſummam excedentem carolenos quinque, abſque mandato in ſcriptis omnium Electorum, in quo exprimi debeat cauſa legitima ejus impenſæ: ideo in §. 4. mandatur Rationalibus deſignatis pro redditione computorum, ut diligenter inquirant in quantitates expenſas, rejiciendo quæ ſunt ultra ſummam prædictam, nec habent mandatum Electorum; quæ autem habent, ſed in iis nulla adparet cauſa legitima, decernere debent, ut cedant damno ipſorum Electorum; qui inſuper condemnantur in duplum, quoniam auctores fuerunt impenſarum inutilium; cujus pœnæ quantitas pro æquali parte dividitur inter Univerſitatem, & Fiſcum. Rationales ipſi, qui ſecus fecerint, ultra damni præſtationem, damnabuntur in uncias auri vigintiquinque. In *ead. prag.* 5. §. 10. imponitur Adminiſtratoribus, ut, durante eorum officio, nihil prætermittant de neceſſaria cura & diligentia, quo cives ſuo tempore ſolvant quidquid præſtandum eſt pro oneribus impoſitis; ne reliqua exigenda vergant ad onus ſucceſſorum, qui poterunt illos compellere ad ſolvendum de ſuo, quod non exegerunt per incuriam, & quod intereſt Univerſitatis tempore ſolito exactam non fuiſſe. Excipit ſolummodo pragmatica quæ cives omnino impares oneribus non ſolverunt; idque eo tantum caſu cum tales fuerunt declarati ab ipſa Univerſitate, una cum interventu Gubernatoris, & Judicis. Excipit præterea nomina debitorum, quorum nondum venit dies ſolutionis, aut venit paulo ante finitum officium, unde probabile eſt, exigi non potuiſſe. Denique in §. 9. *ejuſd. prag.* jubetur, Syndicum, & ex civibus eum, qui electus fuit ad ſervandam clavim arcæ pecuniæ publicæ, ſtatim finito tempore adminiſtrationis tradere ſucceſſoribus arcam prædictam ſimul cum omni pecunia, quæ inibi continetur; & infra decem dies exhibere rationes integras, claras, & diſtinctas Rationali deſignato, aliiſque perſonis, ſecundum loci conſuetudinem; necnon eodem tempore exhibere omnes ſcripturas ad eam rem neceſſarias; ne in eos animadvertatur pœna pecuniaria quinquaginta unciarum auri, Fiſco ſolvenda. Hæ conſtitutiones neceſſarium duxi, ut integro ſenſu præſcriberentur, quo omnibus innoteſcat, quam ſpecialis & diligens ſit legum noſtrarum cura pro utilitate Univerſitatum Regni. Sed eædem cum publico damno minime exequutioni mandantur.

X. Prætermittendum hic non eſt quod ſapienter proviſum legitur in *prag.* 3. *de procuratoribus*. Quam periculoſæ plenum opus aleæ ſit Judi-

Digitized by Google

cantis munus obire, & in omnibus cauſis juſtitiæ æquitatiſque normam adhibere, eodemque tempore omnium ingeniis ſeſe adcommodare, nec cujuſquam querelis obnoxium eſſe; ſatis ſuperque & ratio demonſtrat, & quotidiana exempla confirmant. Hinc tot iniquæ accuſationes tot ſupplices ad Principem libelli, præſertim in Provinciis Regni adverſus eos, qui præſunt juriſdictioni, utplurimum per mendacium compoſiti ab hominibus perditi conſilii, quique potentiam affectando, injuſtis petitionibus, plebique mendicatis patrociniis eam comparare ſtudent. Et quo calumniis impoſturiſque color quæratur, ſolent non ſemel falſo nomine Univerſitatis uti, ut adpareat, injuriam, quam ipſi perſequuntur, publicam eſſe; adeoque & publice vindicandam. His igitur malis aliquod in *cit. prag.* 3. remedium allatum eſt, vetando, ne deinceps ad Principem preces porrigantur, aut libelli offerantur in quibuſcumque Tribunalibus adverſus Officiales, aliaſque perſonas nomine Univerſitatis, etiam ab iis, qui Procuratorum, Actorumve munere funguntur ipſius Univerſitatis; niſi adſit mandatum ſpeciale, cujus exemplar authenticum debeat in ipſis libellis inſeri; idque ſub pœna unciarum auri centum, aliaque corporali ad arbitrium Principis. Mandatum autem vult pragmatica etiam validum eſſe, quoties redactum adparet in litteras, ſubſcriptas ab Adminiſtratoribus, & publico ſigillo munitas. Ne autem ipſi Adminiſtratores privatas querelas Univerſitatis nomine proponere poſſint, ſtatuit etiam *pragmatica*, ut quoties publice accuſandus eſt *Officialis*, antea, *more ſolito, & conſueto*, comitia habeantur, & in illis decernatur quænam accuſationis ſpecies proponi debeant (vulgo *querelæ per capita*); & ſecundum ea, quæ communi voto approbata ſunt, componatur mandatum. In calce ejuſdem *pragmaticæ* jubetur, ut ſi quando in civitate adſit quis, & contra *Officialem* velit ſupplicem libellum offerre Principi, debeat illum ſua manu ſubſcribere; aut ſi litteras neſciat, ſubſcriptio adhibeatur manu Advocati, aut Procuratoris. Hoc autem ideo proviſum eſt, ne inanes, & calumnioſæ ab ignotis proponantur accuſationes, quibus aliquando libelli famoſi continentur.

CA-

Digitized by Google

CAPUT XI.

De munere Perceptorum, & Rationalium.

QUI ſub antiquis Regibus pro ſuſcipienda pecunia publica in Provinciis Regni aliis nominibus deſignati olim fuerunt Officiales, poſtmodum dicti ſunt Perceptores: quo nomine & in pragmaticis ſanctionibus adpellantur, & nos communiter utimur; quaſi Præpoſiti percipiendis pecuniis ab unaquaque Univerſitate. Et eodem tempore illi funguntur munere Suſceptorum, & Arcariorum, qui erant ſub Imperatoribus Orientalibus, prout diximus ſupra; nam & ſuſcipiunt, & ſervant pecuniam exactam. Differunt tamen a Suſceptoribus in eo, quod Perceptores in pecunia tantum numerata exigunt quod debetur Fiſco ab Univerſitatibus; at Suſceptores exigebant etiam ſpecies, ſecundum diverſa onera provinciarum; unde erant & Suſceptores veſtium, prout nominantur in *l.* 4. *&* 31. *C. T. de Suſceptorib. Præpoſit. &c.*, vid. *l.* 14. *C. eod. tit. lib.* 10., ſiquidem, aut ob commodum provincialium, aut quia in quibuſdam provinciis Imperii veſtes militares conficiebantur diligentiori opera; tributa & vectigalia in hac ſpecie ſolvebantur, vid. *tit. in Cod. lib.* 12. *de militari veſte*; ubi notabilis eſt *l.* 2., in qua ab Imperatore Valente præfinitur modus veſtium canonicarum, inquit Gothofredus, ſeu militarium annuatim conferendarum per provincias, & diæceſes Orientis. Noſtris temporibus id non uſitatur, nam ad veſtes militares, arma, aliaque ejuſdem generis conficienda pro uſu publico, ſolent conductores deſtinari.

II. Præcipua inter curas Perceptorum provincialium eſt circa exactiones ab Univerſitatibus; & propterea non fuit extra rem ſuperiori capiti hoc addere, ubi noviſſimæ proponendæ, atque explicandæ ſunt pragmaticæ, nam in antiquis noſtris legibus vix quidquam eſt huic tractatui congruens. Primum omnium Perceptores, ut adhibeant omnem curam in ſuo munere, non debent alienis negotiis ſe immiſcere; & propterea in *prag.* 75. §. 178. *de offic. Proc. Cæſar.* prohibetur illis, quominus procurationem exerceant exigendæ pecuniæ quorumlibet privatorum, etiamſi habuerint a Regia Curia redditus ſuper Univerſitatibus, hoc eſt eorum, quos *Conſignatarios* adpellat pragmatica; & additur pœna, ut ſi contra fecerint, prima vice amittant ſalarium unius anni, altera per biennium ſuſpendantur ab officio, tertia demum illud amittant in perpetuum. Prohibetur etiam Perceptoribus mercaturam exercere, *prag.* 48. *de offic. Procuratoris Cæſaris*, ubi aſſeritur, ea de re nominatim eos moneri, dum in provincias mittuntur. Præter mercaturam, ſive commercium, prohibet etiam *pragmatica*, ne res, quæ capiuntur, in vim exequutionis pro debitis fiſcalibus, & venduntur, ab ipſis Perceptoribus, aut ab aliis eorum nomine, aut ab exequutoribus comparentur. Hujus prohibitionis, li-

Digitized by Google

cet in *prag.* nihil ſit expreſſum, duplex reddi poteſt ratio: primo, quia ob ſpem habendarum rerum ab exequutione, & præſertim animalium, quæ carius vendi poſſent ſuo loco, & tempore; facile Perceptores ad exequutiones præproperas devenient, non ſine gravi damno, & incommodo provincialium: ſecundo, quia in licitationibus rerum vendendarum colluſiones facile intervenire poterunt, cum agant Perceptores de proprio lucro & commodo. In *ead. prag.* citantur duæ conſtitutiones Caroli V., quarum una inſerta eſt *prag. un. de mercatura official. prohib.*, quæ generaliter loquitur de omnibus iis, qui publica munera exercent; altera eſt in *prag.* 1. §. 5. *cit. tit. de offic. Procur. Cæſ.*; cujus verba, quia & alia continent notatu digna, Perceptoribus nominatim vetita, juvat hic referre: *Statuimus, & mandamus, ut Perceptores noſtri in provinciis eorum, nec per ſe, nec per miniſtros ſuos, aut alios quoſcumque, palam, vel occulte quidquam, ni pro eorum uſu emant, nec animalia ad veſcendum paſcua detineant; neque etiam eſculenta, & poculenta ab Univerſitatibus, vel ſubditis capiant, ſed propria proviſione remaneant contenti. Nec etiam pro retardatis exactionibus noſtræ curiæ debitis, vel pro reſtituendis exequutionibus factis, aliquid recipiant, ſub pœna amiſſionis proviſionis unius anni pro prima vice, & pro ſecunda ſub pœna privationis officii; in quam ipſo jure abſque aliqua declaratione incurrant, tam ſi ipſi quam ſi dicti eorum miniſtri prædicta commiſerint.* In cit. *prag.* 48. *in fin.*, dum fit mentio hujus conſtitutionis, additur: *verum quoad pœnam, mandamus ſervari pragmaticam præinſertam an.* 1536. Intelligitur *dicta pragmatica un. mercat. official. prohib.*, ubi, nulla facta diſtinctione, ſtatuitur pœna privationis officii, & alia ad arbitrium Principis; & prohibetur etiam ſub eadem pœna, *ne emant debita Curiæ ſeu chirographa, ut vulgo dicitur, liberantias debitas per Regiam Majeſtatem neque ſuper illis contractus alios facere; & qui contra fecerint, ultra dictas pœnas, perdant ipſo jure dictas liberantias, & nihil petere poſſint a Curia, neque ab iis, cum quibus contraxerunt.* Quod hic prohibetur, præter ſpecialem rationem, quia peſſimi exempli eſt, Officiales Regios in ſe trahere privatorum credita, quibus utantur adverſus Principem, cui ſerviunt, & de cujus ſalario vivunt; habet & generalem ex jure Romano, quo emtio actionis, ſeu ceſſio ex cauſa emtionis non prohibetur, ut ex *cit. Cod. de hereditate vel actione vend.* Verum ex *l. pen. & ult. C. mandati*, id valde reſtringitur, ait Cujacius, nam non poſſunt cedi actiones ſub pactione tertiæ, vel quartæ partis, ideſt ut procurator veniat in partem victoriæ; ſiquidem hoc eſt redimere litem, & de futuro eventu paciſci, & de victoria; quod eſt contra bonos mores, *l.* 1. §. *ſi cui cautum D. de extraordinariis cognit. l. litem* 15. *C. de procurat.* Emi etiam non poſſunt actiones parvo pretio; nam & hoc accedit ad redemtionem litis; ſiquidem emtor id agit, ut quod ſupra pretium conſequutus fuerit, ſibi habeat: & ita ferat partem futuri emolumenti. Et hoc etiam eſt contra bonos mores, ut quis emat actionem; unde alium vexet. Differt autem pragmatica a jure Romano, quod ex ceſſa ſibi actione; quam dedit venditori; reli-

quum

quum cedit lucro ipſius debitoris, ut idem Cujacius docet. Eſt & aliud diſcrimen in *d. l. penult.* quicumque contractus prohibetur redimendæ actionis gratia, etiam permutatio: quin idem eſt, ſi ceſſio partim donationis, partim permutationis titulo fiat, ſiquidem præſumitur ſimulata, *d. l. ult.* At ex ſimplici donatione valet, quia tunc ceſſat omnis ſuſpicio. Verum pragmatica, cum prohibeat generaliter omnes alios contractus, etiam videtur donationem continere; præſertim quod nimis abſurdum adparet, Officialem Regium eam proponere actionem, quam privatus non propoſuit. Quod diximus de Perceptoribus, in *cit. prag.* 48. nominatim & ad Magiſtros Portulanos pertinere decernitur, quoniam eadem ratio in his locum habet.

III. Cum maxime in omnibus publicis Adminiſtratoribus requiratur bona fides, in Perceptoribus præcipuo modo requiritur; aliter enim & publico ſummopere nocetur, & privatis. In *cit. prag.* 75. §. 6. generaliter jubetur, Perceptores libros dati & accepti omni perſpicuitate, & methodo conficere debere, præſertim exprimendo in ſpecie pecuniam exactam. Eadem repetuntur, & clarius deſignantur in §. 172. Accepta pecunia, tenentur apochas, ſive ſchedulas de recepto conficere, non notata, ſed præſcripta ſumma. In legibus Imperialibus non ſemel mentio fit hujus generis apocharum, quas tenebantur Suſceptores ſcribere. In *l. 6. C. cit. tit. de Suſceptoribus*, ſic jubet Valentinianus: *Frumenta, quæ horreis inferuntur, pro inlationis modo illico apocharum cautionibus annotentur*, vid. *l.* 27. & 32. *eod. tit. in C. T.* In *eod. C. T tit. de annona & tributis l.* 19. adpellantur *ſecuritates.* Pro removendis fraudibus, ut colligitur ex *cit. ll.* debebant ſuſceptores in apochis annotare nomen inferentis, diem, conſulem, menſem, cauſam, ſummam. Theodoſius Magnus, ſi contra factum eſſet, addidit pœnam: *Quiſquis poſthac* (ait Imp. in *l.* 18. *C. T. de Suſcept.*) *quam exactionis, vel ſuſceptionis provincia manet, non ſpecialiter, & quid, & in qua ſpecie, & ex quibus titulis, & pro qua indictione videatur accepiſſe, reſcripſerit, quatrupli ejus rei, quam debitor dediſſe ſe dicit, inlatione multetur. Officium quoque, niſi ad fraudes, ſi forte deinceps iteratæ fuerint, detegendas, tale commiſſum & inquiſitione ſubjaceat.* In legibus noſtris etiam agitur de fraudibus Perceptorum circa hujus generis apochas; ſed quæ committebantur cum publico damno, ſcilicet ut color aliquis prætenderetur moræ ſolutionis non factæ Ærario publico. Hoc equidem habetur ex *prag.* 1. §. 9. *de offic. Procur. Cæſar.*, ubi fraus ejuſmodi his verbis deſcribitur, eique remedium affertur: *Item expoſuerunt Majeſtati noſtræ* (ſunt verba Caroli V.) *quod Perceptores, perquirentes ſolutionem pecuniarum noſtrarum retardare, hac utuntur fraude, quod apodixas, quas exactores* (intellige perſonas deſtinatas a Perceptoribus pro exactione) *populis faciunt, iterum illas ſub data poſteriori refaciunt. Quibus providere volentes ſtatuimus, ut inde talia non attententur, ſed in apodixa ab exactore ſcripta Perceptores, aut eorum Locumtenentes ſubſcribant in eodem integro folio dietim, prout ſolutiones fiunt.* In ead. *prag.* 1. §. 8. injungitur Perceptoribus, ut ſtatim ac ex pecunia *exacta* confecerint ſummam *uſque ad ducatos quingentos*, eam tranſmittant ad Ærarium publicum (Regiam Theſaurariam, ait *prag.*). Cum

autem

Digitized by Google

autem uſu compertum fuiſſet, hoc modo impenſas nimium frequentes eſſe pro tranſvectione pecuniarum; ideo alia inducta fuit ea de re forma, ut legitur in *prag. 56. eod. tit*, ut ſcilicet Neapolim ſingulis menſibus tranſveheretur pecunia.

IV. Coercentur in *cit. prag.* 75. §. 12. & variis pœnis fraudes Perceptorum, quoties exigunt ab Univerſitatibus pluſquam illæ revera debent Ærario Principis. Et quo eorum computa proponantur bona fide in Regia Camera, jubet *ead. Prag. in* §. 10., ut præſtetur juramentum, dum illa exhibentur; ejuſque rei atteſtatio in calce computorum notari debeat a Rationali. Rationalium enim munus in Regia Camera, in eo potiſſimum verſatur, ut diligenti examine rationes Perceptorum provincialium inſpiciant; quemadmodum & quæ redduntur ab Adminiſtratoribus Univerſitatum, quoties de iis adpellatio, aut reviſio proponitur in eodem Tribunali. Hinc plures fuerunt noviſſime promulgatæ leges circa officium horum Rationalium, qui licet antiquitus juriſdictionem habuiſſent in cauſis fiſcalibus, imo & eorum tantum Collegium fuiſſet competens pro omni eo, quod intererat patrimonii Regis; tamen poſtea ex nova inſtitutione Præſidentium, facultas eorum ad ſolas computorum excuſſiones redacta fuit. Verum in his aliquam juriſdictionis partem habent; quandoquidem dubitatum olim fuit, utrum in ferendis ſuffragiis in Regia Camera adhibendi eſſent Rationales, an ſecus. Rem dubiam faciebant capitula Friderici Regis; & Carolo V., quæ referuntur in *prag. 7. cit. tit. de offic. Procur. Cæſar.*, ex quibus id remittebatur arbitrio Locumtenentis, *prout negotii, & cauſæ merita exigebant*. Verum in fine ſic concludit pragmatica: *Hoc quidem nec uſu receptum fuiſſe diximus, nec rectæ adminiſtrationi juſtitiæ convenire; ſed longo uſu conſuetum eſſe, Rationales, computa eis commiſſa referentes, dubia in pauca proponere, in quibus decidendis ejuſdem Rationalis tantum referentis, & demum Præſidentium exquiri vota, & non aliorum*. Quod ſpectat ad computa Adminiſtratorum Univerſitatum, olim aut quia non reddebantur ſuo tempore, aut quia inquiſitio non erant idonea & legitima, ſolebant ea de re petitiones coram Principe proponi, a quo cœperunt ejuſmodi querelæ mandari examinandæ in Regia Camera, prout habetur ex *prag. 15. eod. tit.* Ex qua manifeſtum eſt, id fuiſſe ex ſpeciali Principis voluntate, nam juris ordinarii ejus Tribunalis non eſt examinare, & judicare, utrum Syndicus, vel Electi juſte ex hac, vel illa cauſa pecuniam publicam impenderint; obierintne probe ſuum munus, an ex dolo, & negligentia: ſiquidem hæc actio peculiaris eſt ipſius Univerſitatis adverſus illos, nec pertinet ad patrimonium Principis, circa quod verſatur Regiæ Cameræ juriſdictio. Nec dices, intereſſe Cameræ Principis, an bene procedat adminiſtratio Univerſitatum; nam hæc ratio nimis probat, cum ex ea inferri poſſit, etiam particularium civium patrimoniorum adminiſtrationes ad curam ejus Tribunalis pertinere debere, quoniam ex illorum defectu verendum eſt, ne deficiant redditus fiſcales. Sed, rationibus omiſſis, *cit. prag.* 18. verba evidenter quod diximus oſtendunt, nam tempore ejus pragmaticæ eadem Regiæ Cameræ juriſdictio erat, ac nunc temporibus noſtris; & nihilominus ex præfatione adparet, uſum non fuiſſe, ut de Univerſitatum adminiſtratione controverſiæ inſtituerentur in eo Tribunali; ſiqui-

Digitized by Google

ſiquidem dicitur : *nos , ut facilius expeditio fiat , illarum petitiones Regiæ Cameræ committere conſuevimus* ; hoc eſt , quoniam in Regia Camera computorum controverſiæ de patrimonio Regis quotidie agitantur , & definiuntur ; ideo & ejuſdem generis commiſſiones , quæ ſunt Univerſitatum , quoniam ibi faciliori methodo terminari poſſunt. Cum autem ex ejuſmodi computorum reviſionibus, quibus expediendis & cavillationes, & fraudes quotidie erant impedimento , Locumtenens, & Præſidentes cum damno negotiorum fiſcalium quotidie erant occupati ; propterea ſtatuit pragmatica : *poſſe illum Præſidentem, cui cauſa commiſſa fuerit, nomine Regio terminare & ad exequutionem procedere, habita a Rationali in his, quæ computa diſcuſſionem requirunt, relatione. Niſi, ob importantiam, ac difficultatem emergentis dubii aliter videretur*. Hinc factum eſt, ut in cauſis computorum fere ſemper Rationalium ſtetur relationibus ; & propterea illi tanquam arbitri , potius judices , in ejuſmodi diſceptationibus habentur. Hoc equidem ſi eveniret more uſitato in aliis judiciis , res bene procederent ; ſed in unoquoque ex Rationalibus cernitur miſcellum tertium genus perſonarum inter judices , & eos , quos vulgus appellat *ſubalternos Tribunalium*; nam ſi inſpiciatur eorum auctoritas in reviſione computorum , eorumque relationibus faciendis , accedunt illi prope munus judicantium , quoniam pro ſententia , quod ipſi proponunt , habetur. At contra in exactionibus ſportularum , æquali ferme methodo , imo acriori , quam Scribæ , Actuariique utuntur ; eo quod nobilioris, majoriſque auctoritatis munus obeunt ; Prohibuit quidem Rex Fridericus , ut habetur *in fin. prag.* 17. *eod. tit. Præſidentes , & Rationales Cameræ Summariæ poſſe, aut debere capere pretium , donum , aut ſolutionem aliquam pro cauſis , & computis examinandis , & diſcutiendis per Bancam dictæ Cameræ, ſub pœna privationis officiorum , & alia graviori arbitrio Regis* : verum in Præſidentibus uſus hæc ſervavit , ſecus in Rationalibus, qui pro relationibus computorum graviſſimas ſolent mercedes expoſtulare. Et utuntur illi eadem diſtinctione , ac ſimoniaci , qui , ut aliquem colorem peſſimo crimini quærant , diſtinguere ſolent inter rem ſpiritualem, & laborem extrinſecum pro ejus exercitio ; aſſeruntque illam non vendi , ſed tantum pro hoc aliquid exigi , utpote mere temporali. Eodem modo Rationales diſtinguunt inter examen computorum , & relationem faciendam ; adduntque, pro illo, cum ſit prohibitum in pragmatica , nihil exigi poſſe ; pro hac vero ſecus , quia agitur de labore extrinſeco ſcripturæ. At quid reſpondebunt illi, ſi & Judices dicent , ſe nihil accipere pro incommodo in examinandis actibus judicialibus, & jure utriuſque litigantis ; ſed tantum pro labore in ſcribenda ſententia qui cenſetur aliquid extrinſecum ab officio Judicis ? In ſcribis, actuariiſque ſportularum uſus invaluit , ex quo deſierunt ſalarium habere de publico ; quemadmodum & adhuc hodie ſportulas exigunt inferiores Judices , quibus illud non ſolvitur. At Rationalibus eodem modo , ac omnium Tribunalium Judicibus, præſtatur de Ærario Regis ſalarium. Nec dices , illud minus eſſe, quam quod datur Præſidentibus Cameræ ; nam ſufficit quod detur , ad excludendam exactionem ſportularum ; aliter dici poſſet, & ſportulas exigi debere ab Auditoribus Provincia-

cia-

Digitized by Google

ciarum, a Judicibus Magnæ Curiæ, a Conſiliariis S. C., a Præſidentibus R. C. quia minus habent ſalarium, quam Præfecti ſuorum Tribunalium.

V. Non autem hæc ideo a me dicuntur, ut conſuetum uſum auferre velim, ſed tantum, ut modus aliquis adhibeatur in hujuſmodi exactionibus arbitrariis, quæ ſummopere graves ſunt & privatis & publico; etenim inde facultas datur gratificandi, & a juſto recedendi, quoniam favorabiliores ſolent relationes iis eſſe, qui plus promittunt aut dant. Nec alibi dominatur magis arbitrium, quam in his, de quibus agimus negotiis, ſive publicis, ſive Univerſitatum. Nec portenta ob repentinas divitias frequentius adparent, quam ex perſonis Regiæ Cameræ addictis; unde cives honeſti pluries coguntur vulgare adagium repetere: *Nemo ſtatim diteſcit, niſi malo alterius*. Extat in legibus noſtris præfinitum ſalarium pro ſingulis ſcripturis Rationalium, vulgo *pandecta*, vid. *prag.* 57. *eod. tit.* Sed hæc uſum tantum præbet, ut legentibus nota ſit legum Regni diligens cura, etiam in rebus minimis; ceterum in hac perſuaſione ſum, ejus generis *pandectas* utplurimum ignotas eſſe iiſdem officialibus, pro quorum norma illæ confectæ ſunt. Hujus rei argumentum eſt, quod in *prag. an.* 1738. *die* 14. *Martii*, ubi agitur de Regia Camera §. 4. *n.* 16., licet adverſus publicas querelas ob exactiones immodicas Rationalium confirmentur, & renoventur ſuperiores pragmaticæ; nihilominus, tanquam ſi nullæ leges eſſent, arbitrium adhuc dominatur. In *cit. prag. eod. n.* 16. optime providetur, ne ob quoſcunque labores in computis, aut ſcripturis cujuſcunque generis poſſint Rationales petere ultra ſummam aureorum quindecim; licet præfinitio ſummæ ob cauſam extraordinariam pertineat ad ipſam Regiam Cameram ex *cit. prag.* 57. *cap.* 32.

VI. Ut commodius quæ ad computa pertinent, expediantur, jubet *prag.* 19. §. 2. *eod. tit.* certam diem unicuique ex Rationalibus aſſignari a Locumtenente, ut in Tribunali referatur, quid decernendum ſit. Aliquando cum partes negligunt computa quam celeriter expediri per Rationales, ne publico Ærario, aut Univerſitati damnum inferatur, optime ſic proviſum fuit a Carolo V. in *prag.* 34. §. 1. *eod. tit. Item Rationales dictæ Cameræ, exacto, & elapſo tempore, dato partibus ad verificationem, & liquidationem computorum, ſtatim ſine dilatione aliqua; accedant perſonaliter ad Bancam dictæ Cameræ, & facta notitia Præſidentibus de tempore jam elapſo, debeant ponere computa, & dubia in Banca &c.* Sequitur in §. 3. ad inſtruendos Rationales: *Item mandamus quod dicti Rationales in fine cujuslibet computi, eorum cuilibet commiſſi, deſcribere debeant manu propria, in charta ſuta, & ligata cum ipſo computo, bilancium integrum ipſius computi, ut ſpecifice omnia dubia tam deciſa, quam ea, quæ remanent ad decidendum, in brevi compendio videri poſſint, & quid actum ſit, & quid reſtet peragendum in unoquoque computo. Et ſimiliter notare in margine proviſiones factas ſuper dubiis deciſis, & quæ exinde fiant ſuper non deciſis; necnon ante lapſum illius anni, in quo unumquodque computum fuerit præſentatum, habeant expediviſſe declaratoriam cujuslibet computi, juxta pragmaticam &c.* Poſtremo in eadem pragmatica ex his duobus capitulis unum conficitur, magis ad uſum & conſuetudinem adcommodatum. Illud quoque notandum eſt ex *prag.* 38. *eod. tit.*,

Digitized by Google

tit., Rationales *debere per ſe*, *non per alios computa ſibi commiſſa videre, & conſiderare*, *ceteraque id tangentia*. Quod ipſum confirmatur in *cit. prag.* 75. §. 14. Verum ex §. 171. hoc non ita ſtricte accipitur, ut in ſcribendo non poſſint uti opera alterius, dummodo quod ipſi dictarunt, ſubſcribant etiam ſua manu. In *prag.* 39. *eod. tit.* refertur, & confirmatur alium *capitulum* Friderici Regis, quo injungitur Rationalibus, *ut poſt computum declaratum*, *faciant duo folia* (intellige exemplaria), quorum unum tradant *Notario*, hoc eſt Secretario, ordinato in Regia Camera; aliud mittant ad Regem. Pertinet quoque ad munus Rationalium ex *prag.* 29. §. 5. *eod.*, quoties idonee in computis præſentatis non adſunt *cautelæ* (hac voce intelligit pragmatica, quod & confirmat vulgaris uſus loquendi, probationes legitimas dati & accepti) id annotare, eaque de re in *Banca* referre, ubi decernitur, an *partitæ* ſine *cautelis* ſint rejicendæ, & *ſignificandæ*; an vero Adminiſtratoribus novus terminus ex æquitate dandus ad illas producendas. Tempus autem hujus termini, ſi *cautelæ* haberi poſſunt in hac civitate, ſtatuitur quatuor dierum; aliter remittitur arbitrio Regiæ Cameræ. Quod tamen abrogatur in §. *ſeq.*, fortaſſis quia Miniſtri Tribunalis nimia indulgentia utebantur, plus juſto terminum ampliando, non ſine damno publici Ærarii; & propterea jubetur, *Theſaurarium generalem*, *Dobanerium dobanæ menepecudum*, *Perceptores Provinciarum & pecuniarum Regiarum Exactores*, *tam majores*, *quam minores*: *debere in ſtatutis terminis ad computorum præſentationem*, *eorum computa una*, *& ſimul cum cautelis omnibus pro ipſarum liquidatione neceſſariis*, *præſentare*; *ſublata omni facultate Regiæ Cameræ*, *terminum indulgendi*, *ad illarum cautelarum productionem &c.* Demum proponit exceptionem pragmatica his verbis: *ſi tamen eodem inſtanti*, *quo computum præſentant*, *aliquod legitimum allegaverint impedimentum circa cautelarum productionem*, *Camera*, *quod juri conſonum proſpiciet*, *decernat*, *atque provideat*. Hæc exceptio omni ferme ex parte inutilem reddit proviſionem legis, nam inde arbitrio quoque remittitur prorogatio temporis, cum non deſint gratificare volentibus, ſive vera, ſive ficta impedimenta. In calce ejuſdem *pragmaticæ* monentur omnes exactores prædicti, pro deficientium cautelarum quantitatibus ſe *ſignificari*: & *ſignificatorias paratam exequutionem habere*, adeout illarum exequutio nullo modo impediri poſſit.

VII. Quod hic ſtatuit pragmatica conſonum eſt juri Romano, ex generali conſtitutione Valentiniani Imperatoris in *l.* 4. *C. quorum adpellat. non recip.*; qua ille jubet, abſtinendum ab adpellatione, quoties *fiſcalis calculi ſatisfactio poſtulatur*. Hæc conſtitutio, notat Gothofredus *in C. T. eod. tit.* inſcribitur Olybrio Præfecto Urbi, qui, ut de eo ſcribit Ammianus Marcellinus *lib.* 28., fiſci lucra circumcidere ſolebat, nominatim adpellationes in cauſis fiſcalibus admittendo, fortaſſis ad popularem auram captandam. At Imperator ei mandat, ne eas adpellationes amplius admittat, ſed ut in debitores *evidentes*, *atque convictos vigor judiciarius*

Digitized by Google

excitetur. In ſpecie autem, quam tractamus, extat in *eod. C.T.* altera ejus Imperatoris conſtitutio in *l.21.*, quæ ſic decernit: *A Diſcuſſoribus obſervari debemus, ut manifeſti debitores provocationis ſuffragio minime ſubleventur*. Diſcuſſores interpretatur idem Gothofredus, non exactores ordinarios, ut male vulgus interpretum, ſed eos, qui extra ordinem in provincias mittebantur, examinaturi, quid tributorum nomine exactum eſſet, quid in reliquis reſideret. Cujacius *in tit. C. de Diſcuſſoribus lib.* 10. Diſcuſſores ait, fuiſſe cognitores, & diſceptatores rationum fiſcalium ab aliis tractatarum. Et propterea ſimiles hac in re videntur Rationalibus Regiæ Cameræ. Advertendum tamen hic eſt, *ſignificatorias* vim habere rei judicatæ, non ex ſola computorum calculatione, ſed ex ſententia Judicis; idque probat *l. 2. C. de jure fiſci lib.* 10. Quod ſane ſuperiori pragmaticæ non eſt contrarium, ſiquidem in *cit.* §. 5. debent Rationales in *Banca* proponere, utrum *partitæ ſint rejiciendæ, & ſignificandæ, an concedendus terminus ad producendas cautelas*: igitur judiciali ſententia expediuntur *ſignificatoriæ*. Si quid autem legitime allegari debet adverſus ſignificatorias, in Regia Camera diſceptatur; verum poſtquam illæ ad exequutionem perductæ fuerint. Quod ſic exprimitur in *prag.* 37. §. 4. *eod. Et facta ipſarum ſignificatoriarum exequutione, volumus, & decernimus ut omnes qui de ipſis ſe gravatos putaverint, per iſtud idem Tribunal, & non per aliud audiri debeant, ſi quid dicere, producere, allegare, & probare contra ipſas ſignificatorias voluerint*. Factis autem legitimis probationibus, jubetur in §. 5. reſtitui quod in vim exequutionis acceptum eſt. Hoc autem ſpeciale non eſt in *ſignificatoriis*, nam cum in §. 2. *ead. prag.* juſſiſſet, eas quacumque ex cauſa non debere in diſceptationem poni, donec fuerint debitæ exequutioni demandatæ, ſic addit in §. 3. *Et ſimiliter de ſententiis, quæ in ipſa Camera in poſterum proferentur, fieri volumus; præſtita tamen fidejuſſione idonea per eos, in quorum favorem ſententiæ latæ fuerint, de reſtituendo in occurrenti caſu retractationis dictarum ſententiarum id, & totum, quod ex hujuſmodi cauſa conſequuti eſſent*.

VIII. In *ead. prag.* 37. §. 13., ne detur occaſio gratificandi, jubetur, *cautelas, quæ præſentantur pro deductione facienda ſignificatoriis jam factis, recipi debere: verum nullam fieri a dictis ſignificatoriis deductionem, niſi prius Regia Majeſtas edoceatur*. Id ipſum in §. 15. confirmatur. At in §. 16. quædam benignitatis ſpecies adhibetur, quoties, re integra, *cautelæ* producuntur, concludentes tamen & validæ, ut ait pragmatica, ſcilicet antequam finita ſit exequutio; nam eam ſuperſedere jubetur. Excipitur tantum Miniſter pecuniarius, ſcilicet qui præpoſitus eſt pecuniæ publicæ exactioni, veluti Perceptor, de cujus *cautelis* in actu exequutionis ratio non habetur in præſenti, *ſed reſervantur in ſequentis anni computo*. Addit autem pragmatica: *quod ſi id fieri non poſſit, quia illo forſan anno tantum Officialis ſuo fungeretur officio*, tunc quod hic ſolvit, recuperabit ſequenti anno a ſucceſſore in idem officium. In §. 17. agitur de ſignificatoriis expeditis adverſus Percepto-

ceptores pro reſiduis, quæ non exegerunt ab Univerſitatibus; ſtatuitur enim in *cit. prag.* 75. §. 101. ejuſmodi reſidua cedere Perceptorum damno, quoties illi manifeſtis, & legitimis documentis non probaverint omnino exigi non potuiſſe. Idem ferme in §. 102. de Portulanis decernitur. In *cit.* autem §. 17. declaratur, non impediri exequutionem *ſignificatoriarum* adverſus Perceptores ob cauſam reſiduorum, ſi hæc ex parte tantum ſoluta ſunt poſt præſentationem computorum, nam quantitas tantum ſoluta deduci debet. In §. *169. cit. prag.* 75. ad ejuſmodi, ſimileſque dilationes tollendas, mandatur Perceptoribus, ut in ipſis computis apponant probationes legitimas, unde adpareat, cur non potuerint *reſidua* exigi; aliter tenentur Rationales ea omnia referre ad illorum onus, ex quo condemnabuntur per *ſignificatorias*. Ut omnia rectius, diligentiuſque procedant, in *ead. prag.* §. 170. mandatur, computa a Rationalibus, unicuique certis horis aſſignatis, diſcutienda, non domi privatim, ſed in Regia Camera, remotis arbitris, adhibito tantum uno, vel duobus ſcribis. Et ne in fraudem quid committatur, in *ead. prag.* §. 2. & 158. prohibentur computa ſemel præſentata, amplius extrahi de Regia Camera. Quod & generaliter in §. 20. jubetur de omnibus aliis *cautelis productis*; niſi ubi evidens neceſſitas expoſtulaverit, quo caſu breve tempus ad reſtitutionem ſub certa pœna aſſignabitur. Hæc omnia prudenter jam olim generali ſanctione ſic definita fuere a Carolo V. in *prag.* 19. §. 7. *eod. tit.*, ſed quæ male ſervantur: *Item mandamus, quod nullus omnino Officialis, aut miniſter dictæ Cameræ, ſeu quivis alius, præſertim Rationales, Magiſter actorum, & Scribæ, & Conſervator ſcripturarum, audeant de ſcripturis dictæ Cameræ extrahere originalem, nec copiam quamcumque alicui dare abſque dicti Locumtenentis, vel ejus, qui ejus vices geſſerit, licentia; cum conveniens non ſit, quod ſcripturæ Cameræ præſentatæ, inconſulte publicentur ſub pœna ſui ſalarii, & privationis officii arbitrio Majeſtatis noſtræ.*

IX. Poſtremo quod attinet ad munus Perceptorum non ſolum tenentur illi pecuniam exigere ab Univerſitatibus, ejuſque rationem reddere, prout ſupra expoſuimus, verum etiam & aliis negotiis publicis invigilare. Ætate Caroli I. Andegavenſis, inter perſonas, quæ exactionibus publicis dabant operam in Provinciis Regni, erant & Magiſtri Portulani, & Magiſtri Procuratores, quorum illud erat peculiare munus, ut inquirerent de *demaniis* (ait *cap. item cum inquirere* 64.) *morticiis* (hoc nomine infimæ latinitatis ſcriptores intelligebant caduca; hoc eſt bona, quæ relicta ſine herede vindicantur fiſco) & *excadentiis* (excadentiæ, ſive bona excadentialia in legibus Regni ſunt bona vacantia, cujuſcumque ſcilicet conditionis quæ dominum non habent; unde pertinent etiam ad fiſcum, vid. *conſtit. ſi quando forte*, & *conſtit. conſtitutionem divæ memoriæ*). In ſumma invigilabant illi, ne quidquam a privatis occuparetur de rebus, & juribus fiſcalibus. Imo & in *cap. prædicti magiſtri 66.*, idem Rex dat illis facultatem ex ſua juriſdictione ſtatim revocandi ad Curiam *morticias*, & *excadentias*, necnon etiam quoties theſauri inveniuntur;

 nam

Digitized by Google

nam hac in parte leges noſtræ a Romanis recedunt, quibus inventorum erant theſauri; ſed in ea conſtitutione, tanquam bona vacantia, vindicantur quoque fiſco. Hæc omnia poſtmodum translata fuerunt in munus Perceptorum, ſcilicet ut illi certiorem faciant vel Principem, vel Regiam Cameram de omni eo, quod proprium eſt fiſcalis patrimonii; ceterum juriſdictionem nullam habent, nec quidquam propria auctoritate aut facere, aut decernere poſſunt. Data quondam fuit illis facultas ex *cit. pragm.* 1. §. *6. de offic. Procur. Cæſar.*, ut quoties moriatur ex Baronibus aliquis, infra menſem ſeſe conferrent ad loca feudi, inquirendo de fructibus illius anni, ut ratio haberi poſſent *de relevio*, Curiæ ſolvendo, quod præſtari ſolet ſecundum fructuum quantitatem, ut dicemus ſuo loco. Verum abrogatur ea conſtitutio in *prag.* 53. *eod. tit.*, quæ duplicem his verbis rationem reddit: *tum ut Perceptores a ſuis officiis non diſtrahantur; tum ut maturius ad informationem faciendam procedatur: & ideo præcipimus, Perceptores ad aliud non teneri, niſi de morte Cameram certiorem reddere, inde circa informationem capiendam Regia Camera conſulto provideat*. Ad curam quoque Perceptorum ſpectat pecuniam conſervare, redactam ex *compoſitionibus* delictorum, auctoritate Regiarum Audientiarum definitis, idque ex *prag. 6*o. *eod. tit.* effectum fuit, ad abuſum non levis momenti abolendum; nam ante eam pragmaticam ſalarium Præſidibus, Auditoribuſque ſolvebatur ex pecunia earum compoſitionum; unde illi, quo ſemper ſalarium promtum, paratumque haberetur, ſolebant, etiam ubi minus opus erat, facile ad compoſitiones reos admittere. Jubet igitur pragmatica, ut ſalaria ſolverentur ab ipſis Perceptoribus de pecunia Principis: contra redactum ex compoſitionibus, ut ab iiſdem aſſervaretur.

Digitized by Google

CAPUT XII.

De Tributis, & Vectigalibus.

NON hic neceſſarium duxi longiori diſputationi indulgere circa ſubditorum onus pro publicis, neceſſariiſque impenſis, unde tributorum, vectigaliumque oritur obligatio; neque circa eorum modum, qualitatemque apud varias nationes: quandoquidem hanc provinciam ſatis, ſuperque doctiſſimi viri exornarunt, & ad leges noſtras explicandas aut parum, aut nihil faciunt. Adhæc, modus tributorum varie ſtatutus olim fuit, & ſtatuitur in ſingulis regionibus quotidie, prout commodius videtur iis, penes quos ſummum imperium eſt, & prout populorum inſtituta, & conſuetudines expoſcunt, necnon commercium, & opes civium creſcunt, vel minuuntur. Quod præ ceteris in Regno noſtro cernere eſt, omiſſis antiquioribus temporibus, dum ejus provinciæ Imperio ſubjecti. Quænam autem ejuſmodi onera fuerint, facile eſt colligere ex titulis in Codice Juſtiniani, & Theodoſii *de annonis & tributis*; *de indictionibus*, *de ſuperindicta*, *de luſtrali collatione de cenſibus*, *cenſitoribus &c.* Sub Gothis eadem ferme in uſu erant. Mutaſſe credendum eſt Longobardos: ſed ex eorum legibus, memoriiſque certum quid ſtatuere non poſſumus. Normanni utebantur, prout neceſſitates belli expoſcebant, extraordinariis exactionibus; ſed induxerunt paulatim ordinarias, & certas, præſertim quæ vectigalium nomine præſtabantur. Inter vectigal, & tributum quodnam proprie ſit diſcrimen, non ſatis conſtat; nam apud Juriſconſultos, & latinos ſcriptores aliquando hæc vocabula confunduntur, ſicuti & ſtipendium modo generaliter modo ſpecialiter accipitur. Notat Cujacius *lib. 7. obſerv. c. 3.* ex Theophilo, ſtipendium populo, tributum Principi præſtari, ſed poſtmodum eam ſublatam fuiſſe differentiam quemadmodum Fiſci, & Ærarii, quia ad extremum, infracto populi jure provincias omnes ad ſui curam, & dominatum Imperatores tranſtulerunt. Sub libera Republica ipſe populus tributum pendebat, idque in capita, unde dicebatur tributum capitis; & diviſionem populi in tributi penſitatione originem duxiſſe, ſcribit Livius *lib. 43.*, ſed a tributo ratione cenſus, prout ſcilicet quiſque in patrimonio habebat. Eadem diviſio uſurpata fuit in provinciis, ut videre eſt apud Burmannum *de vectigalib. pop. Rom. lib. 1.*, nam victis populis aut imperabatur tributum capitis, aut agri auferebantur, qui tamen veteribus relinquebantur poſſeſſoribus, ex quorum proventum annua penſitatio Reipublicæ ſolvebatur, & erat cenſus ſoli. Provinciæ his

his oneribus addictæ, adpellabantur tributariæ. Quænam erant vectigales, ut Sicilia, ubi ex agris præſtabantur decimæ. In quibuſdam vectigal dicebatur *ſcriptura*, quia præſtabantur ex paſcuis, ſiquidem paſtores tenebantur apud publicanos numerum pecudum profiteri, quas in paſcua publica immittere vellent: idque publicani adnotabant, & ſcribebant, & propterea dicebatur vectigal ſcripturæ. Erat & vectigal portorii, ſcilicet quod ſolvebatur non tantum pro mercibus in portum devehendis, verum etiam pro itineribus. Numerabantur etiam inter vectigalia, eodem Cujacio auctore *cit. lib. 7. cap. 4.*, redditus ex metallis, ſalinis, picariis, cretiſodinis, vid. *l. inter 17. in fin. D. de verb. ſignif.* Hujus poſterioris generis a Normannis inſtituta fuere vectigalia in Regno, & poſtmodum aucta, ut creditur, a Friderico II.: unde Andreas de Iſernia in *com. ad conſtit. quanto ceteris tit. de decimis*, diſtinguens priora a poſterioribus, illa adpellat *jura vetera*, hoc eſt jura fiſcalia vetera, hæc autem nova. Solebant præterea Reges indictionibus extraordinariis uti, etiam ratione bonorum, quando publicæ neceſſitates urgebant. Translato Regno ad Principes Andegavenſes, promiſerunt illi quidem Sedi Apoſtolicæ, a qua inveſtituram acceperunt, omnium vectigalium abolitionem, exceptis tantum iis, quæ erant tempore Gulielmi Secundi de familia Normannorum, vid. Andream de Iſernia *in tit. feud. quæ ſint regaliæ, & in cap. imperiali de prohib. alien. feud. per Frider.*: verum ſine effectu; nam ſive quod vectigalia ſemel impoſita haud facile abolentur, ſive quod iiſdem neceſſitatibus publicis fuerunt obſtricti, ac Reges prædeceſſores; non tantum ea confirmarunt, ſed ampliarunt. Imo cenſum ſoli acrius exigere conſueverunt, vulgo dicunt noſtri *collectas*; idque adparet ex duabus præſertim conſtitutionibus Caroli II., quarum una a Joanne de Nigris capitulorum Regum Andegavenſium collectore poſita eſt ſub *tit. de appretio cap. in calendis 167.*, altera ſub *tit. de officio collectorum*, alias *de appretio*, & eſt *cap. in ſingulis 194.* Et facile eſt in re, quam tractamus conjicere, non fuiſſe homines exacti judicii, & emunctæ naris veteres Doctores Regni, nominatim Andream de Iſernia, & Matthæum de Afflictis, qui dum invehuntur adverſus Fridericum II., tanquam novorum vectigalium inventorem, laudibus efferunt Reges Andegavenſes, qui nec ejuſmodi ſuſtulerunt vectigalia, & nova inſuper addiderunt. Minus autem ferendi ſunt novi Pragmatici, Carolus Tapia, de Ponte &c., & præſertim Moles, qui eiſdem veſtigiis inſiſtendo, provocant *ad capitula Papæ Honorii*, & quærunt, an ea ſervanda ſint in Regno, eodem tempore dum diligenti cura exponunt omnia jura fiſcalia, quæ innumera inſtituta fuerunt in Regno ab ipſis Regibus Andegavenſibus, & deinceps, poſtquam ea capitula compoſita, & promulgata fuerunt. Sed hæc omittamus tanquam minus apta & loco, & tempori.

II. Induxit Alfonſus I. Aragonenſis utiliorem, expeditioremque formam tributi in univerſo Regno; nam cum Rex ille pacis, bellique artibus inſignis, vellet publicis precibus annuere, & hac in parte populorum, ſuique Ærarii commodo conſulere, ad certam formam univerſale tributum inſti-

Digitized by Google

inſtituit pro ſingulis familiis (vulgo dicunt noſtri focularia , eo quod ſuum unaquæque familia focum habet) . Legitur in *vol.* 1. *privileg. pag.* 7. *&* 8. nomine Civitatis , & Regni petitum ab eo fuiſſe , ut abrogatis quibuſcumque vectigalibus , deinceps *omnes focularii , & Barones eſſent ab omni onere abſoluti , taliter quod ſolutis decem carolenis pro uno tumulo ſalis habiti , ad nihil aliud teneantur . Et ipſi Barones non teneantur ad adhoas in perpetuum ; & quod in dictis focularii non intelligantur focularia clericorum .* Rex autem , habito conſilio , & matura deliberatione ſic reſpondit in *cap.* 1. *Placet Regiæ Majeſtati oblationem ſibi factam , eamque acceptat , & pro illa gratias habet innumeras illuſtribus , magnificis , & ſpectabilibus Magnatibus , ac Baronibus Regni hujus ; & ſubinde promittit aſſignari facere unicuique foculario Regni prædicti anno quolibet tumulum unum ſalis in antiquis , & ſolitis in unaquaque provincia ad juſtam menſuram , & ut ſemper conſuetum ; videlicet ex ſale ruſſo in provinciis Terræ laboris , & Principatus citra , & in aliis ex ſale conſueto ; ita ſcilicet quod Regia Curia exinde exigere poſſit , & habere ex quolibet foculario liliatos decem prædictos .* Quod vero attinet ad abolitionem omnium aliorum vectigalium , necnon exemtionem Baronum , non eſt inutile & verba *capit.* 2. hic referre : *Placet Regiæ Majeſtati , quod tollantur omnes collectæ , videlicet tam ordinariæ , quam quævis aliæ extraordinariæ , quocumque nomine , ſeu convocatione dici , ſeu imponi poſſent , præter collectas coronationis , maritaſii , & redemtionis perſonæ ſuæ (quod abſit) prout ex conſtitutione Regni cautum eſt ; quibus in tribus caſibus ſingulæ tamen collectæ exigi poſſunt per Regiam Curiam , juxta privilegia reductionum hactenus factarum . Pro jure autem adhoæ placet etiam ſibi nullam collectam imponere , ſeu & exigi facere . Et placet etiam quod in prædictis non intelligantur focularia presbyterorum .* In *cap.* 7. eorundem privilegiorum ſtatuitur , ſingulas familias pro ſupradicta ſolutione numerandas ; idque renovandum quolibet triennio ; ſiquidem in ſingulis Univerſitatibus ſolent utplurimum familiæ creſcere , & aliquando decreſcere : ne aut Ærario Regis , aut ſubditis , afferatur damnum : Ærario , quoties creſcunt ; ſubditis , quoties decreſcunt , quia onus familiarum deficientium transfertur ad alias exiſtentes . Sub Regno reliquorum Principum Aragonenſium eadem ferme ratio tributorum ſervata fuit ; excepto tantum Ferdinando I. , qui initio ſui Regni nova vectigalia ſuper victualibus induxit , quæ poſtea ipſemet abrogavit , ut refert Moles ad *deciſ. R. C.* §. 1. *tit. de collectis* : qui idem refert ex regiſtris , & proviſionibus Regiæ Cameræ , tributum capitis , etiam ſub Alfonſo I. , auctum fuiſſe ad carolenos quindecim , & duos aſſes ; vid. *prag.* 1. *de jurib. & exactionib. fiſc.* Creditur autem , ſub iiſdem Regibus nova onera impoſita fuiſſe , ſaltem ad tempus pro extraordinariis ſubventionibus , quæ facta fuerunt perpetua . Cujus rei argumentum eſt , quod a Federico Aragonenſi impetratum fuit *an.* 1496. (vid. *d. vol.* 1. *privileg. pag.* 37. *c.* 8. *&* 9.) , ut cives Neapolitani immunes eſſent ab omnibus novis vectigalibus . Adhæc Ferdinandus Catholicus , ut refert idem Moles , dum

dum Neapolim veniſſet an. 1507. mandavit, ut onera fiſcalia præſtarentur, prout erat ſolitum; & ut collectæ tollerentur. Juſſit præterea, ad ſumtus evitandos, qui leves erant quolibet triennio, ut numerationes *focu1ariorum*, anno decimo quinto renovarentur.

III. Hæc autem non diu ſteterunt; nam creſcentibus quotidie novis publicarum impenſarum cauſis, Univerſitates Regni aliis gravatæ fuerunt oneribus. Unde ſenſim tributum capitis pervenit ad carolenos quadraginta duos; idque veluti tranſactionis jure, ut illæ ab omnibus aliis oneribus, quæ paulatim irrepſerant, alleviarentur, ut habetur ex *præf. prag. 3. de jurib. & exaction. fiſcal.* In *ead. prag. & ſeqq.* novæ mandatæ fuerunt focu1ariorum numerationes; quæ demum ad exitum perductæ ad hanc uſque diem pro norma habentur circa onera fiſcalia; abolito pene uſu tam neceſſario renovationis anno quolibet decimo quinto, ut diximus, ex lege Ferdinandi Catholici. Hinc neceſſitas induxit, ut omnes ferme Univerſitates, in quibuſdam, quia defecerunt nonnullæ ex numeratis familiis, in pleriſque quia ex mala adminiſtratione grande æs alienum conflatum fuit; novis vectigalibus, & tributis onerarentur. Et propterea magna confuſione iiſdem in locis cernuntur exactiones partim ex tributo capitis, partim ſoli, partim ex vectigalibus rerum neceſſariarum pro victu. His malis aliquod remedium afferretur ex nova indictione univerſalis cenſus bonorum, vulgo *cataſto*, in toto Regno, ſi quamprimum, & bona fide id perficeretur. Sed quoniam perverſo quodam agitamur facto, ut in publicis negotiis, præſertim ubi ſperatur communis utilitas, aut longa mora interponatur, aut confuſio dominetur inextricabilis; verendum eſt, ne optima proviſio ad exitum perducatur. Notandum hic eſt ex *prag. 26. de vectigalibus*, etiam in locis, ubi ſolvitur cenſus ratione ſoli, ſive *cataſtum*, neminem excuſari a tributo capitis, etiamſi nobilis ſit, aut nobiliter vivat; idque ſumma ratione, ut alibi diximus, ne homines locupletes, & eodem tempore luxui, atque otio dediti, ea fruantur immunitate, quam pauperes & laboribus quotidianis oppreſſi non habent; quod certe contra omnem æquitatem foret. In eadem pragmatica jubetur, ut fiſcalia onera ſuſtinere poſſint Univerſitates, compellendos ad ſolutionem *bonatenentiæ* omnes eos Barones, qui in territorio feudi poſſident bona, a nexu feudali exemta, quæque vulgo *burgenſatica* adpellantur. Qua in re Forenſium repugnantia dogmata facile eſt animadvertere; quandoquidem dum ipſi dicunt, Barones in ſuis feudis eſſe cives *neceſſario, & intrinſece*; quando agitur de oneribus publicis, volunt, eoſdem haberi pro exteris; nam *bonatenentia* ab exteris ſolvitur, tributum capitis, vel ſoli a civibus: nemo autem ex Doctoribus aſſerit, hoc tributum ſolvendum a Barone.

IV. Numeratio familiarum facilis fuit in civitatibus, oppidis, & vicis Regni, ubi numerus earum in unoquoque loco exiguus erat. At in hac Civitate tum ob multitudinem incolarum, tum exterorum, euntium, & redeuntium, id ſemper viſum eſt difficile, ac pene impoſſibile. Et propterea alia ratio inita fuit publicorum onerum; nominatim ſuper victua-

Digitized by Google

victualibus, quorum vix quædam ſuperſunt a vectigalibus immunia; eaque utplurimum ipſorum Adminiſtratorum auctoritate ſtatuta; licet pecunia inde redacta in Principis Ærarium illata fuit, ob neceſſarias impenſas, quibus illud quotidie erat obſtrictum, ſub Regibus præſertim Hiſpanis, ex frequentibus bellorum occaſionibus. Et propterea in libris pragmaticarum quamplurimæ extant leges, nominatim ne fraudes fierent in ſolutione, & exactione novorum vectigalium, vid. *prag.* 5. 6. 7. 15. 18. 19. 34. 35. 37. *de vectig. & gabell.*, ceteraſque ejuſdem generis, in quibus certæ regulæ præſcribuntur pro adminiſtratione vectigalis cujuſque ſpeciei; ut inde Ærario Principis conſuleretur. Verum naſcentibus quotidie novis occaſionibus conficiendæ pecuniæ in præſenti, ſub Regno præſertim Philippi Secundi Hiſpaniarum Regis, & deinceps, ad infelice remedium perventum fuit, vendendi, ſive potius aſſignandi, ut noſtri dicunt, privatis civibus annuos redditus ex vectigalibus jam impoſitis; unde eo modo neceſſitatibus publicis occurſum eſt breviſſimi temporis intervallo; cum pecunia ea ratione collecta ſtatim conſumeretur: ceterum onera perpetua remanſerunt. Quod factum eſt, ut quod ſolvunt quotidie cives, minima ex parte cedat in utilitatem Fiſci pro publicis impenſis. Inde novæ leges pro certa methodo inſtituenda, quæ ſervari debet in juribus ejus generis translatis a Fiſco in privatos: qui redditus aſſignatos non poſſident pleno jure, cum ſemper Fiſco facultas ſit eos ad ſe avocandi, reſtituta pecunia jam accepta; ſiquidem noſtri dicunt, creditores Fiſci eos redditus habere non dominii, ſed pignoris jure; propterea docent, competere Fiſco *jus luendi*, hoc eſt facultatem eum habere rei ſuæ recuperandæ, etiam ab invito. Hinc ejuſmodi aſſignationes quandam naturam habent contractus antichreſeos, ſive mutui pignoris uſus. Neque controverſiæ in hac ſpecie eſt locus, quam tractare ſolent qui de jure publico, aut de jure ſummi imperii agunt, an ſcilicet poſſit Princeps alienare quod Regni eſt; quandoquidem ejuſmodi aſſignationes alienationes non ſunt, cum ex re pignorata transfertur tantum poſſeſſio ſimul cum perceptione fructuum. Et hæc quidem antichreſis expreſſa eſt, quoniam tale pactum inter Fiſcum, privatoſque initur, ut donec reſtituatur pecunia, quidquid percipitur ex redditibus aſſignatis, ad poſſeſſores ſpectet. Scio inter viros doctiſſimos agitatam fuiſſe quæſtionem de tacita antichreſi, an ea jure intelligatur. Affirmat Cujacius *lib.* 8. *obſerv. cap.* 17. immo & non leve diſcrimen notat inter expreſſam, & tacitam, dum ait: *Si ager tradatur pignori, & nihil dicatur de fructibus, & uſuris, tacite videbitur conventa antichreſis: itaque fructus uſurarum vice creditor retinebit, non tamen ſupra legitimum modum. Tacita antichreſis modum uſurarum ſervat, expreſſa non item.* Hanc opinionem rejiciunt Salmaſius *de modo uſurarum cap.* 14., Vinnius *lib.* 1. *ſelect. quæſtionum c.* 7., ceterique, qui hac de re tractarunt eruditi Interpretes, contendentes, nullum in jure Romano veſtigium apparere tacitæ antichreſis, nam exemplum, quo utitur Cujacius ex *l. cum debitor D. in quib. cauſ. pign.*, conjectura leviſſi-

viſſima eſt,quæ non debet & rationi, & expreſſis legibus opponi. Inductum eſt pignus, ſive hypotheca, ut creditor ſit ſecurus pecuniæ debitori datæ: igitur eſt contra naturam contractus, ut re pignorata utatur creditor, & multo magis ſi fructus ex ea in ſuam utilitatem transferat: pacto tantum expreſſo id fieri poteſt; nam pacta poſſunt etiam quid ſtatuere contra naturam contractus, dummodo ejus ſubſtantia non immutetur: veluti in emtione de natura contractus eſt, ut præſtetur evictio; ceterum pacto caveri poteſt, ut omnem damnum futurum reſpiciat emtorem. Sed his, aliiſque ejuſdem generis argumentis omiſſis, Cujacii ſententia adverſatur certiſſimis juris regulis, nominatim *l* 1. *C. de pignorat.action.*, in qua definitur, debiti quantitatem minuere quidquid ex penſionibus domus oppignoratæ perceptum eſt a creditore: igitur nulla eſt tacita antichreſis; cum, ubi non adeſt expreſſa conventio, non poſſit creditor quidquam ex re pignorata percipere, & perceptum computatur in ſortem. Idem ſtatuitur in *l. ſeq.* Multo magis nos movere debet definitio *l. ſi pignori* 54. *D. de furtis*: *ſi pignori creditor utatur, furti tenetur*. At in ſpecie tacitæ antichreſis non tantum utitur re pignorata creditor, verum etiam fructus illius, jure dominii conſumit, unde gravius cenſebitur delictum, quoties non adeſt domini voluntas. Sed hæc omnis diſputatio in oppignoratione rerum fiſcalium non obtinet; cum expreſſa ſemper antichreſis inter fiſcum, privatoſque ſit; & non tantum expreſſa, ſed & ſpecialis aſſignatio quantitatis reddituum percipiendorum: quibus tamen nullum a creditoribus imponi poteſt onus, niſi quouſque ipſi poſſident, nam reverſis redditibus ad Fiſcum, omnes obligationes contractæ diſſolvuntur; quo pertinet vulgaris regula: *reſoluto jure dantis, reſolvitur jus accipientis*, *l.* 31. *D. de pignor.*

V. Hæ quidem reddituum aſſignationes non tantum fieri cœperunt ſuper vectigalibus, ſed & ſuper tributis, quæ perſolvuntur ab Univerſitatibus; unde creditores fiſcales dupli ci ſolent nomine deſignari: qui fructus percipiunt ex redditibus vectigalium, vulgo *arrendamenti*, adpellantur *Aſſignatarii*, vel *Conſignatarii*; qui ex redditibus Univerſitatum, *Fiſcalarii*; licet utrumque vocabulum generale ſit, & commune in utraque ſpecie; nam & qui percipit fructus ex tributis Univerſitatum recte dici poteſt *Aſſignatarius*, quoniam ei pro credito fructus illi aſſignati fuere. E diverſo *Fiſcalarii* etiam ſunt, quibus fiſcales redditus vectigalium addicti fuere. Quin & leges ipſæ ſolent promiſcue his vocabulis uti, ut videre eſt in *prag.* 7. *&* 8. *de commiſſar. & exequutoribus*, in qua *Fiſcalarii* generali nomine Aſſignatarii adpellantur. Quod autem hæ pragmaticæ ſtatuunt, ſecundum æquitatem eſt, & propterea ſervandum, ne Univerſitates ære alieno oppreſſæ, magis magiſque premantur ex quotidianis vexationibus *Exactorum*, ſive *Commiſſariorum*, qui a Perceptoribus; creditoribuſque mittuntur, quoties ſtatuto tempore pecunia iis debita non ſolvitur; unde præter debitum, tenentur & dietas iis præſtare. Statuit igitur pragmatica, ut omnes creditores unum eligere debeant Procuratorem, ſive Commiſſarium, qui omnium nomine ſeſe conferat ad Univerſitatem pro communi exactione; ne ſcilicet Univerſitas pro ſingulis uniuſcujuſque cre-

Digitized by Google

creditoris commiſſariis, duplicatas, triplicataſque dietas perſolvere debeat. Quod ſi in electione commiſſarii creditores diſſentiant; tunc ſequendum erit quod majori eorum parti placuerit: majorem partem explicat pragmatica non pro numero creditorum, ſed pro quantitate crediti. Eorum autem diſſenſiones Regia Camera definiet. Ex mente & ſententia ſuperiorum pragmaticarum infertur, quod a commiſſario deſtinato creditorum communi nomine exigitur, pro rata crediti uniuſcujuſque dividendum. Sed temporis progreſſu experientia docuit, majoris quantitatis creditores ſibi utplurimum accipere exactum conſueviſſe, unde ceteri iterum, iterumque commiſſarios mittebant, eoque modo proviſiones legum erant inutiles. Quod utpote jure ſcripto contrarium, nova ſanctione prohibitum fuit in *prag.* 5. *de jurib. & exaction. fiſcal.* addita pœna relegationis adverſus nobiles, triremium adverſus ignobiles. In *cit. prag.* 7. §. 3. præſcribitur tempus, in quo *Aſſignatarii* exigere poſſunt ab Univerſitatibus, nempe *tertiatim*, ait *prag.*, hoc modo, unam penſionis partem in fine menſis Aprilis, alteram in fine Auguſti, tertiam in fine Decembris; imo & conceditur decem dierum ſpatium ad pecuniam colligendam, finito demum unoquoque ex præ dictis menſibus. In *ead. prag.* §. 4. providetur commodæ, promtæque ſolutioni non minus pro Regio Ærario, quam pro *Aſſignatariis*, ſiquidem jubetur, vectigalia jam locata publicanis, pro competenti quantitate, illis aſſignanda; eoque modo Univerſitates pro omni futuro damno retardatæ ſolutionis, ſecuræ erunt, cum damnum in ipſos publicanos transferatur. Quod attinet ad *Aſſignatarios* vectigalium, vid. *prag.* 75. §. 118. *de offic. Procurat. Cæſar.*, ubi traditur norma circa ſolutionem iis faciendam a conductoribus eorumdem vectigalium. Quæ leguntur pragmaticæ *ſub eodem tit. de vectigalibus* in nova editione, nihil peculiare continent, niſi tantummodo certas regulas pro fraudibus coercendis in vectigalibus noviter introductis, præſertim in venditione rerum *privative*, ut noſtri dicunt, ad Regiam Curiam, & vulgo adpellari ſolent *prohibendi jura*; ſiquidem ſolus Princeps ratione dominii eminentis, ſibi vindicans, e. g. ſal, ferrum &c., aut ſtructuram harum rerum, prohibet, ne eadem vendantur, aut conficiantur a privatis, pœna ſimul impoſita adverſus tranſgreſſores edicti prohibitorii.

CAPUT XIII.

Explicantur reliquæ, quæ ſparſim leguntur in libris juris Regni leges pro ſtatu publico.

QUAM maxime ſtatui publico conducat commercium, omnibus in comperto eſt. Verum non ideo prohibitio quarundam rerum extrahendarum de provincia, ubi illæ gignuntur, evadit injuſta, quoties peculiaris pro bono publico adeſt cauſa prohibendi. Extant quidem leges, quibus generaliter vetatur cujuſcumque rei exportatio extra Regnum. Illæ autem reſpiciunt peculiare commodum Regii Fiſci, ſcilicet, ut petatur licenſia, ſoluto certo vectigali, quod adpellatur *jus exituræ* in antiquis conſtitutionibus, vid. *cap.* 1. 2. & 3. Caroli I. Andegavenſis ſub *tit. De Portulanis, & extractione victualium, ſalis, & aliarum mercium a portubus*, in quibus ſtatuuntur regulæ ſervandæ a Magiſtris Portulanis, quorum peculiare munus eſt rerum extractionibus invigilare. Reſpiciunt etiam commodum publicum, quatenus extrahendi licentia non conceditur, ubi veretur, ne ejuſdem generis res deficiant neceſſitatibus ſubditorum. Huc pertinet lex Ferdinandi Aragonenſis, quæ eſt *prag.* 1. *de extract. ſeu exportat. animal. &c.* qua prohibetur cujuſcumque generis animalia extra Regnum abduci; & imponitur pœna aureorum mille, necnon publicationis ipſorum animalium. Ratio prohitionis ibi redditur, quia id vergeret in damnum ſubditorum, & minueret redditus fiſcales. In *prag.* 6. *ejuſd. tit.* ſpecialis prohibitio quorundam animalium videtur tantum, ne fraudetur vectigal pro extractione; prout etiam adparet ex *prag.* 8. *cod.*; in qua tamen, & ſpecialia quædam notanda ſunt: præſertim circa qualitatem pœnæ; nam cum adverſus ſuperiores leges ſæpius committeretur, viſum fuit, tranſgreſſores, ſi nobiles ſint, puniendos aureorum decem millium pœna, & relegationis in perpetuum; ſi ignobiles, triremium, etiam in perpetuum. Additur autem in pragmatica, niſi a Principe licentia impetrata ſit *in ſcriptis*. Ubi autem neceſſitas incumbit animalia transferendi ultra fines Regni, permittitur; dummodo idonee caveatur de iiſdem reſtituendis, certo tempore ſtatuto. Hæ quidem prohibitiones non ita ſtricte obſervantur, præſertim quod attinet ad pœnas. Sed quæ in *eod. tit. pragmaticarum* ſunt de auro, argentoque, cum de publico damno avertendo potiori nitantur ratione, ideo ſæpius repetitæ cernuntur, ut modis omnibus exequutioni demandentur. Primus quidem Rex Robertus in *cap. perpenſa* 250. *tit. de prohibita extractione carolenorum argenti extra Regnum*, edixit, ut *argentea pecunia per Regnum percurrens, extra illud non extraheretur* abſque Regia permiſſione. Addidit & pœnam, ut

ut ipſo facto amitteretur pecunia: quod ſi in flagranti non inveniretur reus, juſſit, eum mulctari in eandem quantitatem. Cum autem impetrarentur facillime hac de re permiſſiones, placuit Carolo V. ſtatuere in *prag.* 5. *eod. tit.*, deinceps licentiam extrahendi non concedendam, *niſi quantum ſervitio Regio videbitur expedire*. In hac tamen pragmatica non tantum de argentea pecunia prohibitio eſt, ut in conſtitutione Roberti, ſed generaliter de auro, & argento. Fortaſſis quia ætate Roberti aurea pecunia rarior erat, & ab exteris regionibus in Regnum invecta, unde non cenſebatur ex illius extractione grave damnum publico adferri. Quod aliter ſeſe habebat ſub Regno Caroli V., ob nuperam inventionem provinciarum Americæ, unde aurum abundare cœpit; & propterea neceſſarium fuit prohibitionem ampliare; idque & ex duabus conſtitutionibus ante eum Imperatorem promulgatis, poſt adeptum noviter Regnum a Ferdinando Catholico, quæ eſt *prag.* 3. & 4. *eod. tit.*, manifeſtius adparet; ſiquidem in his prohibetur quæcumque extractio auri, & argenti facti, vel infecti, & pecuniæ, non ſolum conflatæ in Regno, ſed etiam extra. Imo in *cit. prag.* 4. exprimitur, licet transferendæ ſint res ejuſmodi in Regnum Siciliæ, vel ad aliud quodcumque ſub ejuſdem Regis ditione exiſtens. Excipitur tantum ubi agitur de exigua, quæ neceſſariis uſibus deſerviat illius, qui ad exteras commeare vult regiones. Pluries deinceps eædem renovatæ ſunt prohibitiones, ut videre eſt *eod. tit. in prag.* 10. 14. 19. 23. In *prag.* 23. & 48. non ſolum id ipſum confirmatur; ſed ſpeciale eſt quod eadem teneantur pœna, ac ipſi principales Rei, qui opem, auxiliumque præſtant: pœna autem injungitur mortis naturalis, & omnium bonorum publicationis. Quæ utique nimis ſevera eſt: ſed tunc fortaſſis neceſſaria fuit, quæ decerneretur, graſſante ejus generis crimine.

II. Ex his legibus oritur occaſio inquirendi, an hujuſmodi prohibitionum exempla extent in jure Romano. Cum fines Imperii latiſſime paterent, populique finitimi olim barbarorum nomine deſignarentur; ideo aut raro, aut nunquam Romanorum divitiæ, præſertim pecuniæ ad exteros transvehebantur, cum quibus non adeo frequens commercium ſolebat eſſe, quoniam omnia ferme non minus ad victum, quam ad luxum neceſſaria, intra limites Imperii producebantur, atque habebantur. Contra vero ubi variorum Principum, & Rerumpublicarum ditiones anguſtiſſimis finibus cœperunt includi: nam tunc facile fuit majori ex parte pecuniam de uno in alium locum transferri ad comparandas res; quibus indigere ſolet plus una, quam alia provincia; & propterea viſum fuit neceſſarium prohibere extractiones auri, argenti, pecuniarumque, duplici de cauſa, tum ut res ejuſmodi permanerent in provincia, tum pro augendo commercio, ut fructus, qui ſuperabundant, permutari poſſint cum aliis deficientibus, & neceſſariis; idque non ſine maxima utilitate privatorum, & Reipublicæ. Extiterunt tamen præcipue ſub Imperatoribus Orientalibus aliquando cauſæ, ut quarundam rerum interdiceretur commercium cum bar-

barbaris. Præcipua fuit pro armis; ejuſque rei notabilis eſt conſtitutio Imperatoris Martiani in *l.* 2. *C. quæ res exportari non debeant*, ubi & elegans redditur ratio conſtitutionis ad hunc modum: *Nemo alienigenis barbaris cujuſcumque gentis ad hanc urbem ſacratiſſimam ſub legationis ſpecie, vel ſub quocumque alio colore venientibus, aut in diverſis aliis civitatibus, vel locis loricas, ſcuta, & arcus, ſagittas, & ſpathas, & gladios, vel aliter cujuſcumque generis arma audeat venundare: nulla prorſus iiſdem tela; nihil penitus, ferri, vel facti jam, vel infecti ab aliquo diſtrahatur. Pernicioſum namque Romano Imperio, & proditioni proximum eſt, barbaros, quos indigere convenit telis, eos, ut validiores reddantur, inſtruere*. Eadem eſt ratio, cur in *l.* 11. *D. de publican. & vectigal.* prohibeatur cotem vendi, ſubigendo ferro neceſſariam. Et ex eadem ratione lata fuit apud nos *prag. 2. de extract. ſeu exportat.*, qua Ferdinandus Aragonenſis ſub pœna mortis naturalis prohibuit, ne arma venderentur hoſtibus Chriſtiani nominis. Infligitur eadem pœna in *prag.* 22. *eod.* Sed ibi generalis prohibitio eſt, ne extra Regnum arma cujuſcumque generis exportentur abſque licentia Principis. In *l.* 1. *C. eod. tit.* etiam victualium generaliter prohibetur exportatio; ſed *ad barbaricum*, hoc eſt ad ſolum barbaricum, ſive hoſticum. *L.* 2. *C. de commerciis* animadverſione digna eſt, utpote quæ ſpecialiter prohibeat, ne aurum transferatur ad barbaros, quacumque de cauſa, nominatim ob emtionem mancipiorum; etenim ſolebant negotiatores mancipia emere a Parthis, & auream pecuniam illis dare; quod prohibens Imperator Valentinianus ait: *Non ſolum barbaris aurum minime præbeatur, ſed etiam, ſi apud eos inventum fuerit, ſubtili auferatur ingenio*. Denique prohibetur legibus Regni, ne exteris abſque licentia Principis vendantur mali antennarum, & remi pro triremium uſu; idque ſub pœna amiſſionis ipſius rei, aliaque arbitrio Regis, vid. *prag. un. de arboribus ſeu malis anten. &c.* Ratio redditur; ne ii, ad quos pertinent res ejuſmodi procurare pro Regiis triremibus, aut non habeant ſuo loco, & tempore, aut habeant minus aptas. Huc pertinet titulus pragmaticarum *de inciſione arborum*, ubi duæ conſtitutiones leguntur, quibus prohibentur incidi a radicibus arbores idoneæ ad triremes fabricandas.

III. Ad jus quoque publicum referri poteſt prohibitio, quæ duabus aliis pragmaticis continetur, relatis a Tapia *lib.* 7. *jur. Regn. tit.* 15. qua aurum, vel argentum emi nequit, nominatim ab iis, qui permutandæ pecuniæ gratia menſas habent; ea ratione, ne inde filiisfamilias, famulis, perſoniſque ejuſdem conditionis facilis anſa præbeatur furandi, cum promtam invenire poſſint pecuniam, aurum, argentumque diſtrahendo. In eiſdem conſtitutionibus, ne idem incommodum eveniat, diſtrahendo aurum, argentumque aurificibus, cavetur, ut hi teneantur Præpoſitis ſuæ artis, vulgo *Conſoli*, patefacere quid vendendum traditur, ut de perſona venditoris inquiratur, & ut rei venditæ annotatio fiat.

IV. Quoniam intereſt Principis, Reiquepublicæ providere, ne dum libri publicis litteris conſignantur, aliquid inde detrimenti adferatur, infi-

Digitized by Google

inficiendo ſubditorum animos pravis doctrinis, ſive religionem ſpectes, ſive publicam tranquillitatem: propterea plures diverſis temporibus promulgatæ fuerunt pragmaticæ, quæ leguntur *ſub tit. de impreſſione librorum*, quibus omnibus decernitur, & mandatur, cujuſcumque generis libros e typis evulgari non poſſe, niſi impetrata prius licentia a Rege. In *prag.* 4. prohibentur officinæ typographicæ, quæ inſtituuntur abſque voluntate Principis. In *prag.6.*, ante promulgationem cujuſque libri noviter impreſſi, jubetur, ut viginti exemplaria tradantur Regio Cancellario; eaque diſtribuenda tum pro Regali bibliotheca, tum pro uſu Conſiliariorum Regis.

V. Denique pro ſtatu publico eſt *prag. un. tit. de bruchis*, qua modus præſcribitur, qui ſervari debet, ubi horrendum utique malum ingruit, in regionibus præſertim Apuliæ, ex portentoſa & immani locuſtarum multitudine; unde meſſes miſerandum in modum conſumuntur. Quod utique novum non eſt; nam ſic Livius memoriæ prodidit *decad.* 5. *lib.* 2. *Locuſtarum tantæ nubes a mari vento repente in Apuliam allatæ ſunt, ut examinibus ſuis agros late operirent. Ad quam peſtem frugum tollendam, Gneus Licinius Prætor deſignatus cum imperio in Apuliam miſſus, ingenti agmine hominum ad colligendas eas coacto, aliquantum temporis abſumſit.*

VI. Ex duabus partibus, in quas jam ab initio univerſum Regni Neapolitani jus diviſimus, præcipuam hactenus exegimus, quæ eſt de jure publico; quandoquidem leges noſtræ magna ex parte circa ea, quæ ſtatus publici ſunt, verſantur, utpote potiori remedio indigentia, ad malam fidem, calliditateſque coercendas in communi civium ſocietate. Reliquum igitur eſt, ut ad jus privatum exponendum accedamus, quod paucioribus continetur: non quidem ſui natura; etenim plures, frequentioreſque ſolent eſſe diſceptationes ſive pro dominio rerum privatarum adquirendo, conſervandoque, ſive pro criminibus puniendis; ſed quoniam in jure privato non opus fuit tanta ex legibus noſtris diligentia, cum jus Romanum in Regno jamdiu obtinuiſſet ex quo, veluti uberrimo juſtitiæ, æquitatiſque fonte, facile fuit privatorum lites componere, variaſque factorum ſpecies definire. Quæ omnia clarius ex ſubjectis adparebunt.

F I N I S.

NO-

NOVÆ ADDITIONES J. B. S.

AD cap. I. lib. V. adde, quod Milites, Subalterni, aliique Individui Audientiæ generalis Exercitus non gaudent foro militari in cauſis ſpecialiter delegatis, ut teſſerarum collibiſticarum, vulgo literarum cambiorum, pro quibus adeſt ſpecialis Delegatus, *pragm.* 1. *&* *ſeq. eod. tit.*; in cauſis exfractus domorum in quibus M. C. Vicariæ procedit ut delegata privative contra quoſcumque exemtos, *pragm.* 5. *locati & conduct. ult. edit. ann.* 1772. *diplom.* 8. *Jun.* 1750. 31. *Mart.* 1770. 2. *Novemb.* 1771. *ut in collect. D. Gatta part.* 2. *tom.* 4. *tit.* 124. *num.* 3. 19. 21. 22. *&c.* quod intellige uſque ad ſententiam, liquidationem &c., non autem in executione ipſarum, in qua procedit Auditor generalis Exercitus, ut ex ſequenti diplomate 22. *Oct.* 1775. clare liquet.

Informato il Re di quanto con motivo di molti debiti dello Scrivano ordinario dell' Udienza Generale dell' Eſercito Franceſco Lupari ha rappreſentato il Delegato de' Cambj, pretendendo procedere, ed averazione reale, e perſonale contra gli Scrivani di detta Udienza, che godono il Foro militare; di quanto ha raſſegnato in contrario l' Udienza ſuddetta ſoſtenendo indenne la giuridizione militare ſopra gl' Individui, che godono di quel Foro; e finalmente di quanto ha riferito, ed opinato la Real Camera ſu tal controverſia, ha la M. S. riſoluto in forza dello ſpirito delle Ordinanze militari, e delle Pramatiche relative alla Milizia, e di altri antecedenti regali ordini emanati ſopra la giuridizione dell' Udienza dell' Eſercito, che eſſendo la medeſima Udienza un Tribunale meramente militare, devono godere i ſuoi Individui, ed altri ſoggetti alla ſua giuridizione, il foro della Milizia, alieni dalle giuredizioni degli altri Tribunali, o Delegazioni ordinarie. Ben inteſo, che il Delegato de' cambj, ed altri Tribunali di ſpezial Delegazione poſſano procedere nelle cauſe contra i Militari relative alla loro delegazione ſpeciale, ma non già dare eſecuzione a' ſuoi decreti, ſe non per mezzo del Tribunale competente dell Udienza dell' Eſercito, come ſinora ſi è praticato. In conſeguenza di che vuole S. M., che tutt' i decreti, che il Delegato de' cambj, o altro Tribunale ordinario abbino ſpediti, o ſpediranno contra detto Scrivano Lupari, o altre perſone alla giuridizione militare ſi paſſino all' Udienza dell' Eſercito per l' eſecuzione. Tanto prevengo di regal ordine a V. S. Illuſtriſſima, ed al Conſiglio, acciò finiſcano una volta le frequenti quiſtioni di giuridizione, che perturbano la giuſtizia, e attraſſano il regal ſervizio. Palazzo 21. Ottobre 1775. Carlo de Marco — Signor Preſidente del Conſiglio.

592535

Digitized by Google

592535

Digitized by Google

Digitized by Google